-60. **Livres d'emblêmes.** Symbolorum et emblematum ex re herbaria (ex animalibus quadrupedibus ex volatilibus et insectis ex aquatilibus et reptilibus) desumtorum centuria prima (secunda, tertia et quarta) collecta a Joach. Camerario, in quibus rariores stirpium proprietates historiæ etc. exponuntur. (Norimbergæ), ..., 4 part. en 1 vol., titres entourés d'une jolie bordure, figures, [illegible]

Cet ouvrage est orné de 400 jolies figures d'emblêmes en médaillon, gravées à l'eau-forte dans le genre de Théod. de Bry. Exemplaire grand de marges et bien conservé. On trouve rarement les quatre parties réunies.

31 30

JOACHIMI CAMERARII MEDICI. V. CL.

SYMBOLORVM ET EMBLEMATVM CENTVRIÆ TRES.

I. Ex herbis & ſtirpibus.
II. Ex animalibus quadrupedibus.
III. Ex volatilibus & inſectis.

Editio ſecunda, auctior & accuratior.

ACCESSIT NOVITER CENTVRIA

IV. Ex aquatilibus & reptilibus.

CVM FIGVRIS ÆNEIS.

TYPIS VOEGELINIANIS.

ANNO M. D C. V.

REVERENDISS. PRINCIPI AC DOMINO, DN.

IOAN. SVICARDO,

ARCHIEPISCOPO MOGVNTINENSI, S. R. I. ELECTORI, ET ARCHICANCELLARIO, Domino suo clementissimo,

LVDOVICVS CAMERARIVS S.

VNiversa, quæ in hoc mundo sunt, rerum genera, ad hominis unius usum fructumque ab æterno DEO esse destinata, nemo est, qui ambigat: nimirum ut hisce rectè cognitis ac benè perspectis, ea ad vitæ suæ rationes componendas, & exercenda virtutis studia transferat. Virtutem enim in illis lucentem amplecti, & vitium animadversum fugere, ad benè beateq; vivendum maximum momentum habet. Hinc illa, quæ in divinis præcipuè libris, & vetustissimis monumentis occurrunt, tot ac tam frequentia ex rerum na-

tura, inprimis vero ex animatis deprompta Symbola ac expressæ Imagines: Imo, quorum etiam ante, quam ullus pænè litterarum, usus fuit. Hieroglyphicorum enim summa est antiquitas, quibus, ut Tacitus loquitur, per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant: Quamvis postea illis sive Isis sive Mercurius litteras tradiderit, sed ita, ut priscas illas notas, quas Apuleius ignorabiles vocat, quasque ἱερὰς dicebant, Sacerdotes retinerent: alias, quas πανδήμους, vulgus. Ejus discriminis & Herodotus meminit. Sane Symbolica illa in sacris oraculis antiquissimus omnium scriptor, omnique Ægyptiorum scientia eruditus Moses, ceterique Hebræorum Sapientes usurparunt potissimum: & Hieroglyphica excoluit Pythagoras, scriptisq; exposuerunt inter veteres Chæremon & Orus Apollo Niliacus: ut Pselli Commentaria, quibus Chaldaica Zoroastris exsequitur, prætereeam. Inter recentiores etiam, & nostræ ætatis homines in sacrarum litterarum latente illa & mystica significatione eruenda & illustranda,

da, neque verborum tantùm, ſed rerum præcipuè vi, natura & proprietatibus accuratè indagandis, & Symbolicè explicandis, illuſtris profecto Viri maximi Benedicti Ariæ Montani Hiſpalenſis opera enituit, in Libro, quem is JOSEPHUM, ſive de arcano ſermone inſcripſit: & Hieroglyphica cùm ex veterum traditionibus, tum Plutarchi, Clementis Alexandrini, Athenæi, Plinii, aliorumque Commentariis, juſtis voluminibus complexi ſunt Henricus Glareanus, & Ioannes Pierius Valerianus Bellunenſis. Ea autem Symbolorũ & Imaginum omnium natura eſt, ut ſimilitudine quadam ad alia, quam quæ ſenſui exteriori offeruntur, intelligenda animum noſtrum deducant. Ex iſta vero contemplatione hominem rerum cunctarum, quæ ſub cœlo ſunt, verum uſum atque fructum percipere, manifeſtum eſt. Non mehercle inquam, cum *animum* vel ſtirpium vel animalium *pictura paſcit inani,* ut poëta canit: Sed cum Naturæ ipſius ingenium ac ſolertiam in illis tam variè & prudenter conſtructis intue-

tur, & inde exempla ſumit ad amplectendam virtutem, & deſerenda ac vitanda turpia; Quod rectiſſimè Ariſtoteles etiam monuit. Sic ipſa veritas CHRISTVS lilia agri præcipuè ex omni flore, quæ divinam providentiam clarè & tanquam in ſpeculo exhibeant, conſiderare nos; idemque ſerpentum prudentiam, & columbarum ſimplicitatem imitari jubet: & Solomon pigros & inertes hortatur, à formicis laborem ac induſtriam diſcant. Hoc certè figurarum genus vim & efficaciam ad commovendum in hanc illámve partem hominum animos ſingularem habet, vel potius incredibilem: longè majorem profecto, quam directa quævis oratio, quibuſcunque etiam fluentis & politæ linguæ lenociniis illa ſe inſinuet, quacunque verborum vi & pondere penetrare conetur, ſed quæ iſto, quod diximus, ex ipſa rerum natura petito præſidio ſit deſtituta. Inprimis vero illuſtria ſunt exempla, quæ ab animalium vita & proprietatibus petuntur, quibus niſi homo in omni virtutis & honeſtatis genere enitatur

tatur

tatur esse quam longissimè superior, necesse est ut bestiis etiam omni ratione carentibus non absq; turpissimo suo probro, atq; infamia inferior audiat. Gravissima enim est Aristotelis sententia in 1. Polit. qua hominem suis numeris absolutum, ait esse omnium animaliũ optimum: Sed econtra à lege & jure sejunctum, omniũ deterrimũ & sceleratissimũ: Cum quidem prudentiæ & virtutis armis naturaliter instructus, facilimè illis abuti possit ad res cõtrarias. Quo sensu etiam Nicomach. VIII. legitur: millies plura mala facere hominẽ posse, quam belluam. Et cum Aristotelicis similiter Platonis dissertiones in VI. & VII. Legum conveniunt. Sæpè igitur & merito nõ sacri tantum libri, sed prophani etiam scriptores, cũ alia â rebus naturalibus desumpta, tum stirpiũ & animaliũ exempla proponunt & inculcant, inter quos Ælianus vel ob hoc unum contemnendus non est, quod toties in suis scriptis, animalium pietate, castitate, temperantia, justitia, fortitudine, ceterisque sive virtutibus sive virtuti simili-

bus

bus actionibus, luculenter expositis, homines ignavos, injustos, & omni libidine flagitiosos vehementer pungat, & graviter exagitet, ut ejus historiā velut harmoniam quandam utriusque philosophiæ; naturalis puta & Ethicæ, appellare liceat. Hinc porro & nostra & majorum ætate viri docti veterum illorum Sapientum vestigia legentes ingeniosa sua Symbola & Emblemata mandarunt litteris: Inter quos nonnulli ab Imperatoribus & Principibus solemniter usurpata, vel certè iis tributa ab auctoribus, studiosè congesserunt: Quamuis & Principes quidam viri ipsimet in hac ingenii pulcerrima cultura ad recreationem quandam animi defatigati publicis negotiis, fuerint assidui, hæcque amœnissima studia peculiariter sua ac propria duxerint, cum quidem illa sine dubio verè sint Regia, & Regibus convenientissima. Hinc & Opt. Vir, pater meus, Joachimus Camerarius, superioribus annis ternas hasce, quas cura & impensa nostra auctiores nunc & accuratiores nova ista editione in lucem damus,

damus Ethicophyſicorum Symbolorum Centurias, ex Italicis ſcriptoribus magna ex parte collectas in publicum proferre voluit: In quibus ipſis quoque multiplicem variarum rerum naturam, ex ſtirpium videlicet & animalium præcipuis hiſtoriis, intueri, & ad vitam rectè pieq́ue tranſigendam accommodare liceret. Non autem nunc neque de nomine Symbolorum aut Emblematum, hisq́ue ſimilium vocum, neque de re ipſa diſputare lubet. Omnem illam ἀκριβολογίαν relinquo magnis illis & feliciſſimis ingeniis, factis plane ad inventiones iſtiusmodi admirandas atque divinas. Et quamvis præterea non pauca ex his noſtris à ſuis auctoribus non ſane ineleganter excogitata fortè ſint: hoc tamen certè conſtat, quod boni facilè ferant etiam mediocria: quin potius amore & benevolentia proſequantur illos, qui ſive à ſe, ſive ab aliis *prodeſſe* & *delectare* publicè ſtudent. Sed cauſſa nulla eſt, cur modo in his ſim longior. Tuo quidem, Reverendiſſime Princeps Elector, ſplendidiſſimo no-

mini, hanc quam modo dixi, paterni opuſculi curatam à me & renovatam editionem dedicare & conſecrare humilimè voluì, cum aliis de cauſſis, quas hic prolixe referre neceſſe non eſt, tum ob haſce potiſſimum, quod & veteri Clem. T. erga me, ſane perbenignæ ſignificationis, favori, quo ante etiam quam ad hoc ſummum inter Rom. Imp. Ordines faſtigium pervenit, ſibi me devinxit, aliquo grati animi monumento reſpondere, & in hoc excelſiſſimo Electoralis dignitatis culmine Clem. T. non ſine munere aliquo compellare cuperem. Non enim hoc in Perſicorum Regum ſalutationibus ſolemne tantum fuerit: Sed convenit etiam hunc morem transferri ad noſtra tempora. Verum exiguum profecto hoc noſtrum munus eſt: Imo vix etiam noſtrum. Attamen & Perſarum Reges etiam tenuiorum munuſcula, lac nempe, palmas & caſeum hilari fronte & benigno animo excipiebant. Nihil profectò magnos æquè videtur decere, quam magno & ſplendido animo proſequi quamuis

tenuia,

tenuia, modo profecta à vero sinceroque offerentis cultu & observantia. Hac enim una re ad divinam naturam quam proximè viros Principes accedere certum est. Amplectere igitur, Reverendissime Domine, clementer & benignè hanc devotionem nostram: & his ut amœnis, ita non infructuosis per otium, si tamen in hoc Reip. tam oneroso munere ullum otium conceditur, quam diutissimè sospes fruere, ac Vale. Pridie Kalend. Febr. Anno Christi M. DC. V.

BENEVOLE LECTOR,

MOnendus mihi in ipſo hujus libri exordio es candidè, nos in hac ſecunda Emblematum paternorum editione noſtra volentes omiſiſſe cum alia quædam in priori addita, tum etiam præfationes & carmina, aliaq; : inprimis vero Auctorum quoq;, ſicut & Symbolorum atq; Emblematum, deniq; rerum & verborum Indices. Cauſſa nonnulla, quod hæc induſtrius & memoria valens non admodum requirat. Sed vera, & ferè unica fuit, quod contrahere hos libellos, quantum fieri licuit, ſtudui, ut ſimul quatuor hæ Centuriæ uno in volumine eo concinnius colligari, & à te, qui fortè ita velles, tanto commodius circumferri poſſent. Quod ſi minus hoc inſtitutum tibi probo Lector, rogo, ut errori noſtro facilis ignoſcas. Vale, & jucundis his jucundus fruere.

Lud. Camerarius
Ioach. F.

COLLIS ex omni parte variis arborum selectissimarum generibus plenus, atq; multiplici herbarum ac florum diversitate conspicuus, in hoc amœniss. decore, & pulcherrimo statu diu consistere nequit, sed brevi omnia decrescunt atq; flaccescunt, nisi superne tempestiveq; radiis solaribus foveatur ac in suo vigore subinde reficiatur. Ad eundem modum nullæ humanæ cogitationes atque actiones, quantumvis alioquin speciosæ atq; laudabiles appareant, nec ulla virtus, doctrina aut scientia per se consistere, aut aliquid boni producere potest, nisi divinitus à Deo unico fonte omnis boni gubernentur, illustrentur, ac splendore divinæ gratiæ ad optatum finem perducantur. Quod ut passim plurima præclare dicta tam in sacris quam philosophicis libris abunde probant, ita inprimis paucis sed sanctiss. verbis S. Ioannes, I. cap. suæ historiæ Evangelicæ de Christo asserit, ubi inquit, ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. h.e. Erat lux illa vera, quæ illuminat omnẽ hominem venientem in mundum. idemq; S. Iacobus in sua Epistola ostendit, cum ait, πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταφαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, Omne munus bonum, & omne donum perfectum descendit desuper à Patre luminum. Atq; in eandem sententiam D. Nazianzenus in oratione de Athanasio Episcopo hæc scripsit: Quod Sol est sensibus, id intelligentibus est DEUS: ille enim mundum illuminat visibilem, hic invisibilem, & ille quidem visum corporis illustrat, hic vero naturas intellectu præditas reddit splendidas.

I.

SI SERENVS IL-LUXERIT.



Mons omni hoc, nisi Sol foveat, viduatur honore:
Quicquid ages, cassum disperit, absq; DEO.

PER *Mercurium, ut notum est, mythologicè intelligitur vis ingenii, eloquentiæ ac doctrinæ. Is fingitur irrigare Laurum, arborem Apollini sacram, qua ipsa quoque poetæ & viri docti ornabantur. Hoc igitur Emblemate utens Rev. & Ill. Dn. Alexander Edouardus Fuggerus, &c. Præpositus Frisingensis, cum privatæ cuidam Academiæ Ticini in Insubria nomen daret, significare voluit, plurimum referre, quo magistro & duce adolescentes imbuantur honestis artibus. Quod sane prudentissimus Macedonum Rex Philippus opt. intellexit, qui nato sibi filio Alexandro statim id nunciavit Aristoteli, diisq́ gratias egit, non tam quod natus ipsi filius esset, quam quod Aristotelis tempore eum nasci contigisset, ut Gellius ista refert. Sed illud inprimis certum est, etiam salutis nostræ cardinem in eo versari, quis nos riget* τῷ ὕδατι ζῶντι τοῦ λόγου: *qualis fuit Alexandrinus ille Apollos, quem S. Paulus laudat I. ad Corinth. III. quem ipse quidem ait rigasse* τὰ τοῦ λόγου φυτεύματα, *verbi plantaria: eidemq́ in Act. XVIII. tribuitur, quod fuerit* ἀνὴρ λόγιος, δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς, καὶ ζέων πνεύματι.

NEM-

II.

NEMPE ARBOS UNDE RIGETUR.



Intererit multum quis nostros irriget hortos,
Ac mens nostra DEI qua foveatur ope.

Arbori

ARBORI *undiq; detruncatæ inseruntur recentiores alii surculi bonam de se spem germinum præclarorum promittentes, modo cælitus foveantur ac conserventur, alioqui levi de caussa exarescunt & pereunt. Quare non secundum communem & depravatam hominum consuetudinem, omnia ad favorem fortunæ nescio cujus, (nisi hanc allegorice quoq; voluntatem Dei intelligere velimus) sed ad unius Dei benedictionem, quæ sola, secundum sacras literas, ditat, merito referre debemus: ea tamen conditione, ut nos quoq; suo loco sedulo nostrum faciamus officium, neq; turpi ocio aut ignaviæ nos tradamus. Unde Menander,* θεȣ͂ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις, *Id est, Deo favente naviges vel vimine. At multo adhuc præclarius D. Gregorius Nazianzenus.*

> Θεȣ͂ θέλοντος ȣ̓δὲν ἰσχύει φθόνος,
> Καὶ μὴ θέλοντος ȣ̓δὲν ἰσχύει κόπος.
> Deo benigne dante, nil livor valet,
> Non dante vero, nil labor vanus potest.

Hoc symbolo usus est in ætate juvenili, cum Germanico dicto, Wann Gott wil/ *DEO VOLENTE, Iulius Iovius Episcopus Noceræ, fratris Pauli Iovii filius. Talis est & veterum religiosa formula:* CUM DIS VOLENTIBUS: θεῶν βȣλομένων, *ut Heliodor. in Aethiop. Græcè dixit. Et, quod Deos solemniter orabant:* UT FAVERENT. *De quibus & similibus Barn. Brissonius lib. I. de formulis.*

III.

PROSPICIEN-TE DEO.



Si faveat cœlum, benè surculus arbore crescet:
Si faveat numen, tu quoq; magnus eris.

MULTAS *inesse peculiares vires ac occultas proprietates pluribus stirpibus & plãtis, idq; per singularem superiorũ ac cœlestium corporum influxum, ac efficacitatem nemini esse dubium potest, quarum caussas tum alii investigare conati sunt, tum inprimis Theophrastus Peripateticus erudite & docte inquirere studuit, quemadmodum ejus accuratiss. libri de caußis plantarum satis abunde testantur. Inter quas quidem Aspalathus inprimis occurrit, qui frutex ut autor est Plinius lib. XXV. cap. XIII. (quamvis ibidem Aspalathum orientalem & Rhodium, forsitan sine caussa, frutices diversos faciat) pluribus in locis reperitur, sed non ubiq; odoratus est. Quam peculiarem vim tradit in se recipere cœlesti arcu (ut ejus verbis utar) in eum innixo. Sic etiam omnis doctrina, prudentia, ac universa virtutis laudabilia dicta & facta tum demum fiunt illustriora, præstantiora, omnibusq; ut dicitur numeris absolutiora & gratiora, si cœlestis bonitatis ac divinæ gratiæ suaviss. aura aspiret. Quod etiam Seneca Ethnicus quidem ille scriptor, sed admodum ἠθικὸς, tradit breviter in hunc modũ scribens ad Lucilium suum Epistol. X. Nullam sine* DEO *mentem esse bonam. Graviter Greg. Nazianzenus in Antonii Melissa:* ἀρετὴν ἐπαινῶν, θεὸν ἐπαινέσομαι, παρ᾽ οὗ τοῖς ἀνθρώποις ἡ ἀρετή, *id est, si virtutem laudo, Deum laudavero, à quo datur hominibus virtus. Sed de hoc plura in primo symbolo dicta sunt, & in aliis quoq; posthac aliquid dicetur.*

IV.

VIRTVS HINC MAIOR.



Iridis Aspalathus vi suavior, ipsaq; virtus
Gratior est superûm quam pia cura fovet.

MONTES *ubiq; non solum in sacris litteris, sed etiam passim apud Poetas veteres sumi pro aliquo loco munito ac stabili, in quo quispiam tuto consistere, & ab aliorum incursionibus opt. se tueri possit, omnibus constat. Unde inventor hujus symboli apud Hieronymum Ruscellum, super montem quendam altum, ad quem nisi per asperam & angustam semitam non pateat accessus, Lauru simul & Palmam statuit, significare hoc modo volens, ad veram doctrinam, solidamq; prudentiam, & quæ ad hæc sequitur, perennem ac stabilem gloriam, quæ omnia hisce duabus arboribus veteres voluisse exprimere in aliis symbolis à nobis est explicatum, neminem pervenire posse, nisi per multos labores ac sudores. Quod etiam* Cebetis *philosophi moralis tabula, quæ ut in omnium manibus habetur, ita utinam etiam in animis versaretur, satis superq; ostendit, ac Pythagoras in sua litera Y, à Virgilio, vel quicunque autor est illius Epigrammatis, versibus celebrata, docte exposuit, nec non Hesiodus in istis præclaris versibus, quos tantopere Cicero ad Leptam commendat, & qui alibi sunt indicati, nobis ante oculos quasi proposuit. Est autem integer versus, unde hoc dictum est desumtum, apud Siliu Italicum:*

Ardua virtutem profert via, scandite primi.

Cum quo duo versiculi Ovidiani belle conveniunt:

Ardua per præceps gloria vadit iter. *Itemq;*
Difficile est fateor, sed tendit ad ardua virtus.

Et Caßius Parmensis in Orpheo:

Non levis ascensus, si quis petit ardua: sudor
Plurimus hunc tollit.

V.

ARDUA VIRTUTEM.



Qui laurum & palmam victricem carpere gaudes,
Montis, si nescis, ardua scande prius.

 Theophra-

THEOPHRASTUS *lib. III. c. XI. de causis plantarum, & alibi etiam litteris prodidit, Oleam ramis vetustioribus ac inutilioribus amputatis, propter ipsius innatam pinguedinem & succum uberiorem, lætius novos surculos protrudere, ac hoc pacto arborem multo fœcundiorem & pulchriorem effici. Nobis itaque etiam annitendum est, ut inutilia ac minimè fructuosa, id est, vitia universa ex animis nostris studiose aboleamus atque extirpemus, ut illis excisis fructus virtutis multo præstãtiores ac pleniores provenire queant. Quod etiam subjicit D. Chrysostomus Homilia VI. (quãvis eo in loco potius de vite loquatur) & Clem. Alexandrin.* στρωματ. *II. Sed omnium aptissimè referetur ad Christianam Ecclesiam, cujus membra nunquam magis succreverunt, quam cum amputarentur: qua similitudine pulcerrimè etiam usus est Theodoretus* θεραπευτ. *serm. IX. Potest quoque accommodari ad jacturam fortunarum, quæ multis etiam non solum non damnosa, sed insuper lucrosa sæpe numero fuit, secundum versus D. Nazianzeni.*

Καὶ ζημιοῦν τι, τοῦτο κέρδος πολλάκις
Ὥσπερ καθαίρειν φυτὸν εἰς εὐκαρπίαν.
Εἰ δ' οὐ καλῶς τι προστιθεὶς οἷς νῦν ἔχεις,
Ὕλη φέρεις πῦρ, ἢ νόσον τῷ σώματι.

Perferre damni quippiam, lucrum puta,
Ut fructuosam si repurges arborem.
At si quis addat amplius partis male,
Sylvæ addat ignem, corpori morbum afferat.

TAN-

VI.

TANTO VBERIUS.



Tu quoq; sic reseces vitiis marcentia multis,
Virtutum ut soboles pullulet uberior.

Diosco-

DIOSCORIDES *& alii rerum simplicium scriptores, tradunt Cupressum non solum blattas & tineas, ob suam acrimoniam non ferre, sed eas repellere, atq; etiam dissectas ligni particulas aliis rebus appositas ejusmodi animalcula inde arcere. Atq; ideo apud veteres simulachra potiss. ex hac arbore fiebant, ob materiæ perpetuitatem, cum cariem non sentire dicatur. Vnde simulachrum Iovis Romæ in arce ex Cupresso ab V. C. sexcentesimo sexagesimo primo anno dicatum, suo adhuc tempore durasse Plinius testatur, annis circiter ducentis. Admonentur hoc Symbolo principes & magni viri, ut suam gravitatem & recte administrandi studium in omnibus suis rebus semper observent, ac inprimis adulatores, gnathones & ejusmodi farinæ homines, Reipub. pestes, singulari severitate à se repellant, nec eorum consuetudine sese oblectent, multo minus aures faciles ipsis præbeant. Sic interrogatus Demosthenes, quodnam animal pessime morderet, respondit,* τῶν μὲν ἀγρίων, συκοφάντας, τῶν δὲ ἡμέρων κόλακας, *Ferorum quidem calumniatores, Cicurum autem assentatores. Et Clemens Alexandrinus paucis plurima complectens, inquit,* τὴν κολακείαν τῆς φιλίας εἶναι νόσον, *Adulationem esse morbum amicitiæ. Aut enim laudat vituperanda, aut contra sæpe vituperat omni laude digna. Seneca etiam adulatores suorum dominorum non tam arrisores quam arrosores apposite nominat. De quibus integrum commentariolum doctissimum composuit Plutarchus,* Πῶς ἄν τις τοῦ φίλου τὸν κόλακα διακρίνῃ, *Quo pacto ab amico assentatorem quispiam possit discernere.*

VII.

NIL MIHI VOBISCUM EST.



Ite leves procul hinc aliorum in prædia blattæ,
Noster adulantes nescit amare decor.

INTER *alias multas singulares proprietates, quas scriptores rerum naturalium Palmæ attribuunt, ista non postrema est, quod hæc arbor non facile crescat, nisi radiis solaribus opt. foveatur, nec non humore aliquo conveniente irrigetur, unde ad fluviorum ripas feliciter provenit. Cujus præclare meminit I. Psalmus Davidicus, ejusq́ ἀντίθεσις in CXXVIII. observatione apud omnes pios dignissima habetur. Nam sicut justus palmæ ad aquas florescenti ac suos fructus tempore suo producenti comparatur, ita contra injustus fœno tectorum radice destituto, terra & aqua carenti, quod paulo post nimio solis ardore comburitur, ut neq hominibus quicquam prosit, nec benedictio Dei super eo expectetur, similis esse dicitur. Id quod elegantibus carminibus exposuit M. Antonius Flaminius in paraphrasi ejusdem psalmi. Insignis etiam est locus Seleuciensis Basilii λόγ. γ.* ὁ γὰρ διδοὺς τροφὴν πάσῃ σαρκὶ, καὶ ψυχὴν τρέφειν ποθεῖ. ψυχῆς δὲ τροφὴ, θείων λόγων ἑστίασις. σὰρξ μὲν γὰρ σωματικαῖς ἑστιάσεσι τρέφεται, διὰ φθαρτῶν ἡ φθαρτὴ δεχομένη τὴν αὔξησιν. ψυχῆς δὲ τροφὴ, τῆς ἀληθείας ἡ γνῶσις, ἡ τοῦ ποιητοῦ κατανόησις, τὸ τῶν θείων ἐμφορεῖσθαι διηγημάτων, *h.e. Qui namq dat escam omni carni, animam quoq alere desiderat. Animæ autem alimentum, divini verbi cibatus. Caro enim epulis nutritur corporalibus, ipsa sc. corruptioni obnoxia per ejusdem modi recipiens incrementum. At animæ cibus, veritatis est cognitio, meditatio creatoris, repletio sermonum divinorum. &c.*

VIII.

HAUD ALITER.



Palma velut riguos nunquam pallescit ad amnes,
Sic viret ad Verbi flumina sacra pius.

VERNO tempore ficus arbor speciosis floribus aut fructuum praecocium abundantia minime sese ostentat, nullamque inanem hominibus de se spem injicit: in autumno autem fructus suaviss. ac quidem in illis reconditos quasi flores quosdam, (unde in Italia adhuc vulgari lingua in quibusdam locis Fiorini appellantur) proferre solet. Et legitur in laudem hujus cum arboris, tum fructuum illius elegantissima Iuliani epistola, Sarapioni inscripta. Salix vero, ut alibi diximus, elegantes & admodum praecoces flores exhibet, sine tamen ullo fructu paulo post evanescentes. Ad eundem modum magnae levitatis esse censetur, multis & inanibus promissis aliorum benevolentiam captare, ac minime laudabile praeceptum Ovidianum, quod nullo modo imitandum, velle sequi:

Promittas facile: quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet esse potest.

Et tales fuere Charetis pollicitationes, quae proverbio locum fecerunt, ut ex Suida discimus: Quibus & Plauti illud congruit: Benè promittis multa ex multis, omnia in cassum cadũt.

Sed verè & graviter Horatius inquit:

Multa fidem promissa levant.

Insigniter etiam Pythagoras: πράττε μεγάλα, μὴ ὑπισχνέμενος μεγάλα *h. e. Age res praeclaras, nihil magnifici interim promittens.*

Ceterum in universa vita commendatur promissorum observatio, & sine omni fuco ac simulatione in omnes prompta beneficentia. Et Cicero quoq; 1. lib. de Officiis praeclare scribit, Fundamentum justiciae esse fidem, id est, dictorum conventorumq; constantiam ac veritatem. De Emblemate vero Petri Costalii legitur Epigrammma elegans admodum in illius Pegmate: & nonnulla in Ficu Io. Passeratii, in Kal. Ianuariis.

MITTE NON PROMITTE.



Gratior est fructu ficus quam flore salicta,
Missa ego promissis anteferenda reor.

HOMERUS *Odyss. K. Salicem arborem nominat ὠλεσίκαρπον, id est, frugisperdam, idemq; de ea Theophrastus quoque Pliniusq; tradunt. Nam semen celeriter amittit, & quidem ante maturitatē, quamvis in Creta id producere nonnulli asserant. Quemadmodum itaq; Salici humor ille inter calamos arundinaceos collectus præbet nutrimentum commodum, facitq; ut egregie crescat ac luxuriet, attamen inde nihil fructus aut seminis saltem percipi potest: non aliter sæpenumero etiam parentes & amici in suos liberos, & alios adolescentes sibi commissos multum sumtuum faciunt, ac sæpe impensas plus quam necessarias, qui tamen hoc parum bene collocant suo officio male fungentes, nec commoda sua tempestive perpendentes, inutiliter omnia decoquunt, de futuro minime, ut par erat, soliciti, atque ita unà cum ætatis flore ac preciosiss. temporis jactura semina virtutis perdunt, ac ita postea nullius usus neq; sibi nec aliis esse solent, immemores egregii præcepti Tibulliani:*

At tu dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere, non tardo labitur illa pede.

Quod idem Propertius quoq; cecinit.

Vidi jam juvenem, premeret cum serior ætas
Mœrentem stultos præteriisse dies.

Pertinent etiam huc quæ de Adonidis hortis dicuntur: & proverbium: ψευδῶν πλέα ἀτραφάξις, *hoc est, Mendax atraphaxis. Cito enim in altum surgit: adfinis betarum generi, quæ & ipsæ subito grandescunt, alioqui fatuæ.*

NEGLECTA JUVENTUS.



Perdere virtutum fructus cum flore juventæ,
Frugisperda salix ne vocitere cave.

MYRRHAM *arborem proceram ac ſpinoſam in Arabia felici naſci veteres perhibent, de cujus tamen integra deſcriptione nihil certi adhuc conſtare hiſce temporibus, quibus omnes tamen ubique locorum ac gentium anguli diligentiſſ. inquiruntur, ſane mirum eſt. Hanc ſcribunt ablaqueationibus ac inciſionibus gaudere, ac præterea ventis vehementer ſpirantibus, gummi iſtud tam precioſum, (quod tamen raro plane legitimum & omnibus notis à veteribus deſcriptis abſolutum ad nos deferri ſolet) effluere copioſius, quo inprimis à putredine ac corruptione corpora defunctorum integra conſervari ſcimus. Ita animus rectus & conſtans in propoſito laudabili ſemper immotus permanens, invidiæ ac obtrectationum furiis, tanquam turbulentiſſ. ventis, minime terretur, ſed potius ad hunc modum exercitus & agitatus eo alacrius fructus virtutis profert, & magis conſpicuum ſeſe omnibus exhibet. Quo pertinet Horatii Ode:*

Juſtum & tenacem propoſiti virum &c.

Itemq; Claudiani egregia ſententia:

Explorant adverſa viros, perque aſpera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Itemq; Ovidii illa in Triſt.

Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis. *Et:*
Scilicet adverſis probitas exercita rebus,
Triſti materiam tempore laudis habet.

XI.

CONCVSSA UBERIOR.



Major in adversis virtutis gloria vera est:
Vberior ventis Myrrha agitata fluit.

XII.

QUANQUAM *viſcum in pluribus arborum truncis vetuſtioribus enatum reperiatur, tamen in quercu præſtantiſſimum inveniri certum eſt, quod præ aliis ad morborum ac inprimis Epilepſiæ remedia expetitur: quem alii morbum ſacrum & herculeum vocant, non quod Hercules eo laborarit, (ut monet Becanus in Gallicis) ſed quod à ſolo Hercule queat curari. Quemadmodum vero per hunc morbum graviſſimus humani generis lapſus ſignificatur, ita per viſcum quercinum ſingulare hujus antidotum (eodem autore) verus noſter Hercules & liberator unicus* CHRISTUS *denotabitur. Symboli vero occaſionem dederunt, ut ego ſuſpicor, Plinii verba de viſco, libro XVI. cap. XLIV. Et Aeneæ etiam ramum aureum viſco cõparat Virgilius. Apud Platonem ſimile proverbium legitur in Euthydemo,* τὸ σπάνιον τίμιον: *Rarum honore dignum. Inſcriptio autem:* RARA JUVANT, *ex Martiale ſumpta eſt. Facit enim profecto faſtidium copia, ut Livius inquit, & frigidius amamus ſemper ea, quibus ubi libeat, potiri fas eſt. An non hodieque multa ex remotiſſimis etiam Indiis petimus, tantum quia rara ſunt, ſaturi ſcilicet rerum quotidianarum, & novarum inſana cupiditate ebrii?*

RARA IUVANT.



Robore ab annoso viscum sanare caducos
Quod valet, est Christi viva figura Dei.

DUAS *elegantissimas similitudines legimus apud Senecam, quæ hoc symbolum rectiss. explicant. Prima est in Epistola XXXIX. ad Lucilium: Magni animi est magna contemnere ac mediocria malle quam nimia. Illa enim utilia sunt: at hæc eo quod superfluunt, nocent: sic segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Alter locus est lib. de vitæ tranquillitate: Vt fertilibus agris, inquit, non est imperandum: cito enim exhauriet illos nūquam intermissa fœcunditas: ita animorum impetus assiduus labor quoq; frangit, ita quoq; præclaris ingeniis ac alioquin bene natis nihil est nocentius, neque perniciosius; quam immodica commoditatum ac voluptatum affluentia. De quo Claudianus quoq; lib. I. ad Ruffinum.*

Et luxus populator opum, cui semper adhærens,
Infelix humili gressu comitatur egestas.

Ac noti sunt versus Ovidiani:

Luxuriant animi rebus plerunque secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.

Pulcrè Euripides in Menalippe: Ω τέκνον, ἀνθρώποισιν ἐστὶν οἷς βίος ὁ μικρὸς εὔκρατος, ἐγένετο δ' ὄγκος κακὸν, *hoc est, O fili, vita & opulentia hominibus quibusdam exigua ac mediocris cōvenit. Nimia vero moles perniciosa est.*

Paradinus addit: MIHI PONDERA LUXUS.

Et alibi, TIMENDA NIMIA FOECUNDITAS. *Est autem hoc hemistichium, Copia me perdit, desumtum ex carmine falsò Virgilio ascripto, Priapeja appellato. Perhibent autem nonnulli hoc symbolum fuisse Leopoldi Archiducis Austriaci.*

XIII.

ME COPIA PERDIT.



Rumpitur innumeris arbos uberrima pomis,
Et ſubito nimiæ præcipitantur opes.

OLEA *arbor Palladi dicata, pacisq́ symbolum (unde & pacis arborem Sidonius eam nominat, deq́ ejus origine bellissima est Servii ad I. Georg. narratio) semper viret, nec sua folia amittit, idq́ (ut scriptores plantarum tradunt) ob peculiarem quandam sibiq́ innatam pinguedinem. fructus quoq́ producit ad multos hominum usus admodum commodos & necessarios. quare ob utilitatem singularem neq́ incidi nec evelli ullo modo par est. Non aliter cavendum summopere omnibus, qui pacis ac concordiæ, publicæq́ utilitatis studiosi esse volunt, (ut universi esse debemus) ne ulla invidia aut malevolentia improborum ac male feriatorum hominum à tam necessario ac laudabili proposito, se impediri aut avocari ulla ratione patiantur. Sunt autem, secundum Petrarcham, quatuor hostes pacis, quæ in exilium pellantur, nimirum, avaritia, invidia, ira ac superbia. Sed nemo ferme pacis encomium brevius ac sanctius D. Augustino nobis proposuit, ubi ait: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accepit, teneat, qui amisit exquirat, qui perdidit repetat. Pulcrè etiam Basilius:* ὅσον ἐστὶ τὸ τῆς εἰρήνης καλὸν, τί χρὴ λέγειν πρὸς ἄνδρας υἱοὺς τῆς εἰρήνης: οὐδὲν γὰρ οὕτως ἴδιον χριστιανοῦ, ὡς τὸ εἰρηνοποιεῖν. *h. e. Quantum sit bonum pacis, quid dicere opus ad viros pacis filios? Nihil etenim ita Christianorum proprium, atq́ pacem conciliare.*

NEC

NEC INCIDI NEC EVELLI.



Dure facesse Ligo, validæ procul este bipennes,
Frondeat æternos pacis alumna dies.

MORUS, græce μῶρος, id est stultus, per ἀντίφρασιν ita dicitur, ut pleriq; volunt, cum habeatur arborum sapientissima. Nam hæc sola nihil properat, sed cæteris præcurrere permissis, ipsa etiam tandem prodit, & grato se virore vestit, fructibusq; tempestivis prædita est. Longissimam quoq; vitam consequitur hac sua cunctatione, & materiam præstat ad multos annos duraturam. De qua eadem Plinius quoq; scribit lib. XVI. cap. XXV. & Alciatus attingit in Emblem. Omnium autem elegantissimè heroico carmine, ut & alia non vulgaria de moro complexus est Io. Passeratius in Kalendis Ianuariis ad Memmium. Sic vir prudens & in suis rebus circumspectus consulto ac mature universas actiones suas, ac sine omni præcipitantia, instituit, nec ante tempus sese effert. nam secundum græcum senarium προπέτεια πολλοῖς ἐστὶν αἰτία κακῶν: Multis malorum caussa est præcipitantia. Sed in omnes occasiones rei bene gerendæ citra periculum, instar Fabii Maximi peritiss. Ducis, qui cunctando Romanis restituit rem, est intentus. Quò pertinet etiam consilium Scribæ Ephesini Actorum XIX. quod civibus suis dat: δέον ἐστὶν ὑμᾶς κατεσταλμένους ὑπάρχειν, καὶ μηδὲν προπετὲς πράττειν: Oportet vos esse sedatos & nihil præcipitanter agere. Idem etiam sine ostentatione progreditur nec præter modum se effert, quodq; mature præstandum est, suo tempore, neq; nimio impetu, nec socordia utens diligenter & præmeditate exequitur. Vnde alii huic symbolo dictum addunt, TEMPORE SUO: ad alterum proverbium, quod monet τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, id est, præsentia recte administrare: vel, Nosce tempus, respicientes.

XV.

CUNCTANDO PROFICIT.



Festinare nocet, nocet & cunctatio sæpe:
Tempore quæq; suo qui facit, ille sapit.

GRANDIS *& annosa quercus ob ramorum pondus gravius in duas partes divulsa, à lenta ac humili salice rursum ita constringitur, ac vincitur, ut non amplius disrumpi facilè queat. Non aliter nimia asperitas & superba severitas in hominibus elatis ac duris, ne gravius exorbitent, vel etiam sese in manifesta pericula ob nimium rigorem suum & animi vehementiam præcipitent, nullo alio aptiore vinculo contineri atq; ad quandam animi comitatem ac æquabilitatem flecti ac reduci possunt, quàm humilitate & moderatione, cum nullum violentum sit diuturnum. Et secundum Horatium,*

Vis consilii expers mole ruit sua.&c.

In quam sententiam Claudianus quoq; inquit:

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris Rex esse tui.

Hucq; pertinet brevis quoq; sententia sed multa comprehendens Philonis, τὰ μὴ σὺν λόγῳ, παντὰ αἰσχρά, ὥσπερ τὰ σὺν λόγῳ, κόσμια: *Quæ absq; ratione fiunt, omnia sunt turpia, quæ vero cum ratione, omnia decora. Nestor etiam apud Homerum docet, omnia consilio melius explicari, quam viribus: Quam sententiam tum alii, tum inprimis Oppianus, gravissimus poëta, sæpius inculcant.*

XVI.

NE RUMPE-RER.



Consilio moderato animos frænato furentes,
Vt rigidas quercus vimina lenta solent.

 Seneca

SENECA *in lib. de providentia: Id, inquit, in quoq; solidissimum est quod exercuit. Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam ventus frequens incursat. Ipsa enim vexatione constringitur & radices certius figit. Fragiles sunt, quæ in aprica valle creverunt. Pro ipsis ergo bonis viris est, ut esse interriti possint, multum inter formidolosa versari, & æquo animo ferre quæ non sunt mala, nisi male sustinenti. Hæc ille. In hanc vero sententiam adhuc multo nervosius D. Chrysostomus, Homilia LXXIII. in Genesin, breviter hæc commentus est: Vt arbores, quæ radices altius miserint, quamvis summum ventorum excipiant impetum, non frangi aut evelli possunt: sic orationes, quas animus pius* DEO *suo reddiderit, perquam tuto affixæ, efferunt sese in excelsum, nulloq́; pervertuntur aggressu cogitationum. In aliis additur,* INCURSIONIBUS SOLIDATUR. *Animus enim recte institutus multisq́; ærumnis ac adversitatibus exercitus, eo fortius in malis resistit & radices constantiæ firmiores agit.* Κίνησις γὰρ κρατύνει, ἀργίη δὲ τήκει, *ait divinus Hippocrates: Motus confirmat, ignava quies resolvit. Quo spectat apud Thucydidem Periclis egregium dictum,* ὡς οἵτινες πρὸς τὰς ξυμφορὰς γνώμῃ μὲν ἥκιστα λυποῦνται, ἔργῳ δὲ μάλιστα ἀντέχουσιν, οὗτοι καὶ πόλεως καὶ ἰδιωτῶν κράτιστοί εἰσι: *Nam qui in calamitatibus animo quidem minime tristantur, re autem & operibus maximè obsistunt, hi optimi sunt, sive privati homines sive civitates fuerint.* Ἀνδρῶν γὰρ ἐσθλῶν στέρνον οὐ μαλάσσεται, *Virorum fortium pectus non languescit, ait Sophocles.*

VENTIS IMMOTA SUPERBIT.



Ventorum adversis solidatur flatibus arbor:
A cruce & à precibus mens pia robur habet.

ANAGYRIS, *prima à Dioscoride, ac Plinio descripta, plurimum crescit in agro Romano ac Neapolitano, Plauto, (ut quidam existimant) Nautea dicta. fœtidus admodum est frutex, potiss. si comprimatur ac digitis atteratur. Vnde ortum proverbium,* ἀνάγυρον κινεῖς, *Commoves Anagyrin, cuius meminit quoq; Aristophanes in Lysistrata. Eodem tamen nomine locus etiam quidam in Attica, autore Stephano de urbibus, ubi hic frutex copiosè provenit, appellabatur. Monet autem hoc symbolum sive proverbium, res eas, quas satius est ut quiescere sinamus, temere in nostram perniciem non esse concitandas, quod potissimùm de hominibus maledicis ac in aliorum detrimentum intentis, quorum quæstus est maximè obtrectari melioribus, dici poterit. Quemadmodum etiam alterum huic simile proverbium habetur,* τὸ κακὸν εὖ κείμενον οὐ κινητέον, *id est, Malum probe quiescens, non est movendum. Et illud:* μὴ κίνει καμάριναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων. *Ne moveas Camarinam. etenim non tangere præstat. Quod utinam hisce nostris temporibus quoque diligenter observaretur, essetque procul dubio in rebus tam sacris quàm profanis minus contentionum ac disputationum inutilium pertimescendum, quæ res profectò plus quàm cogitari aut dici potest, Reipub. tranquillitati ac incolumitati obesse solet. Proponamus itaq; nobis semper ante oculos Pindari aureum dictum in Pythiis, oda VIII.* φιλόφρον ἡσυχία, *id est, Quies & tranquillitas nihil nisi humanitatem & amicitiam cogitat.*

NE MOVEAS.



Ad tua cur taceam dicteria fœda requiris?
Non anagyrin ego, ſpurce, movere volo.

DE *Platano, quæ arbor à foliorum latitudine apud Græcos nomen accepisse videtur, Plinius lib. XII. cap. I. scribit umbræ gratia tantum, ex alieno petitam orbe. Et Aelianus II. Var. hist. XIV. ubi ridet Xerxen, qui in Lydia multis pretiosis donariis platanum quandam adfecerat, egregiè eam arborem ab umbræ amplitudine commendat. Virgilius autem in Georgic. vocat steriles platanos: & in IV. ejusdem operis inquit:*

Iamq; ministrantem platanum potantibus umbram.

Quod in illos dici potest, qui semper magna de se pollicentes, omniaque sua ad ostentationem tantum parantes, quò opinionem singularis doctrinæ ac prudentiæ vel falsò apud alios conquirant, vel etiam si quæ poßideant bona ingenii, neutiquam cum aliis communicent, nullum unquam specimen suæ industriæ præclaris monumentis vel actionibus posteritati præbere consueverunt. Quorum alterum est vanitatis ridiculæ, alterum invidiæ detestandæ indicium. Deq; priore vitio Menandri unicus versus multa complexus est, ubi ait:

Κενῆς δὲ δόξης ἐδὲν ἀθλιώτερον.

Miserabilius est gloria vana nihil.

De altero vero Phocylides nos rectè monet, hoc dicto:

Μὴ φθονέῃς ἀγαθῶν ἑταίροις, μὴ μῶμον ἀνάψῃς.

Ne invideas bona sociis, ne affigas vituperationem.

Rectius Homerus, qui, ut canit Flaccus,

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat.

UMBRA

XIX.

UMBRA TANTUM.



Vmbram, non fructum Platanus dat: Sic quoq; multis
Vana alios specie ludere sæpè placet.

Sunt

SUNT *nonnullæ plantæ, quarum flores noctu tantum, ut Hesperidis, aliæ ad auroram, ut Genistæ Hispanicæ vel Italicæ dictæ arborescentis, gratum odorem spirant, quarum flos deinceps sole superveniente, potiss. fervidiore, plane redditur inodorus. Cujus rei caussam Theoph. & alii referunt in humidi ac sicci tenuitatem ac paucitatem, quæ ambo aere diurno calidiore superveniẽte facile dißipentur. Admonemur hoc symbolo, labore ac industria in laudabilibus rebus universis vel addiscendis vel gerendis opus esse, non desidia ac procrastinatione. Inprimis vero indicatur, horas matutinas (cum diluculum etiam in sacris litteris accuratum studium & rem maturè procuratam significet) & tempestivas, ad studia liberalia ac Musas excolendas esse convenientißimas. De quo hæc Hendecasyllaba doctiß. Ioannis Sambuci plura erudite admodum subiiciunt.*

Quod tempus studiis severiores
Certatim tribuunt, feruntque amicum?
Est aurora parans viam diei,
Nondum cum radiis sequens coruscus
Sol, pastos revehit suos jugales.
Tum nulli impediunt graves calores,
Vexant frigora nec molestiora.
Ergo qui sitiunt sacros liquores,
Auroram studiis colant amicam.

Notus est omnibus Hesiodi versus:

Ἠὼς γάρ τ᾽ ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν.

Aurora enim operis tertiam sortitur partem.

1. oper. ubi & alia plura huc pertinentia leguntur.

Huc pertinet, quod noctem Græci εὐφρόνην *appellarunt, teste Plutarcho* περὶ πολυπραγμοσύνης, *& Clemente Alexandrino in protreptico. Alibi legitur,* TOLLE MORAS, *ex Lucani versu.*

MUSIS AURORA BENIGNA.



Noctis odorata est magis isthæc tempore planta:
Tu quoq; noctem adde his, si qua placere voles.

XXI.

IN *omnibus rebus bene agendis ac recte administrandis nimia vehementia, & austeritas summopere improbatur, at contrà facilitas quoque modum omnem excedens non parum nocet, mediocritas vero, sicut aliis in rebus universis, hîc quoq; locum habet & plurimum commendatur, æquanimitas scilicet quædam ac benevolentia conveniens. nam & ramus paulatim flectendo obsequitur, vi autem attractus rumpitur. Præclarè Terentius in Adelphis:*

Et errat longè mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse aut stabilius
Vi quod fit, quàm illud quod amicitia adjungitur.

Sapienter etiam nutrix ad Octaviam de Nerone apud Senecam Trag. Vince, inquit, obsequendo potius immitem virũ. Apud Ciceronem sane plura in eandem sententiam passim occurrunt. Et noti sunt Ovidii huc pertinentes versus:

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus:
Frangas, si vires experiare tuas.

Pulcerrimè Chrysostom: Οὐδὲν ἐπιεικείας δυνατώτερον. καὶ τοῦτο δηλῶν τις ἔλεγεν, ὅτι λόγος μαλακὸς συνκλαύει ὀστᾶ, καίτοι τί ὀστοῦ σκληρότερον; ἀλλ᾽ ὅμως κἂν οὕτω τὶς σκληρὸς ἢ καὶ ἀκαμπὴς, ῥᾳδίως ὁ μεθ᾽ ἐπιεικείας αὐτῷ χρώμενος διορθοῖ. *Nihil lenitate potentius. Et hoc significare voluit, qui dixit, quod sermo mitis confringat ossa. Quid vero osse durius? Et tamen quanquam adeo quis sit durus & inflexibilis, illum facile emẽdabit, qui placidè & leniter tractaverit.*

OBSE-

OBSEQUIO, NON VI.



Frangere vi mavis, quàm lentè flectere ramum?
Est tractare homines molliter artis opus.

PAULUS *Iovius in Dialogo suo Italico de symbolis, historiam exponit memorabilem & observatione perquam dignam, de quodam Comite Nicolao Campobaßio sub Carolo Duce Burgundiæ militante. Cum enim in quadam gravi deliberatione de bello gerendo, Dux supra modum alioqui etiam iracundus, libertate loquendi ipsius offensus alapam illi inflixisset, Comes nunquam memoriam postea hujus injuriæ potuit deponere, sed tacitus semper apud se quæsivit aliquam occasionem sese ulciscendi. Quæ sane optata post longum temporis intervallum tandem in prælio ad Novesium commisso ipsi sese obtulit, quo voti sui cõpos factus est. Nam Renatum Ducem Lotharingiæ clam certiorem reddidit, quo sine mora cum Helvetiis Carolum Ducem eo tempore cum omnibus viribus aggrederetur; nam se velle cum suis militibus ad ipsius tum partes transire, & ociosum prælii exitum spectare. Quod cum illi ex animi sententia successißet, hoc modo caussa extitit ut Dux Carolus ab hoste superatus & deniq; occisus fuerit. Quo facto idem Comes cum suis omnibus ad Ludovicum undecimum Regem Galliæ se contulit. Vnde in suo vexillo postea gestavit Caprificum, marmoreum quoddam antiquum monumentum sua vi innata per medium findentem, de quo Martialis lib. X.* Marmora Messalæ findit Caprificus &c: *non veritus ex hac tam insigni perfidia à nimia cupiditate vindictæ profecta, cum exigua quidem sua laude famam nominis sui conquirere. Quod exemplum non contemnendum merito principes ac magni viri considerare debent, ne ex nimia ira in suos ministros aliquid præter rationem statuant, ac in ipsos plus æquo duriores postea omnis injuria redundet.*

INGENTIA MARMORA FINDIT.



Quamvis dura, tamen caprificus marmora findit.
Contemnas hostem, si sapis, ipse cave.

Ramorum

RAMORUM *hîc decussatim se mutuo complectentium, unus est palmæ, qua arbore, ut notum est, in victoriis usi sunt veteres, quod plures nummi, statuæ & picturæ antiquæ satis abunde ostendunt; ejusq; rei reddit rationem Plutarchus in VIII. Symposiac. quam ante ipsum Aristoteles quoq; probavit, nimirum arboris istius esse eam proprietatem, ut urgentibus prementibusq; ponderibus præ aliis non facile cedat. Alter vero ramus est Cupressi, quæ funeribus fuit destinata, secundum Lucanum,*

Et non plebejos luctus testata Cupressus.

Vnde Thucydides lib. II. perhibet arcas ex Cupresso tanquam ligno longo tempore durante, nec cariem aut corruptionem sentiente, fuisse efformatas eorum, qui pro patria in bello Peloponnesiaco contra Spartanos mortem oppetere non dubitassent. Quo symbolo rectissime ostenditur, virum fortem & patriæ inprimis amantem nihil aliud sibi proponere in bello justo gerendo, quam aut præclare pugnando vincere, aut laudabiliter succumbendo mortem oppetere. Quapropter hoc symbolo uti voluit admodum apposite & ingeniose, in suis signis sive vexillis militaribus, animosus heros Marcus Antonius Columna, nepos illius celebris ac magni Ducis Prosperi Columnæ, eo tempore, quo Ravennam contra impetum horrendum & max. vim Domini de Fois Polemarchi Gallici fortiter defendit. De quo studiosi historiarum plura legere poterunt tum apud alios, tum Iovium lib. X. suæ Historiæ.

XXIII.

ERIT ALTERA MERCES.



Vincere pro patria, vel pulcra occumbere morte
Fortis amat: ramus quod monet iste duplex.

Accepi-

ACCEPIMUS *hoc ex doctißimi Adriani Iunii Emblemate IX. in quo refert, Plutarchum in libello, quem de silentibus Pythiæ oraculis conscripsit, perhibere in Oeco, (quod ædificium à Cypselo tyranno consecratum fuit) inter Templi istius anathemata extitisse palmam æneam, ad cujus radices insculptæ visebantur plurimæ ranæ, & natrices, quos hydros nominant. Quo typo existimat idem Iunius (quamvis Plutarchus aliter explicet) indicari eos, qui invidis linguis & exitiali maledicentiæ veneno armati, probos ac integros vitæ viros non obliqua, ut sæpè fieri solet, sed recta via ac ratione ad honores & dignitates tendentes, evertere & omnibus bonis exuere tentant, attamen frustra. Nam innocentia ac virtute sua freti ac muniti invidorũ morsus & calumniatorum obtrectationes facile spernunt ac retundunt, & tantundem curant, quantum Luna latratum canis, ut est in proverbio. Palma enim ardua primæq; nobilitatis arbor, frondibus nunquam vidua, homines ad magna tendentes aptissime exprimit, ad cujus radices ranæ plurimæ odiosa sua coaxatione omnibus molestæ, calumniatorum mores optime exprimunt, & hydri nullis serpentibus veneno inferiores (si Plinio credimus) virulentos invidorum sibilos designant. De quo insuper ejusdem Iunii eruditos versiculos subjicere, breviter hæc explicantes, visum fuit.*

Palma caput tollit cœlo ardua, cujus ad ima
  Rana loquax, stabulantur & hydri.
Oppugnant proceres, quorum via consona recto est,
  Degeneres, atq; invida lingua.

INVI-

XXIV.

INVIDIA INTEGRITATIS ASSECLA.



Quantum palmæ hydri possunt ranæq; nocere,
Tantundem invidiæ virus obesse probis.

XXV.

HORATIUS *lib. IIII. oda IIII. fortitudinem gentis Romanæ, ore etiam ipsius hostis Annibalis celebratam fuisse scribit, ut quæ bellica virtute illustris, post æquatam solo Troiam in Italiam vexerit natos virosq́, nec non deos penates: & postea addit,*

Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Nigræ feraci frontis in Algido,
Per damna per cædes ab ipso
Ducit opes animumq́; ferro.

Indicare hoc voluit poëta, Romanos per bella, clades ac cædes, cõtra suos hostes semper aliquid sumsisse viriũ, & inde ipsorum potentiam latius crevisse auctamq́; esse: Quod & Latinus Rex II. Aen. de Romanis commemorat. Hoc itaq; symbolum admodum ingeniose sibi accommodavit Magnanimus iste & Illustris heros Marcus Antonius Columna, & ipse genere ac origine Romanus, cujus invictus animus ex suorum adversariorum contra ipsum machinationibus susceptis, semper quoq; crevit, atq; hoc modo ad majores dignitates subinde pervenit, quod inprimis testatur memorabilis illa victoria navalis Christianorum contra Turcas Anno M. D. LXXI. Non. Novembris prope Naupactum singulari Dei Opt. Max. auxilio obtenta, in qua ipsius virtus & opera singularis, tanquam summi Romanarum copiarum præfecti inter primos quoq; claruit, qui & superioribus annis pro rege Hispaniæ in Sicilia imperium laudabiliter administrans, in ea dignitate cum publico omnium dolore ibidem diem suum extremum clausit.

PER DAMNA, PER CÆDES.



Cladibus augescit virtus animosa: Bipenni
Sic ilex vires tonsa subinde capit.

PLINIUS *lib. XVI. cap. XXXIV. scribit Hederam, potiss. candidam, arbores alias necare, omnemque succum auferendo tanta crassitudine augeri, ut ipsa arbor tandem fiat. Nam pluribus locis intercisam vivere tamen ac durare, ac totidem initia radicum habere quot brachia, quibus incolumis & solida arbores possit strangulare. Vnde etiam Laberii carmen Gnomicum extat.*

Ut hedera serpens arborum vires necat,
Ita vetustas ambitu annorum nocet.

Cujus rei significatio ad varios usus potest applicari.

In illos enim non male convenit, qui suis laboribus & vigiliis, etiam cum jactura valetudinis, de plurimis bene mereri cupiunt, & ut alii floreant ac vireant, ipsi etiam quasi consumi & exarescere non dubitant. Alius vero sensus est, quando quispiam magnis ac principibus viris fideliter inserviens, ipsorumq; sola commoda respiciens, illis declarare cupit, se ad suorum dominorum cõmoda promovenda ac exequenda, nulla pericula, vel mortem denique ipsam subterfugere aut abhorrere. Nonnulli quoq; ad suos quosdam amores referunt. Apud Paradinum vero additur, IMPROBITAS SUBIGIT RECTUM. *Nam sicuti ab Hederæ complexu nimis arcto arbor tandem suffocatur ac perit, ita sæpe actio nimis callida ac improba etiam justæ caussæ nocere ac vim afferre solet. Illustris D. Franciscus Hurtadus de Mendozza Comes Montis Acuti, Regis Hispaniarum Legatus ad Maximilianum II. Imperator. hoc symbolo cum Italico dicto usus est,* COSI MORIR MI PIACE.

XXVI.

SIC PERIRE JUVAT.



Mens generosa aliis se totam impendere gestit:
Quidni? Tali ipsam morte perire juvat.

GALLUS *gallinaceus, ales vigilantissima, secundum Lucretium*

Auroram clara consuetus voce vocare,

ad Laurum dicitur libenter advolare, ibique consistere, quod ea arbor, (ut veteres crediderunt) à fulminis vi immunis esse existimetur, solemq; intuens liber & absq; solicitudine & insultu aliarum avium cantando sese eo in loco oblectare. Ad eundem modum pii continenter & ubiq; divinæ protectioni se commendantes, & in unicam Dei æterni providentiam & auxilium intenti, vigilanter & alacriter munere ac officio suo fungi, nec rerum adversarum impetus quantumvis horrendos extimescere debent, secũdum Psalmi sententiam,

Qui Dominum metuunt, castris cœlestibus isti
Sunt tuti, & tegit hos Angelus ipse DEI.

Verissimè igitur Nazianzenus: ἕν ἐστιν ἐν τοῖς οὖσι τὸ μόνιμον, ἡ πρὸς θεὸν ἐλπίς: τὰ δὲ ἄλλα πάντα, οὐχί ἐστι τῇ φύσει, ἀλλὰ νομίζεται: *Vnum est in rebus stabile ac firmum, spes videlicet in Deũ: reliqua vero cuncta haud natura subsistunt, sed opinione. Confidunt igitur boni in divina providentia, atque ita mirabiliter proteguntur; at improbi contra juste puniuntur. De quibus innumera exempla & historiæ plurimæ ubique tam in sacris quàm profanis libris unicuiq; sese offerunt.*

XXVII.
UNDIQUE TUTUS.



Gallus amans lauri vigili ſolem ore ſalutat:
Sic à cœleſti mens pia pendet ope.

CUM in Hispaniam ad aulam Regis Philippi se conferre statuisset primogenitus filius Alphonsi Marchionis Vastii, hæres nominis & ditionis magni illius ducis militaris Ferdinandi Marchionis Piscariæ: in quo juvene patris ac patrui ac aliorum suorum majorum signa haud vulgaria gloriæ ac virtutis tum apparebant: Paulus Iovius ingeniosè illi hoc symbolum excogitavit, laurum nimirum arborem, antiquum familiæ Davalorum insigne, in qua aliquot rami majores videntur abscissi, inter reliquos vero florentes unus præ aliis eminet aliosque superat. hæc enim arbor dedicata victoriis ac triumphis est. unde eum admonere voluit, ab eo quoque nihil nisi magnum ac memorabile more majorum suorum jam defunctorum expectari. De Laureto autem isto, unde Triumphales lauros decerpere Romani consueverunt, hæc apud veteres litteris produntur. Liviam olim post Augusti statim nuptias, Veientanum prædium suum revisisse, ibique gallinam illi albam, quæ ramulum lauri rostro tenebat, à prætervolante Aquila, quæ eam rapuerat, in gremium demissam; cumque nutriri alitem, pangique ramulum placuisset, tantam pullorum sobolem provenisse, ut Suetonius initio Galbæ, ad sua usque tempora villam eam ad Gallinas vocitatam testetur. Ejusmodi quoque eo in loco lauretum crevit, ut triumphaturi Cæsares inde boni ominis caussa laureas semper decerperent. Hæc autem an vere ita acciderint, vel in gratiam Augusti fuerint paulo splendidius quàm res ipsa se habuerit, excogitata, hoc loco disputare non est necesse.

XXVIII.
TRIVMPHALIS E STIPITE SURGENS.



Hoc monet annoso lauri ortus stipite ramus:
Magnis natus avis nonnisi magna paret.

ARBOR *Medica sive Citria tum florum suaviss. tum fructuum odoratiss. gratia celebris, quos contra venena magnam habere efficacitatem experientia testatur, non facile adolescit, nisi calore solis admodum valido foveatur ac sustentetur. quare in locis frigidioribus ac septentrionalibus non facile provenit. Vnde docemur unicuiq; regioni Deum Opt. Max. sua peculiaria dona concessisse, quibus, si saperet, posset forsitan esse contenta. Quare proverbii loco quoque dicitur, Si cœlum dissentiat, frustra fieri fundum; ac Catullus recte ait,*

Firmat sol, educat imber.

Item Virgilius in Georg. lib. 1.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ, &c.

Et II. Georg.

Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt.

Quæ doctissimus Costæus in libro suo de universa stirpium Natura II. copiosius explicat hisce verbis. Est igitur aëris proprietas, (quæ potiss. à sole proficiscitur) quam Theophrastus inter caussas generationis plantarum refert, varia quædam cum subjectis rebus & cum terra proportio, ignota illa quidem nobis qualis sit, sed ex eventu frequentissime observata. Quod etiam doctissime annotavit Vitruvius lib. VIII. suæ Architecturæ, proprietates inquiens singularum terrarum in regionibus ad solis potestatem temperari. Quapropter illi quasi vim inferre Naturæ videntur, qui in loco aliquo boreali ac nimis frigido omnia sine discrimine, quæ in calidissimis locis solent sua sponte tantum provenire, arte quadam, quæ tamen sæpe fallit, tam coacervare quam conservare in longum tempus se posse arbitrantur.

SOLVM A SOLE.



Quodq; suo locuples est munere, pluribus orbum,
(Tàm varium Solis vis facit alma) solum.

OCCASIONEM *huic symbolo præbuit fabula illa poëtica de Amygdalo arbore, quam talem veteres mythologi finxerunt. Cum Phyllis hospitio recepisset Demophoontem exulem ac vagabundum, amore ipsius capta maritum sibi elegit. Hic paulo post coactus peregre abire ad expedienda sua quædam negotia, certo promisit intra unum mensem se rediturum esse, at cum insuper adhuc alios tres menses reversionem suam distulisset, Phyllis tam longæ moræ impatiens, (cum, secundum Ovidium, credula res amor sit) ac se delusam ab ipso suspicata, cum antea epistolam quandam ad ipsum conscripsisset, sibi ipsi mortem conscivit, eamq; postea in Amygdalũ aridam conversam fabulæ fingunt. Cumq; Demophoon tandem reversus, ac de tam funesto casu certior redditus, subito ad arborem venisset illamq; complexus esset, ajunt in signum læticiæ eam cœpisse virescere ac florere. Additus est Turtur in trunco sedens, qui & ipse castitatis & constantis amoris typus habetur. Apparet autem hoc symbolum eo venustius, quod hemistichium appositum sit desumtum ex Epistola ipsius Demophoontis à Sabino poëta vel alio composita instar responsionis ad Phyllidis Ovidianam. Quo mythologicè voluerunt poetæ commendare constantiam, amorem & prioris vitæ memoriam stabilem, in marito superstite erga conjugem defunctam, & contra. Hinc Nutrix apud Senecam:* Amor perennis conjugis cassæ manet. *Alibi adjectum legitur eodem sensu,* OMNIA NON ANIMUM, *aut* PECTORE VEL IMO LATET.

NEC

XXXI.

NEC DUM CES-SAT AMOR.



Omnia cum rapiat mors, non extinguit amorem,
Quo devincta sibi est usq; marita fides.

XXXII.

V*ITIS avulsa ab ulmo, quâ antea sustinebatur, & umbra frondium ipsius non parum recreabatur, humi jam prostrata sine adminiculo isto fructus maturos producere nequit. Notus enim est Iuvenalis versus:*

Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.

Et referuntur à Mario Victorino & Terentiano versus veteris poëtæ Sereni:

Si qua flagella jugas ita juga,
Vitis & ulmus uti simul eant.

Hoc quidem Emblemate significatur in omnibus rebus semper unum indigere alterius ope ac auxilio. Quod quidem potissimum locum habet inter probos & pios homines, in quibus charitas omnia præstat & implet. Quod eleganti admodum similitudine D. Chrysostomus in Matthæum Homilia L X X I X. *explicat, quando ait: Si in rebus secularibus nemo sibi vivit solus, sicuti opifex, miles, agricola, mercator, ad communem usum proximi omnia conferunt; multo magis in spiritualibus hoc faciendum. hæc enim maximè vita est, aliis prodesse. Nam qui sibi vivit, cæteros negligens, & vita ejus supervacua est, & ipse superfluus homo generis nostri. Ideo quoq; ratione & oratione nos ornavit* D E U S, *mentem & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, ut his omnibus & nos & proximum juvemus. Hæc ille. Quod unico versu D. Nazianzenus complexus est.*

Ἀλλήλοισι χέρες τε καὶ οὔατα καὶ πόδες ἐσμέν.

Vnde etiam Platoni dicuntur homines ζῶα πολιτικὰ, *id est, animalia civilia & ad societatem nata, quandoquidem sola vivere sine mutuo auxilio non possunt. Vnde etiam proverbium vulgare natum,* UNUS HOMO, NULLUS HOMO.

OPIS INDIGA.



Stratus humi absentem palmes sterilescit ob ulmum.
Indiget alterius quilibet auxilio.

De vehementi ac continuo attritu lignorum ignem tandem excitantium ita scribit Plinius lib. XVI. cap. XL. Calidæ sunt & morus, laurus, hedera, ac omnes ex quibus igniaria fiunt. Exploratorum hoc usus in castris pastorumq; recepit, quorum ad excudendum, vel, ut alii legunt, excutiendum ignem, non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno, ignemq; concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum facilime concipientium. Sed nihil hedera præstantius quæ teratur, lauro quæ terat. Hæc ille; & rem similiter confirmat Seneca lib. II. Natural. c. XXII. Duos tamen bacillos lauri hoc etiam præstare experientia testatur, & qui de Indiis scripserunt, idem adhuc cum aliis lignis calidioribus ibidem fieri perhibent. Hoc vero inventum, ut alia multa, Mercurio tribuit hymnus græcus ad ipsum scriptus, qui Homeri esse putatur. Sic etiam arboribus sylvarum ventorum vi inter se collisis ignis elicitur, unde Lucretius lib. V.

Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdum flammai fervidus ardor,
Mutua dum inter se rami stirpesq; teruntur.

Non aliter ex potentiorum dissensione & ira semper graviora quàm aliàs pericula oriri certum est, unde Guilhelmus Paradinus (ex quo hæc desumsimus,) proverbium alterum quoq; allegat, Dura duris non quadrare in opere sartorio. Alibi legitur, FLAMMA EST RECLUSA TERENDO. *Apud Paradinum vero habetur,* FLAMMESCIT UTERQUE.

VIM

XXXIII.

VIM EX VI.



Damna dat atq; facit vis vi collisa potentum:
Ramorum attritu ut flamma resultat edax.

VLMUM *proceram arborem vitibus solere adjũgi, & olim usitatum fuit, & nunc etiam ubique in Italia, præsertim in Campania felici circa Neapolim, fieri consuevit. Quamvis vero hæc senio jam arefacta, & vigore pristino destituta, nihilo minus tamen vitem retinet, ac sustentat, non aliter ac antea crescens & virescens factitare solebat. Ita etiam amici nobis comparandi, qui nec rebus adversis, nec temporum diuturnitate, neque locorum distantia, vel ulla denique re à nobis temere desciscant, & nos amare desinant. Quod Phocion ille sapiens Græcus apud Stobæum nos facere jubet,* ζητεῖν, *inquit,* δεῖ καὶ ἄνδρα καὶ τέκνα καὶ φίλους τοὺς κατὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ βίου παραμένοντας, *Id est, Quærendos esse virum & liberos & amicos, qui ad exitum vitæ usque tales permaneant. Quæ omnia eruditissimus Alciatus in suis Emblematis ex græco Epigrammate convertens ad hunc modum exposuit.*

Arentem senio, nudam quoque frondibus ulmum
 Complexa est viridi vitis opaca coma.
Agnoscitque vices naturæ, & grata parenti,
 Officii reddit mutua jura suo.
Exemploque monet, tales nos quærere amicos
 Quos neque disjungat fœdere summa dies.

Quo spectare quoq; videntur Catulliani versus nuptiales.

 Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
 Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam.
 Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci.
 At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
 Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci.

In aliis additur eodem sensu, ET ARIDA TECUM.

XXXIV.

AMICUS POST MORTEM.



Quamlibet arenti vitis tamen hæret in ulmo:
Sic quoque post mortem verus amicus amat.

Laurum

LAURUM *custodiæ quoque ac incolumitatis esse symbolum ex Proclo tradit Pierius, unde apud veteres tutelæ caussa sata prope ædes vel illis affixa fuit, quod etiam Ovidius testatur, cum dicit,*

Postibus Augustis eadem fidissima custos.

Eamq; insuper non lædi à fulmine, Plinio etiam astipulante, vetustas credidit. Vnde Tiberius Imperator Romanus tempestates & coruscationes nimium expavescens, cœlo turbido lauream sibi solitus est imponere, non aliter ac Augustus ante ipsum nescio qua superstitione, ex vituli marini pelle in eundem finem cingulum gestare consuevit. Herodianus quoq; scribit lib. I. in maxima peste, consulentibus Medicis, Commodum Imperatorem ob copiam arborum istarum in locum, cui nomen Laurentum, secessisse, quod beneficio harum arborum se à contagio immunem fore speraret. Sed & hæc & multa alia nō cuivis nota de Lauru admodum poeticè disserit Passeratius in Kal. Ian. Ad eundem modum, virtus, cuius omnis laus in actione posita est, (secundum Ciceronem) per se munita ab omnibus non solum vitiis, sed aliis rebus adversis, semper illæsa ac integra durare solet, aliisq; universis commoditatibus est præferenda. Vnde Horatius carm. lib. III. ode II.

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit, aut ponit secures,
Arbitrio popularis auræ, &c.

XXXV.

INTACTA VIRTUS.



Sic illæsa malis constat pulcherrima virtus:
Laurus ut est diris integra fulminibus.

EXCELLENTISS. *ac peritißimus Medicus D. Prosper Alpinus, qui octo annis in Aegypto Medicinam feliciter exercuit, & nunc magna cum laude Venetiis artem eandem factitat, veram Balsami descriptionem & locum natalem in suo præclaro libro de plantis Aegypti, & peculiari dialogo de Balsamo edito, unà cum ejus icone, primus ut puto hisce temporibus nobis cum magna utilitate exhibuit, manifesteque ostendit, hunc fruticem in Arabia felici proprie nunc etiam nasci, ac inde in Aegyptum ac Iudæam semper translatum esse, ac ita qui velint, legitimum nancisci & habere æquo precio posse. Ex hoc frutice liquor iste nobiliß. (cujus portiunculam quoque ad nos mittere dignatus est) vulnerato vel scarificato cortice in æstate destillat, & hodie etiam in Aegypto illius magnus usus est ad omnia vulnera ac ulcera difficilia ac sordida, aliosque plures ejusmodi affectus. Docemur autem hoc Emblemate de mutua inter homines præstanda benevolentia ac promta opera, etiamsi interdum aliquid propterea laborum & molestiarum sit suscipiendum. Nihil enim (ut Cicero lib. I. de Natura Deorum tradit) bonitate ac beneficentia est melius aut præstantius. Quod quidem S. Paulus multo efficacius ac verius in Epistola ad Coloss. cap III. monet,* ἐνδύσασθε *inquiens* σπλάγχνα οἰκτιρμοῦ, χρηστότητα, ταπεινοφροσύνην, μακροθυμίαν, πρᾳότητα, *id est, induite viscera commiserationis, benignitatem, animi humilitatem, lenitatem, clementiam. Et multo ante per prophetam Zachariam mandavit Deus:* ἔλεος καὶ οἰκτιρμοὺς ποιεῖτε ἕκαστος πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ.

XXXVI.

VULNERE VULNERA SANO.



Dic age cùm proprio tua vulnere vulnera sanem,
Stipite cur hominum durior hostis homo es?

VITIS *lauro fulta, rectius fructus ſuos ad maturitatem hoc modo producere poteſt, quamvis laurus ipſa quoque non parum utilitatis hominibus præbeat, atque ita utraque ſtirps non ſibi ſed aliis hanc quaſi operam mutuam tradat. Quapropter nos quoq;, quibus proprie humanitatis virtus competit, cuncta noſtra conſilia, ac univerſas actiones eò ſemper dirigere debemus, ut non ſolum nobis ſed aliis quoque prodeſſe poſſimus. Nihil enim melius neque præſtantius bonitate ac beneficentia, ut in priore ſymbolo quoq; ex Cicerone retulimus. Ex quo etiam apud eundem autorem altera præclara ſententia, deſumta ex epiſtola Platonis ad Archytam, lib. I. de Officiis legitur: Non nobis ſolum nati ſumus, ortusq; noſtri partem patria, partem parentes, parem amici vendicant. Et quæ ſequuntur. Similiaque apud eundem reperias etiam in lib. de amicitia & alibi. Præclarè itidem Vlpianus IC. ſcripſit, non tantum parenti ſuo quemque naſci, cujus eſſe dicitur, verum etiam Reip. Hæc igitur ad varia officia mortalium ſibi mutuo inſervientium referri poſſunt: pertinentq; huc omnia, quæ de* CHARITATE *ac amore tam ſacræ quàm profanæ nobis litteræ proponunt.*

SIC

XXXVII.

SIC VOS NON VOBIS.



Pingitur in lauri vitis cur ſtipite nixa?
Sæpe etiam docti munere dives eget.

EXPRIMITUR *hac pictura Pinus in Oleam inserta, circa quam duo serpentes circumvolvuntur, non aliter ac in Caduceo Mercurii depingi solent. Olea itaq; consecrata Minervæ sive Palladi Iovis filiæ, (ut poetæ allegoricè fabulantur,) tanquā sapientiæ præsidi dicitur. Mercurius vero ipse quoq; Iovis filius, actionibus ingeniosis ac laudabilibus præesse perhibetur. Voluit autem doctissimus Ioannes Baptista Pigna, (quemadmodum Hieronymus Ruscellus in suis Italicis symbolis refert) hac inventione ingeniosa uti, posteaquam summa cum laude diu in Academia Ferrariensi publice bonas Artes docuisset, ac tandem totum sese tradidisset Duci Ferrariæ, cum quo à pueris fuerat educatus, ac deinceps principi isti in max. ac graviss. negotiis semper fidelem navasset operam. Hinc per Iovem voluit intelligere Deum Opt. Max. à cujus divino auxilio ac providentia sese totum pendere, illiq; omnia accepta referre ingenue fatetur. Per terrestrem vero Iovem ipsum Ducē Ferrariensem herum suum designare studuit, atq; ita hac duplici ope sperabat se ad utrumq; genus vitæ, theoricum nimirum, ut vulgo vocant, ac practicum aspirare posse, in quorum conjunctione legitima non dubitabat certò consistere, non solum secundum Peripateticos, sed etiam sacratiss. litteras, veram & absolutam hominis felicitatem. Inscriptio,* MODO JUPITER ADSIT, *Anchisis vox est apud Virgil. III. Aen.*

XXXVIII.

MODO IVPITER ASSIT.



Vt sapias rectè & facias, Deus efficit: Ejus
Auxilio plena lance beatus eris.

INTER *plura genera vitium, refert Plinius lib. XIIII. cap. III. quoddam etiam peculiare reperiri, nullo plane indigens fulcro alterius arboris aut palis, sed quod ipsum sese sustineat, unde etiam à Græcis* ὀρθάμπελος, *id est, vitis recta nominatur. Strabo vero de mira vitis talis craßitie lib. II. & lib. XVII. ea scribit, quæ prope fidem communem superant. Hæc profecto imago est accommoda veræ* αὐταρκείας, *id est illius qui contentus est suis rebus suiq́ue ingenii dotibus, neq́ue ab aliis temere pendet. Quas maximas divitias certißimasq́ue nominat Cicero in Paradoxis. Et Lucretius inquit:*

Divitiæ grandes homini sunt vivere parcè
Æquo animo. &c.

Quod multo rectius ac plenius D. Paulus paucis docet. ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας, *inquit,* ἡ εὐσέβεια μετ' αὐταρκείας, *id est, Quæstus autem magnus est pietas cum animo sua sorte contento. Et Syracides cap. XL.* ζωὴ αὐτάρκους ἐργάτου γλυκανθήσεται, *h. e. Vita operarii, cui quantum satis est suppetit, dulcis erit. Tam magni autem veterum nonnulli hanc* αὐτάρκειαν *fecere, ut teste Theodoreto in libro contra Græcos infideles sermone XI. in quo tractat de fine & judicio, in ea ultimum hominis quidam philosophi, autore Hecatæo, bonum statuerint. Quò pertinet etiam præclara sententia in Olympiis Pindarica hæc:* Ὑγίεντα δ' εἴτις ὄλβον ἄρδει, ἐξαρκέων κτεάτεσσι, καὶ εὐλογίαν προστιθεὶς, μὴ ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι, *id est, Sanam autem si quis opulentiam irriget, contentus iis quæ conquisivit, laudemq́ue adjungens, ne quærat Deus fieri, vel ultra humanam sortem sese extollere.*

XXXIX.

SE SUSTINET IPSA.



Vitis recta suo per se fulcimine nixa
Pingit eum, sua sors cui satis est, animum.

QUERCUS *glandibus fœcunda indicat primum seculum frugale, & simplex, quod, ut Ovidius cecinit,* ——— vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem, rectumq; colebat:

Quod inde aureum fuit nuncupatum. Adjungitur huic arbori palma sua sponte quoq; uberes adeo fructus ad usum hominum præbens. Ac sicuti hic duplex fructus illis felicibus temporibus absq; ullo labore quæsitus gratiss. passim mortalibus fuit cibus, ita etiam virtus ipsa ac honestas, quæ tum pleno, ut dicitur, gradu in terris florebat, animis eorum fuit alimentum suaviss. Descriptionem vero quatuor ætatum admodum luculentam, qui volet, legere poterit apud Ovidium lib. I. Metamorphos. Itemq; apud Hesiodum lib. I. ἔργων καὶ ἡμερ. *Quemadmodum vero omnes probi ac virtutis amantes tale sæculum quidem summopere exoptant, ita sperare vel expectare in posterum haud licet: de quo multorum etiã quærelæ extant, & apud Senecã in Tragœdia Thyeste Chorus exclamat.* ——— in nos ætas
Ultima venit. ô nos dura
Sorte creatos! ———

Quod nostro huic calamitosiss. tempori multo rectius convenit.

Alii sacratiorem inde sensum eliciunt, quod nimirum post originalem justitiam lapsu primorum parentum amissam, in hoc mundo non liceat amplius sperare perfectionem absolutam & aureum seculum, sed istud nobis partum à CHRISTO *unico nostro salvatore ac redemptore in altera vita æterna esse quærendum ac certo expectandum, ita tamen ut in hoc quoq; mundo, divina adjuvante gratia, aliquem illius gustum ac sensum habere incipiamus.*

SPERARE NEFAS.



Aurea in hoc frustra speramus sæcula mundo,
Alterius sæcli quæ dabit ille Pater.

MANUS *hominis spinosissimum fruticem Rhamnum temere contrectans, ac inde seipsam vulnerans, indicat curiositatem sive* πολυπραγμοσύνην *(quam Plutarchus in tractatu de illa scripto definit* φιλομάθειαν ἀλλοτρίων κακῶν, *id est, studium cognoscendi aliena mala) non solum inutilem sed etiam sæpenumero detrimentosam esse, cum homines in aliena semper inquirere, & quæ non sui sunt officii cum magno suo damno peragere volunt. Vnde etiam recte Plautus in Sticho dixit, neminem esse curiosum quin sit malevolus: & Menandri præclara est sententia,*

Τὸ πολλὰ πράττειν καὶ λύπας πολλὰς ἔχει,
Multa facere & molestias multas continet.

Plato etiam in duobus versari justitiam adserit, τὰ αὑτοῦ πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, *& ipse Apostolus ad Thess. hoc confirmat, dum quemq; vult* ἡσυχάζειν καὶ τὰ ἴδια πράττειν.

Potest idem quoq; referri ad alias res periculorum & molestiarum plenas, quibus si frui cupiamus, multa nobis discrimina sint subeunda. Aliud Epicteti est generalius dictum, qui reliqua philosophorum dogmata, quæ ad humanæ vitæ institutionem pertinent, duobus verbis complecti voluit, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *id est, Sustine & abstine. De quo vide plura apud Gellium Atticarum noctium lib. XVII. cap. XIX.*

Ac D. Chrysostomus Homilia XLV. in S. Matthæum ad voluptates hujus sæculi hoc symbolum accommodat. Quemadmodum, inquit, acuti vepres undecunq; tanguntur ac constringuntur, manus cruentant, eodem modo deliciæ, pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris officiunt, &c. Scitè etiam Salomon proverb. XXVI. Spina condita in manu ebrii, sententia est in ore stulti.

SUSTI-

SVSTINE VEL ABSTINE.



Carpere parce meas frondes, qui singula carpis,
Vulneret audaces ne tibi spina manus.

DESUMTUM *est hoc symbolum ex eruditiss. Emblematis Adriani Iunii; cujus hæc est interpretatio. Nux pinea, quæ olim Cybelæ fuit sacrata, colliculis quibusdam inæqualis ac aspera, miræque duritiæ est, quæ vix ignis vi reserari potest: intus vero nuclei dulces latitant, non parum ad alimentum ac diversos hominum morbos utiles. Sic ad virtutem & honestatem ac laudabiles actiones non nisi per labores ac varias difficultates perveniri potest, at postea sequuntur suaviss. fructus. Quæ omnia Hesiodus paucis versibus ita eleganter complexus est, ut & Socrates eos commendet apud Xenophontem lib. II.* ἀπομνημον. *& Ciceroni quoq; vehementer placuerint, ideoque lib. VI. Epistolarum familiarium ad Leptam, monuerit amicum suum, ut filium ipsius jubeat Hesiodea ista ediscere, semperque habere in ore:*

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι. μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δὴ ἔπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.


Quos Erasmus satis eleganter vertit in latinam linguam, in Adag.

Simonides etiam apud Clementem Alexandrinum lib. IV. Stromatum, habitare virtutem δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις, *id est, in rupibus difficilimis, dixit. Ac Ovidii est præclarus versus.*

Gloria difficili parta labore venit.

Pertinet autem huc omnino proverbialis Plauti sententia: Qui è nuce nucleum esse vult, frangat nucem. *Poterit cum Hieronymo forsan & sic accipi: Qui quærit animi pabulum in arcanis litteris, scrutetur sub allegoriæ involucro conditum mysterium.*

NISI FREGERIS, HAUD LICET ESSE.



Ardua vallatur duris sapientia scrupis:
Dulcibus ast eadem fructibus illa scatet.

FRUCTUS *arboris Perseæ formam cordis repræsentare, folium autem cum lingua similitudinem habere, Plutarchus quoq; in libello de Iside & Osiride notavit, cum in Aegypto Harpocrati hæc arbor fuerit dicata, cujus veteres mentionem fecerint; & inter recentiores Carolus Clusius in suis observationibus Hispanicis diligenter descripsit ac delineavit. Plinius tamen cum Persico arbore (cujus forsitan nonnihil congener est, specie autem differt) videtur quodammodo confundere. Docemur hoc symbolo, veritatis orationem debere esse simplicissimam, ac undiq; sibi constare. unde Germanis proverbium quoque adhuc frequens est, volentibus Cor & linguam oportere unum idemq; esse. Quod utinam hodie, quoniam*

Candor in hoc ævo res intermortua pæne est,

plures diligentius observarent, cum profecto, secundum B. Nazianzeni dictum graviss. πᾶν ὃ προσποιητὸν οὐδὲ μόνιμόν ἐστι, *id est, nihil simulatum possit esse diuturnum. Videmus autem & quotidie experimur, potius jam nimis vere in multos convenire istud Ciceronis, in quadam Epistola ad Quintum fratrem, dictum, ubi ait: Multis simulationum involucris tegitur & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusq; natura: frons; oculi, vultus persæpe mentiuntur: lingua autem sæpiss. Definit vero idem Cicero Veritatem libro II. de inventione, per quam immutata ea quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Ad veritatem autem amplectendam Sophoclis est egregia cohortatio.*

Θάρσει, λέγων τἀληθὲς, οὐ σφαλῇ ποτε.

Bono sis animo, vera dicendo nunquam erraveris.

CON-

CONCORDIA
CORDIS ET ORIS.



Per sea fert cordis fructus, folia æmula linguæ:
O utinam in cunctis hæc bene juncta forent!

ALCIATI *hoc est symbolum, quod Petrus Crinitus de honesta disciplina lib. II. cap. XIV. longe ante ipsum in hunc mundum exposuit. Sata est olim Cucurbita juxta Pinum arborem procerissimam. Cum vero multis pluviis ac cœli temperamento hæc plurimum crevisset, lascivire cœpit & ramulos audacius porrigere, jamq́ in pinum serpebat & in suos ramos audebat frondes involvere, prægrandia sua poma ac virescentia ostentans. Tanto itaque fastu ac insolentia intumuit, ut pinum ipsam ausa sit hoc pacto aggredi. Et vides ait, ut te jam supero, utq́ foliis ac virore præsto. Tum pinus, quæ senili prudentia præstabat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam, sed respondit: Ego vero hic multos calores & hyemes, variasque temporis adversitates pertuli, adhuc tamen integra consisto; tu vero ad primos rigores minus habebis audaciæ. nam frondes concident, & virescere desines. Hunc apologum integrum placuit huc afferre, quãdoquidem opt. in omnis generis ardeliones & agyrtas, & avaros audacesq́ Empiricos nostrorum temporum convenit, qui si quando nescio quam momentaneam gloriam ac felicitatem suis fraudibus ac ostentationibus conquisiverint, quibus etiam probis & doctis viris audacter insultare non erubescunt, paulo post tamen ubi seriò aliquid tractare coguntur, & ad rem ipsam perventum est, concidunt ac tãquam fumi venditores ipso fumo pereunt. In illos Plauti illud in Pseudolo congruit:*

Quasi solstitialis herba paulisper fui,
Repente exortus sum, repente occidi.

Alibi apponitur, BREVIS HÆC EST GLORIA, *vel ex Martiale,* IMMODICIS BREVIS EST ÆTAS.

CITO NATA CITO PEREUNT.



Quid certat tardæ citò nata cucurbita pino?
Interitu celeri, quæ citò nata, cadunt.

CANTHARI *ac ſcarabei & hujus generis inſecta plurima ita fœtoribus ac ſordibus, ex quibus originem duxerunt, delectantur, ac illis ſuſtentantur, ut contrà odorum ſuavitate planè exanimentur ac pereant. Idcoque Roſis inſidentes ſcarabei vel cantharides torpeſcere, vel tandem emori dicuntur. Ad hunc modum molles ac effœminatos in ſuis voluptatibus ac deliciis, quæ non ſolum corpori, ſed menti quoq; obſunt, plurimumq; nocent, paulatim contabeſcere ac tandem illicito luxui interitu ſuo meritas pœnas luere conſtat. Quod Claudianus lib. II. ad Stiliconem egregie explicavit, verſibus, qui ſunt omnibus notiſſimi:*

Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper &c.

Silius quoq; Italicus breviter hæc expoſuit.

Adſpice late
Florentes quondam luxus quas verterit urbes.
Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hoſtis,
Quantum ſola nocet animis illapſa voluptas.

Pierius in ſuis Hieroglyphicis refert, Hannibali alioqui duro, ſed ob Capuanas delicias tandem effœminato, non abs re ſcutum debuiſſe offerri, in cujus medio Scarabeus fuiſſet depictus, quem undiq; roſarum ſerta ambirent, ſignificatione eadem, quam hoc ſymbolo exprimere voluimus. Hinc prudenter Muſonius elegit potius νοσῆσαι, ἢ τρυφῆσαι. τὸ μὲν γὰρ, *ait,* νοσεῖν μόνον βλάπτει τὸ σῶμα. τὸ δὲ τρυφᾶν ἄμφω διαφθείρει, ψυχήν τε καὶ σῶμα: *Morbus corpori ſolum nocet: at luxuria utrumq; corrumpit, & animam & corpus.*

TURPI-

XLVI.

TVRPIBVS EXITIUM.



Cantharidum rosa mors. Sic luxus deliciæq;
Enervant animos eripiuntque virûm.

Desumtum

DESUMTUM *est hoc ſymbolum ex Horatii verſibus,*


Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Monemur autem hîc inprimis, vino eſſe ſobrie ac ἐπισταμένως, *(ut loquitur Theognis) utendum, ad virium debilitatarũ recreationem & letitiam quidem, ſed non ad ebrietatem, quod etiam ubique in ſacris litteris ſerio nobis proponitur ac explicatur. Vnde D. Baſilius in ſua luculenta quadam de Ebrietate oratione, hanc non immerito vocat* ἀκρόπολιν, *id eſt, arcem omnium flagitiorum. & Athenæus lib. X.* μητρόπολιν πάντων τῶν δεινῶν. *Quod ut ubique hominibus inculcatur: ita certe deplorandum eſt, nihilominus hoc vitium maximè deteſtandum adhuc eſſe non ſolum nimis commune, ſed apud multos ferme haberi virtutis loco, cui etiam præmia proponantur, ut olim ab Alexandro M. & Mithridate factum accepimus, iis qui plurimum biberint. Explicat autem adhuc melius hoc ſymbolum carmen quoddam in Microcoſmo, libello elegantiſsimo nuper impreſſo Antuerpiæ, hiſce verſibus:*

Tres vitis profert uvas, tria pocula menſæ,
    Si circumſpicias, appoſita eſſe vides.
Muta tribus vicibus docet hæc pictura bibendum:
    Scilicet ut ſedent pocula prima ſitim,
Altera rancorem crudo de pectore pellant,
    Firma valetudo quo tua membra beet;
Tertia ſed miſce tibi pocula propter amicos,
    Inter quos maneant gordia vincla decet.

Eubuli autem Græci Comici in eandem fere ſententiam verſus latinè vertit Henr. Stephanus.

SIT MODUS IN REBUS.



Sit tibi, ne noceat, vini moderatior usus:
Prima sitim, curas altera pocla levent.

SCIPIO *reversus ex Africa, & primus triumphaturus de Hannibale, jussit ut milites octavæ legionis, qui primi etiam castra Carthaginensium oppugnaverant, ac Ducis eorum insignia abstulerant, non solum die triumphali manu gestarent fasciculum rosarum, sed inposterum quoque in clypeis similiter depictas rosas usurparent. Posterior quoq; Scipio post expugnationem & destructionem ultimam potentissimæ urbis Carthaginis, voluit milites undecimæ legionis, qui etiam ipsi ante alios omnes muros conscendissent, easdem Rosas in suis armis & scutis gestare, atque hoc modo cum ipsius Scipionis curru triumphali undique rosis similiter exornato urbem ingredi. Sic apud Homerum legitur Achillis scutum rosis fuisse insignitum, nec non cassides Hectoris atq; Aeneæ. Rosæ itaq; hoc loco nondum plane maturæ ac apertæ indicant allegorice juvenilis animi, heroica virtute præditi in principe expectationem singularem, qui ratione ætatis sua consilia ac facta nondum omnibus potest probare nec cũctis innotescere. Additur autem supra rosarum fruticem in regione cœlesti signum Arietis, quod veris tempus amœnum nobis solet adducere, & illi quasi præesse, quo tempore Rosæ maxime florent, & ob suaviss. odorem inprimis expetuntur. Non igitur sine ratione hoc symbolo uti in sua juventute Virginius Vrsinus filius Pauli Iordani, eoq; innuere voluit, magnam spem se collocare in benevolentia ac gratia sui avunculi Cosmi Medicis Magni Ducis Hetruriæ, cui Arietis signum, ut etiam Augusto Cæsari, fuit in horoscopo.*

BENE-

XLVIII.

BENEVOLUS ATQUE BENIGNUS.



Qui semiclauso connivent germine flores,
Dilatati, aries quando favebit, erunt.

XLIX.

EST egregia quædam planta admiratione ſane digna, ante paucos annos inter exoticas ad nos quoque allata, quæ ubique jam in hortis colitur, quam Chryſanthemum Peruvianum à loco natali, à forma plantam maximam, Florem ſolis vero propter effectum & ſimilitudinem, nominant. quidam Bellionem Plinii eſſe opinãtur, incerta tamen (meo judicio) conjectura. Hæc intra ſex vel ad ſummum ſeptem menſium ſpacium, ex quo terræ ſemen ipſius eſt mandatum, eo pervenire ſolet magnitudinis, ut humani brachii craſsitiem, & altitudinem duodecim vel plurium cubitorum excedat. Quemadmodum verò florum denſitate ac multiplici foliorum numero Pæoniæ nonnihil cedit, ita ſeminũ copia, quibus altera caret, hanc longe ſuperat. nam eorum ultra mille in uno cippo numeravimus. Cum itaq; hic flos etiam ſolem ſemper reſpiciat, adq; ejus radios ſeſe plurimum pandat, & ſuperiora ſemper reſpiciat, decet nos etiam multo magis ad verum datorem & largitorem omnium bonorum ἐπουράνιον *continuè oculos mentis attollere, nec terrenis, caducis ac voluptariis bonis quaſi humi jacentes ſemper inhiare: oſtendentes, ſecundum Platonem quoq;, nos eſſe cœleſtes plantas. Genuæ in palatio Frãciſci Leccani aliud ſymbolum pulcherrimum huic non diſsimile legitur,* E COELIS LUX, EO INTUERE. *Sic Boeth: de conſolatione.*

Quem, quia reſpicit omnia ſolus,
Verum poſſis dicere ſole m.

XLIX.

NON INFERIORA SECUTUS.




Solis ut hunc florem radiantia lumina versant;
Dirige sic mentem Christe benigne meam.

SERTUM *vel corolla ex triplici genere ramusculorum, nimirum ex Lauro, Quercu & Olea contexta, ac cuidam sacræ Aræ imposita consecrataque, allegorice nos monet ut harum arborum naturam ac proprietatem imitemur, & secundum mysticum earum sensum vitam nostram universam integritati ac pietati consecremus. Per Laurum enim Apollini dicatam, studium prudentiæ & rerum caussas investigandi intelligimus, unde Dionysius* μαντικὸν φυτὸν, *id est, arborem vaticinatricem vocat, in quem finem Lauro propter singularem doctrinam poëtæ coronabantur. nam à fulmine id est temeritate & ignorantia immunis esse putabatur. Quercus vero Iovi sacra fuit tanquam prima arborum, ac propter incorruptam ipsius materiam, & diu durabilem, fortitudinem ac constantiam animi exprimit, quibus contra sensuum aberrationes ac illecebrarum fortuitarum insidias nos munire debemus: Oleam denique Palladi attributam, pacis esse symbolum non solum Græcorum* μυθολογίαι *& nummi antiquorum plurimi testantur, sed etiam sacræ litteræ passim indicant. Post diluvium enim à Noë Columba emissa ex Arca, ac celeriter reversa surculum Oleæ attulit, quo indicio Noë lætatus, sensit diluvii tempestatem jam sedatam, & terram rursum esse ab eluvie aquarum liberatam. Inscriptio est ex Horatii illo:*

——— Rex eris, ajunt,
Si rectè facies. *Quo & Ausonius allusit:*
Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex.

SI RECTE FACIES.



E Lauro, Quercu atq; Olea duce digna corona,
Prudentem, fortem pacificumque decet.

Rosa

ROSA *inter alios omnes flores, grata ac odorata, brevi quidem admodum tempore durat, sed rursum languescens ac exarescens perit. Similis planè ratio est hujus vitæ nostræ caducæ, fluxæ ac incertæ. Vnde ex recẽtioribus quidam recte cecinit,*

Ut rosa mane viget, tamen & mox vespere languet,
Sic modo qui fuimus, cras levis umbra sumus.

Quæ quidem ad cælestem pulchritudinem illam nunquam pereuntem, animum nostrum merito debent excitare, ac ad perpetuam illius cõtemplationem nos assuefacere. Cum ibidem, (secundum S. Paulum I. Corinth. II.) ea præparaverit DEUS *diligentibus se, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, & in cor hominis non ascenderunt. Atq; hæc cupidissime expetenda, cæteris vero, si ita acciderit, moderate carendum esse indicant quoq; Gregorii Nazianzeni suavissimi versiculi.*

Θεοῦ μόνου θείων τε ἀπλήστως ἔχειν,
Ὅς τοῖς λαβοῦσι καὶ πλέον χαρίζεται
Διψῶν τὸ δίψασθαι, ἀφθόνως ἀεὶ ῥέων.
Ἐν τοῖς δὲ λοιποῖς καὶ φέρειν ἡσσώμενος.

Solum Deum & divina concupiscito,
Sumentibus qui & plura largiri solet,
Sitiens sitiri, semper affluens bonis.
In cæteris voto excidens modum obtine.

Hoc de omnibus floribus eleganter exposuit D. Chrysostomus Homilia in Genesin XLIII. hisce verbis. Quemadmodum floridum quoddam pratum varios & omnis generis flores exhibet; ita divina scriptura justorum virtutes nobis demonstrat, non ut illorum florum fragrantia brevi tempore fruamur, sed ut perpetuam inde utilitatem recipiamus, & eas in sinu mentis reponamus, ut per omne tempus, si volumus, eorum suaveolentia frui possimus.

ALITER

LI.

ALITER COELESTIA DURANT.



Ah quàm forma rosas cito deficit inclyta pulchras!
Non ita cœlestis quas Paradisus habet.

VIRGA *Aaronis, ut habetur Numer. cap. XVII. inter omnes alias virgas Principum Iſraël ſola cœpit germinare ac vireſcere, ac flores amygdali protulit, indicans Leviticæ tribus electionẽ ad Sacerdotii dignitatem peculiarem, quoniam nulla alia tribus Iſraëlitica cum ea hac in parte conferri potuit, ut quæ præ aliis ad hanc dignitatem electa fuerit, quæve tanquam amygdalus inter arbores prima florem & fructum proferret, cæteriſq; arboribus anteiret. Quam virgam ita floridam Iudaicus poſtea populus in ſuis nummis quos ſiclos vocarunt, deſignari curavit. Quod ſymbolum uſurpare Adrianus ſextus Pontifex Romanus, patria Trajectenſis in Belgio oriundus ex familia Florentia non obſcura, & hoc pacto ad familiæ cognomen alludere ſeq; præter ſuam aliorumq; ſpem ad tantum repente faſtigium fuiſſe evectum, illo docere voluit. Nemini igitur deſperandum, ſed potius ſpei bonæ ſemper incumbendum.* οὐδὲν γὰρ, *ait Chryſoſtom.* οὕτως τρέφει ψυχὴν, ὡς ἐλπὶς ἀγαθὴ, καὶ τὸ χρηστὰ προσδοκᾶν, *Nihil namq; adeo animum paſcit, atq; bona ſpes, & boni exſpectatio. Apud Gu. Paradinum aliud dictum eſt appoſitum, nimirũ,* SEMINE AB ÆTHEREO, *Comprobans divinitus electam ac conſervatam tribum Leviticam contra Dathan & Abiron factioſos, ac Aaronis ſacerdotii divinique miniſterii perturbatores.*

INSPE-

INSPERATA FLORUIT.



Floruit Aroni vi numinis arida virga.
Me quoq; florentem spes animosa facit.

PLUTARCHUS *in libello, quem inscripsit, πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελεῖτο, id est, de capienda ex inimicis utilitate, hoc symbolum docte admodum & eleganter hisce verbis interpretatur. Sicuti periti agricolæ rosas ac violas existimant se odoratiores ac meliores reddere, si allia ac cæpas juxta eas plantent, quod in ea excernatur, quicquid alioqui alimenti acerbi aut fœtidi illis inest: ita inimicus quoque excipiens invidiæ & malignitatis alterius ictus, benevolentiorem aliquem amicis secunda utentibus fortuna reddet atque commodiorem. Hucusque Plutarchus. Hæc quoque explicat doctissimus Costæus in II. libro de Natura plantarum cap. XLIII. quo in loco inquit: Sed & satione fœtidarum rerum prope flores, odore evadent suaviore, ut si allium prope rosam collocaveris. Cum enim simili omnia nutriantur, & ab allio, si quid terræ fœtidi inest, in suum trahatur alimentum, quod reliquum est purius remanet, idque in rosæ cedens nutrimentum, suavioris in ea & succi & odoris est caussa. Vt illud addam, calescere vi allii terram, proptereaque & calidius & elaboratius esse quicquid in rosam perfertur. Rectè igitur Periandri illud huc referemus: ὅσῳ γὰρ ἂν φθονῇς, τοσούτῳ μειζόνων γίνῃ πρόξενος ἀγαθῶν τῷ φθονουμένῳ, Quo magis utique invidebis, tanto majorum fies caussa bonorum illi cui invides.*

PER

LIII.

PER OPPOSITA



Livor iners ſtimulos generoſis mentibus addit;
Sic per fœda roſis allia creſcit odor.

HEDERA *vincire quasi quibusdam brachiis quicquid apprehenderit, arctissimeque continere solet. Vicissim ergo etiam murorũ rudera ea ita sustentantur, ne corruant, ac pariter quoq; ab illis conservatur ac erigitur, ut hac ratione neutrum sine altero possit consistere. Qui profectò typus est veræ constantisq; amicitiæ, de qua inprimis Cicero aureolum libellum illum conscripsit. In quo inter alia plurima præclara dicta, etiam hæc commemorat: In amicitia & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilli valent, & quod difficilius dictu est, mortui vivunt. Ac paulo post subjungit: Est enim amicus quidem tanquam alter idem. Lælius quoq; in fine ejusdem libelli commendans amicitiam, quæ fuit inter Scipionem & ipsum arctissima, tandem hæc addit: Mihi quidem Scipio, quanquam est subito ereptus, vivit tamen, semperq; vivet. Ac Seneca in Epistola LXVII. scribit: Nihil æque ægrum reficit sicuti amicorum affectus. Non video me mori cùm illos superstites reliquero. puto, inquam, me victurum non cum illis sed per illos. Pulcrè Chrysost.* οὐδὲν γὰρ, οὐδὲν τῆς ἀγάπης γλυκύτερον γένοιτο ἄν. τί γὰρ οὐκ ἂν ἐργάσαιτο φίλος γνήσιος; πόσην μὲν οὐκ ἂν ἐμποιήσειεν ἡδονήν; πόσην δὲ ὠφέλειαν; πόσην δὲ ἀσφάλειαν; κἂν μυρίους θησαυροὺς εἴποις, οὐδὲν ἀντάξιον γνησίου φίλου: *Nihil enim, nihil dilectione queat existere jucundius: Quid enim non effecerit amicus verus? quam non voluptatem? quantam vero utilitatem? quantam securitatem? tametsi mille thesauros recenseas, nihil hoc ad verum amicum.*

SI VIVET VIVAM.



Muri hederam, hæc illos, alterno munere, firmant.
Hic typus expressus mutuæ amicitiæ est.

NUBECULÆ *mites & irriguæ pluviam suavem ac utilem super prata virescentia ac flosculorum variorum amœnitate undiq; referta leniter effundentes, vivifico illo ac suavi humore intra terræ viscera attracto, plurimum reficere & lætiora reddere solent: absq; illis vero, siccitate & squalore plane exarescunt. Vnde Propheta Ieremias cap. L I. Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cœlo. Et Epistola ad Hebræos cap. VI. Nam terra quæ imbrem sæpius in se venientem combiberit, & progenuerit herbam accommodam eis per quos colitur, recipit benedictionem à Deo: At quæ profert spinas ac tribulos, reproba est & maledictioni affinis, cujus exitus tendit ad exustionem. Similiter quoque viri docti & prudentes, multarum rerum peritia excellentes, dona sua à Deo ipsis concessa non invide occultant, sed divino inprimis auxilio adjuti de omnibus bene mereri, ac liberaliter scriptis dictisq; suis egregiis universis prodesse student, diligenter operam dantes, ne secundum sanctum vatem Davidem, sint tanquam γῆ ἄνυδρος, id est, terra sine aqua, aut, quemadmodum S. Iudas Apostolus loquitur, nubes sine aquis, sibi tantum viventes, sine ulla aliorum utilitate. Sic vir Dei S. Moses (ut est in ipsius Cantico Deuteronomii XXXII.) optat ut concrescat in pluviam doctrina sua, ac fluat ut ros eloquium ipsius, quasi imber super herbam, & tanquam stillæ super gramina.*

COELI BENEDICTIO DITAT.



Verna rigant pluviis languentes nubila flores,
Nos Pater, ætherii Flaminis imbre fove.

IN *agris lætioribus præq; ubertate nimia luxuriantibus, segetes interdum tanta fertilitate crescunt & augentur, ut nisi suo tempore nonnihil demetantur, & nimia copia illis detrahatur, seipsas suffocare, ablatis vero superfluis, multo quàm prius crescere uberius soleant. Non aliter quædam nimis ambitiosa ac felicia ingenia, plus quàm oportet sibi tribuentia, ac ideo omnia audacter ac præcipitanter agentia, sæpe se ipsa evertunt ac consumunt: at si interdum falce moderationis ac humilitatis reprimantur ac castigentur, tum demum fructus maturiores ac præstantiores producere consueverunt; contrà præcocia & nimium luxuriantia ingenia sæpe in ipsa quasi herba suffocantur. Nam juxta Senecam, ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Quò pertinet D. Augustini dictum in Epistola I. ad Maced. Quædam acutiss. & excellentiss. ingenia tanto in majori errant, quanto confidentius tanquam suis viribus cucurrerint, nec suppliciter ac veraciter* D EUM, *ut viam sibi ostenderet, petiverint. Sed hæc de ingeniorum luxurie, quæ modum jam excessit, intelligimus. Ceteroquin vera est Ciceronis II. de Orat. sententia: Volo se efferat in adolescente fœcunditas: Nam facilius, sicut in vitibus revocantur ea, quæ se nimium profuderũt, quam si nihil valet materies, nova sarmenta cultura excitentur: Ita volo esse in adolescente, unde aliquid amputem. Non enim potest in eo succus esse diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum.*

SUR-

LVI.

SVRGET VBERIOR.



Luxuriem segetis castigat falce colonus.
Ingenium præcox reprime: sic sapies.

SPICÆ *jam maturæ inter duas manus nisi continuè fricentur ac valide exprimantur, grana frumenti in illis conclusa inde non possunt excuti vel recte colligi, quibus ita expreßis convenientißimum illa alimentum generi humano præbent. Ita etiam quantumvis præclaræ cogitationes ac meditationes de rebus tam sacris quam profanis, nisi ad actum, ut dici solet, traducantur, parum utiles esse solent. Vnde etiam Cicero I. De Officiis ait Virtutem omnem in actione positam esse, quod sumsit ex luculenta de hac re disputatione Aristotelis in X. Ethicorum Nicomach. Sane autem succinctũ est Plutarchi illud:* Ἀνδριάντα μὲν τὸ σχῆμα: ἄνδρα δὲ ἡ πρᾶξις κοσμεῖ; *Statuam figura, at virum decet actio. Nec minus illud Cyrilli:* οὐκ ἐνὶ ἐκ τοῦ παραχρῆμα λαμβάνειν τὰς ἀρετάς. σμικροῖς γὰρ τὰ μέγιστα πῶς ἄν τις ἕλοιτο πόνοισιν; *Non ita subito datur virtutem apisci. Quo pacto nam quis maxima exiguo capiat labore? Nic. Reusnerus, in II. parte suorum Imperat. symbolorum, ex D. Chrysostomo desumtum attribuit FL. Valerio Constantio Imp. Rom: ejusmodi symbolum,* VIRTUS DUM PATITUR VINCIT. *Quod inprimis de Christiana pietate ac virtute intelligẽdum, quemadmodum præclare dicitur in Epistola ad Hebræos cap. XII.* πᾶσα παιδεία πρὸς μὲν παρὸν οὐ δοκεῖ χαρᾶς εἶναι, ἀλλὰ λύπης. ὕστερον δὲ καρπὸν εἰρηνικὸν τοῖς δι' αὐτῆς ἐγγεγυμνασμένοις ἀποδίδωσι δικαιοσύνης: *Omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed molestiæ. At postea fructum tranquillum justitiæ reddit iis, qui per illam fuerint exercitati.*

SIC VITAM INVENIES.



Spica attrita manu sua grana effundit ad usus:
Sic ostende actu, quæ meditata tenes.

ACANTHUS *ea herba esse putatur, quam vulgo à similitudine foliorum cum pedibus ursinis, Brancam ursinam Italicam vocant, & apud nos quoque hoc tempore excolitur. De qua Vitruvius lib. IV. cap. I. historiam refert ejusmodi: Virgo civis Corinthia jam matura nuptiis, implicata morbo discessit. Post ejus sepulturam, quibus ea viva delectabatur poculis, nutrix collecta & composita in calatho pertulit ad monumentum, & in summo collocavit, atque uti ea permanerent diutius sub divo, tegula texit. Is calathus fortuito super acanthi radicem fuerat collocatus. Interim pondere pressa radix acanthi media folia & cauliculos circa vernum tempus profudit, cujus cauliculi secundum latera crescentes, & ab angulis tegulæ ponderis necessitate expressi, flexiones in extremas partes volutarum facere sunt conati. Tunc Callimachus Statuarius præteriens hoc monumentum, animadvertit eum calathum, & circa foliorum nascentem teneritatem, delectatusque genere & formæ novitate, ad id exemplar columnas apud Corinthios fecit. Hactenus Vitruvius. Vt igitur hæc herba melius crescit ac elegantius, si nonnihil prematur: sic etiam animus fortis & sua virtute invictus contra omnes insultus fortunæ, in adversis semper sese magis exerit, ac multo clarius omnibus conspiciendum præbet. Vnde Lucanus.*

——————serpens sitis, ardor arenæ,
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris.
Lætius est quoties magno sibi constat honestum.

Camillus de Camillis in Italicis symbolis addidit. PRESSA TOLLITUR HUMO.

DEPRES-

DEPRESSA RESURGIT.



Fortis ab adversis animus præclarior extat:
Pondere sic pressus surgit acanthus humo.

MILIO *quandam peculiarem vim naturalem inesse constat, non solum longo tempore (propter suam siccitatem potissimum) seipsum, sed alia multa, quæ in illius acervis recõduntur, conservandi à corruptione ac putredine, qualia sunt Rhabarbarum, Camphora & similia non pauca. Typus certe valde appositus matronæ pudicissimæ, quæ semper castitatem, honestatem & omnem virtutem huic sexui convenientem & necessariam præ oculis habere, & nõ solum sedulo curare debet, quo pacto seipsam, sed etiam omnes quæ illius fidei sunt commissæ ab omni labe & turpitudine integras ac inculpatas semper conservet. in quam vere illud Senecæ in Octavia competit,*

Probitas, fidesque, conjugis mores, pudor,
Placeant marito. ———————————

Ac secundum Aristotelem in Oeconomicis, non tantum nitor vestimentorum, nec excellentia formæ, nec auri multitudo ad laudem mulieris valet, quantum valet modestia in rebus, ac studium honeste decoreq; vivendi; similiaque de mulieris vero ornatu scripsit Phintys Callicratis filia Pythagorea, ut apud Stobæum legimus. Hoc igitur symbolum eam ob caussam sibi elegit usurpandum illustrissima Marchionis Vastii cõjunx Maria de Arragonia, specimen & imago certissima omnis honestatis, castitatis ac prudentiæ, quæ in hunc sexum potest cadere: de cujus laudibus plura, qui volet, legere poterit apud Paulum Iovium & alios scriptores Italicos passim in eorum scriptis. Alibi non minus elegans & vetus dictum additur, SERVATA VALEBUNT.

SER-

SERVARI ET SERVARE MEUM EST.



Seq; aliasq; pudens matrona à crimine servat:
Putrorem milium ceu procul esse facit.

NON *caret admiratione, parvulam hanc, at elegantem plantam plerunque ſabuloſis ac udis locis, interdum etiam umbroſis ſylvis provenientem, & quæ cum capillaribus herbis magnam habet affinitatem, veteribus forſitan ignotam, ad multos morbos tamen efficacem, quantumvis etiam æſtate ardentiſsimis ſolis radiis ſit expoſita; nunquam tamen folia ipſius, cava inſtar puſilli cochlearis, roſcido quodam humore deſtitui, eorumque lanuginem admodum teneram guttulis quibusdam pellucidis ſemper madere, unde etiam nomen ſortita eſt, ut Rorem Solis ac Rorariam recentiores nuncuparint, de qua Chymici neſcio quæ arcana prædicant, ut Iſaacus Hollandus proprio ſcripto teſtatur. Illuſtris profecto hæc imago eſt, nos etiam in ſummis caloribus ac æſtibus calamitatum & afflictionum nunquam flacceſſere aut ſuccumbere, ſi ex ſacratiſſ. verbi divini fontibus vividum ſemper ac roſcidum ſuccum, qui nos ſubinde recreet, alat ac ſuſtentet, hauriamus. Qui alioquin nimia rerum humanarum ac caducarum cupiditate diſsipatus ac conſumtus, perpetuū marcorem, & tādem interitum pernicioſum producit. Vnde Chryſoſtomus in Epiſtolam S. Pauli ad Corinth. ſerm. XXVI.* Τότε γὰρ καὶ ἡ ψυχὴ καθαίρεται, ὅτε διὰ τὸν θεὸν θλίβεται, *id eſt, Tunc etiam anima purgatur, quando Deo volente affligitur. Quo in loco plura admodum utilia idem ſanctus & diſertus pater exponit, quæ hîc recenſere nimis longum foret.*

INVICTA MANEO.



Syrius ut flagret, viret ac perfusa liquore est.
Candida sic durent pectora firma fide.

DIOSCORIDES *Helichrysum nominat quoq; Amarantum, ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, id est, quod nunquam marcescat. Sed Plinius diversam ab eo plantam, purpureo flore præditam ita vocare videtur, quam Itali* fior velluto *appellant, puellis ob colorem vividum & perennem ad coronas texendas gratiss. præsertim hyberno tempore, ubi vividum suum colorem adhuc retinet. Fasciculum ex hisce floribus spicatis colligatum, in signo sive vexillo suo militari depictum gestavit pro symbolo egregius copiarum equestrium ductor Fabricius Gesvaldus Neapolitanus, quo voluit innuere, se in omnibus rebus, quæ spectent ad sui regis autoritatem & utilitatem conservandam, semper impigrũ præstiturum, nullosq; labores aut pericula unquam subterfugiturum, sed sine intermissione animo præsenti ac intrepido provinciam sibi demandatam pro virili administraturum esse, secundum Virgilianum istud,*

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Annotat vero Pierius quoq; in suis Hieroglyphicis, veteres illorum capitibus, qui valetudine integerrima viribusq; ad extremum senectutis vegeti vixissent, solitos fuisse Amarantinã corollam imponere, propter eandem, quam jam attulimus, rationem.

LXI.

NUNQUAM LANGUESCIMUS.



Impavidum invictumq́ animum signas amarante:
Et vegetis senibus grata corona tua est.

 Theophra-

LXII.

THEOPHRASTUS *ſcribit eſſe genus quoddam roſarum circa Philippos in Græcia, centum folia continens, cujusmodi Plinius ex Pangæo in Campaniam transplantatas perhibet, quales nunc roſæ apud nos quoque, quamvis rarius, inveniuntur. Sed nullum, meo judicio, florem pleniorem, elegantiorem & pluribus foliis refertum vidit hæc noſtra ætas (harum rerum ad curioſitatem usque ſtudioſa) quàm Pæoniæ ex Hiſpania, ut ajunt, primum allatæ, & jam ubique in hortis inſtructioribus frequētatæ, cujus in unico flore ultra quingenta folia me aliquando numerare memini. At ſuperveniente pluvia, vel nimio ſole ardente, ſubitò folia decidunt, & decor omnis abit. Quod in tota vita noſtra caduca, fluxa ac incerta (* τὸ γὰρ ἀνθρώπινον οὐ παντάπασι βέβαιον*: Humana enim non ſunt omnino firma, inquit Plato in Epiſtolis) unusquisque obſervare, atque ideo fallacibus voluptatibus, quas breviſſimas interdum longiſſima comitantur incommoda, minime indulgere debet.*

Feſtinat enim (*ſecundum Iuvenalem*) decurrere velox
Floſculus, anguſtæ miſeræque breviſſima vitæ
Portio dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas
Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.

Idem etiam Ovidius monet hisce verſibus.

Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, ac ſpacio carpitur ipſa ſuo.

Alii addiderunt, MULTIPLEX, MOX NULLA, *indicantes ſimul & vanitatem & brevitatem mortalis hujus ac momentaneæ noſtræ vitæ.*

CADU-

CADUCA VOLUPTAS.



Hæc rosa centuplici ceu flore decora, caduca est:
Sic formæ & vitæ mox perit omne decus.

Quanquam

LXIII.

QUANQUAM *Hedera sit ex numero istarum plantarum, quæ nunquam folia amittunt, sicuti quoque Olea, Myrtus, Palma, Pinus, Cupressus, &c. nihilominus tamen levi momento vel propter ipsius temporis incommoditatem, vel soli imperfectionem, aut alia de caussa decrescit & interdum plane exsiccatur. Unde Cardinalis Lotharingus Pyramidem hedera vestitam, in cujus apice Luna est apposita, quæ Regis Galliæ Henrici II. fuit symbolum, usurpavit, eo designare volens, tam diu Hederam, id est, ipsummet in virore ac felicitate perstiturum, quousque Rex Henricus herus illius floreret, illumque instar Pyramidis sustentaret. Idque unusquisque alius fideliter ac pro viribus superiori alicui Domino inserviens, ac vicissim illius benevolentiam ac favorem experiens sibi accommodare poterit. Sed multo adhuc rectius ad verum Dei cultum & honorem transferre hæc licebit. Nam sicuti videmus hederam, vitem, lupulum salictariũ, & alias hujus generis plantas, propter imbecillitatem, innixu ad arborem, palum, vel murum egere: ita persuasum esse nobis debet, nos non posse alia ratione ulla assurgere, crescere vel florere, quàm accessu ad Deum Opt. Max. & gloria ejus pro viribus tuenda. Et in hoc quidem fallemur nunquam: in illo fortassis sæpius. Oraculum enim est Psalmographi: μὴ πεποίθατε ἐπ' ἄρχοντας, ἐπὶ υἱοὺς ἀνθρώπων, οἷς οὐκ ἔστι σωτηρία. Academici occulti Brixienses habēt columnam, circa quam Smilax planta involvendo ascendit, cum tali dicto,* UT ERIGAR.

TE

TE STANTE VIREBO.



Pyramidis surgentem hederam munimine cernis?
Talis stat pietas fulta favore DEI.

CORALIUM, (*inquit Dioſcorides lib. V. cap. XCVII.*) *marinum eſſe fruticem conſtat, qui alto extractus, duratur ſtatim atque emergit, tanquam offuſo aëre protinus concreſcat, atque ideo Lithodendron vocatur. Vnde Ovidius in libro IV. Metamorphoſ. in fabula de Andromeda ac Perſeo ejus proprietatem ita deſcribit.*

Nunc quoque Coraliis eadem natura remanſit,
Duritiem tacto capiant ut ab aëre, quodque
Vimen in æquore erat, fiat ſuper æquora ſaxum.

Ac libro XV. ejusdem operis inquit.

Sic & Coralium, quo primum contigit auras
Tempore, dureſcit, mollis fuit herba ſub undis.

Ad eundem modum etiam illi, qui patria ac propriis laribus relictis, ubi molliter ac delicate vivere eis licuiſſet, ſine tamen aliquo fructu ac utilitate, inſtar Vlyßis ſibi propoſuerunt explorare mores multorum & urbes, atque laboribus & peregrinationibus fructuoſis prudentiam, ac rerum laudabilium copiam ac experientiam ſibi comparare, inſtar Coralii aëre indurati judicium confirmatum & ſtabile ad quosvis caſus ac eventus ferendos tandem conſequuntur, & ſecundum Horatium,

eſt animus illis
Rerumque prudens, & ſecundis
Temporibus dubiisque rectus.

Huc pertinet præceptum Iſocratis, μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους. *Ne graveris longam viam ingredi ad utilis alicujus doctrinæ profeſſores. Quidq; Plato, & alii plurimi utiliß. ſuis peregrinationibus conſecuti ſint, nemini eſt ignotum.*

MOLLIS

LXIV.

MOLLIS FVIT HERBA SUB UN-DIS.




Qui sapit, ille animum peregrino obdurat in orbe;
Coralium extra undas sic abit in lapidem.

CUM Propheta Ionas ex urbe Ninivæ rediisset, ac defatigatus, frustraq́; expectans finem suæ prædictionis, quievisset sub pergula hederæ sibi constructæ, (ut habet antiqua versio. alii enim cucurbitam interpretati sunt.) somnumq́; cepisset: vermis quidam circa radicem erosit stipitem, ut paulo pòst hedera plane aresceret ac periret. Quare Propheta radiis solis graviter percussus, atque è somno excitatus, à tàm vili vermiculo tam optatam sibi commoditatem fuisse ablatam gravißime lamentabatur. At Dominus DEUS hoc pacto illi voluit demonstrare, quantopere erraret, moleste ferens prædicationem suam de Ninivitis ratam non haberi, nec perpendens, cum tantopere ipse doleret jacturam illius Hederæ eum à calore solis defendentis, quanto magis displicere Deo deberet, tam magnam urbem, præsertim veram pœnitentiam agentem, perire. Hoc exemplo quidam magnus vir (ut scribit Camillus de Camillis in suis Italicis symbolis,) seipsum voluit consolari ac ad patientiam constantiamq́; admonere, propter obitum filii sui magnæ expectationis; per hederam indicans præclaram spem de eo jam conceptam, per vermem autem ipsius mortem. Præclarè autem Philippides:

τὸν ἀναγκαίως ἔχει
Βίον θερίζειν, ὥστε κάρπιμον στάχυν.
Καὶ τὸν μὲν εἶναι, τὸν δὲ μή.

Sed necessarium est
Vitam demeti, velut gravidas spicas:
Et alium vivere, alium non.

NATURÆ MATURAVIT OPUS.



Quod natura brevi maturum tempore perdet,
Cur adeò, huic fatum vim properare, doles?

CYTISUM *fruticem (qui jam de sententia D. Marantæ & Matthioli aliorumq́; existimatur nobis esse notus) scribit Plinius lib. XIII. cap. XXIV. inventum esse in Cythno insula, ac inde in omnes insulas Cycladas, mox in urbes Græcas magno proventu casei translatum, miraturq́; ideo Italiæ esse rarum. Eodem loco addit, Cytisum non æstuum, non frigorum, non grandinum aut nivis injuriam expavescere, & ut Hyginus adjecit, ne hostiũ quidem, propter nullam gratiam ligni. Qua occasione à Rota, ut scribit Scipio Amiratus in Italico suo libro de symbolis, Comiti Polentiæ Neapolitano, strenuo ductori militum, contra hostes cum multis fortiss. viris pro suo Rege expeditionem suscepturo, & nullum laborem aut periculum ipsius caussa detrectaturo, hoc symbolum non sine ratione aßignatum fuit. Idq́; Seneca etiam, de Ira librum tertium & ultimum claudens, gravi admodum Epiphonemate explicat hisce verbis: Dum inter homines sumus, colamus humanitatem: non timori cuiquam, non periculo simus: detrimenta, injurias, convicia, vellicationes cõtemnamus, & magno animo brevia feramus incommoda. dũ respicimus (quod ajunt) versamusq́; nos, immortalitas aderit.*

Ac Livius Decad. I. lib. IV. breviter graviterque dicit: Labor & periculum impenditur, unde honor & emolumentum speratur. Sic Virgilianus Aeneas:

O socii, neque enim ignari sumus ante malorum,
O paßi graviora, dabit Deus his quoque finem:
Durate & vosmet rebus servate secundis.

LAETAMVR GRAVIORA PASSI.



Non æstu cytisus, non frigore, non nive læsus,
Spernere magnanimos omnia dura docet.

Quemadmodum

QUEMADMODUM *apes ad omnes quidem flores advolant, quanquam interdum amari aliquid vel acris in se contineant humoris, quales sunt ranunculi & alii plurimi similes; nihilominus tamen succum quendam utilem inde exugunt, ex quo non sine admiratione, postea miro artificio mel parant: Sic etiam sedulo magnoque studio ac judicio viris bonis ac doctis annitendum, ut non solum ex optimis ac selectißimis autoribus, sed aliis etiam non adeo commẽdabilibus scriptis, si quid boni illis insit, omnia ad unicam utilitatem publicam colligant, & posteritati commendent, ut hac ratione prodesse plurimis, nemini autem, si fieri queat, nocere poßint. Qua quidem similitudine eleganter suam παραίνεσιν concludit ad Demonic. Isocrates. Et rem ipsam etiam Lucretius lib. III. hisce versibus eleganter expreßit.*

> Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
> Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
> Aurea, perpetua semper dignissima vita.

Huc pertinet quoque libellus D. Basilii, Quomodo sint legendi Ethnici scriptores. Et non pauca hujus generis apud Clementem Alexandrinum habentur, quæ ad excolendum ac confirmandum hac in parte judicium plurimum conducere possunt. Estque Aeschyli sententia hæc quoque observatione digna,

> Ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός.
> Qui utilia, non qui multa novit, is sapit.

UT PROSIT.



Felix qui potuit ſolerti mente, vel hoſte
In ſua converſo commoda ritè frui.

VRTICA ob subtiles adeo acutosq; foliorum aculeos, si manibus leniter contrectetur, magnū post se pruritum & acrimoniam satis molestam relinquit: contrà vero si plena manu fortiter comprimatur, parum nocere potest. Quo exemplo indicatur, exigua pericula quandoque, si negligantur, nec illis in tempore præsenti animo obviam eatur, non contemnendas vires sumere, & hominibus tandem plurimum exhibere negocii. Vnde etiam veteri proverbio Germanico admonemur, parvū hostem, & exiguum vulnus non temere esse contemnendum, cum utrumque principio neglectum levi aliqua occasione vires sumere, & nonnunquam plurimum damni inferre consueverit. Quare, ut poëta monet,

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Et ut Phocylides: ἀρχόμενον τὸ κακὸν κόπτειν, *&c. Similiter Persius Sat. III.*

Elleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.

De hoc symbolo quidam eruditum hoc carmen composuit.

Molliter urticam si quis tractaverit, uret,
Et timidas lædit tacta borago manus.
His tamen intrepido franguntur spicula pressu,
Hacque omnis subitò pellitur arte dolor.
Res age, non magnis nec neglige viribus hostem,
Sed leve, quo poteris robore, tolle malum.

LEVITER SI TANGIS, ADURIT.



Læditur is meritò parvum qui negligit hostem:
Fortiter urticas qui premit, ille sapit.

FLOS *Adonidis apud poëtas, ac præsertim Ovidiũ Anemone vocari videtur, cujus plures sunt species; flores elegantes sed caducos, profert phœniceos, purpureos, luteos & albos quoq; . Alii florem Adonidis vocant quandam plantam, quam Herbarii Chamæmelum rubrum quoque appellant. Flos itaque Anemones ut est pulcherrimus, sic levi ventorum impetu, aut solis calore languescit & decidit, ejusq; semen pariter facile in pappos abit. Desumtum autem est symbolum ex Ovidii X. lib. Metamorphos. ubi hi versus leguntur:*

Nec plena longior hora
Facta mora est, cum flos de sanguine concolor ortus,
Qualem quæ lento celant sub cortice gramen
Punica ferre solent, brevis est tamen usus in illo.
Namque male hærentem & nimia levitate caducum
Excutiunt iidem qui perflant omnia venti.

Estq; hic typus quoq; vitæ humanæ brevis ac fragilis, sicuti in multis aliis symbolis à nobis dictum est. Quidam referunt ad pulchritudinem sexus muliebris, qua sæpè nimium superbire seseq; efferre solent fœminæ: cum secundum Senecam in Tragœdia Octavia, Florem decoris singuli carpant dies. *Rectè etiam Isocrates:* κάλλος μὲν γὰρ ἢ χρόνος ἀνάλωσεν, ἢ νόσος ἐμάρανε: *Pulcritudinem aut tempus abolet, aut morbus corrumpit.*

Alii habent: GLORIA VENTO DISCUTITUR. *Nam Anemone nunquam se aperit, secundum Plinium lib. XXV. cap. XXIII. nisi vento spirante, unde & nomen accipit, & facile rursum eodem vento flores & semina discutiuntur. Quod Gloriæ vanæ & instabili, quæ non virtute solida nititur ac confirmatur, rectè possumus accommodare.*

BREVIS EST USUS.



Vita fugax, quàm caussa levis tua stamina rumpit?
Pulsa levi flatu sic Anemona cadit.

DE *Loto multa scripserunt veteres, Theophrastus, Dioscorides & Plinius, ac tradiderunt sole occidente cõprimi occludiq́, ad ortum autem aperiri; qui seorsim Nymphæam quoque descripserunt. Sed Excellentiß. D. Medicus Venetus Prosper Alpinus in suo accuratißimo libro de Ægypti plantis nuper publicato, probare studet, omnino unam eandemq́ plantam esse Lotum ac Nymphæam, cum multis annis, quos in Ægypto medicando transegit, hanc plantam diligenter inquisiverit: sed fatetur se plane omnes proprietates in Nymphæa observasse, quas Loto olim autores tribuerunt, nec aliam Lotum in tota ista regione inveniri: quanquam, ut verum fatear, in radice aliqua sit diversitas. At dubitari poßit, num in Euphrate Loti crescentis, cujus potiß. meminere Theophrastus ac Plinius, aliqua sit differentia necne cum Ægyptia. De caussa vero hujus proprietatis, sive jam Nymphæa & Lotus idem sint, seu non, disputat Theophrastus lib. II. de caußis plantarum cap. XXV. à quo tamen nonnihil dissentire videtur Iulius Cæsar Scaliger in suis commentariis ad eundem librum, de quibus nimis longum esset hic differere. quare ad ipsos autores remittimus studiosum lectorem. Est autem significatio hujus symboli cum aliis non paucis à nobis propositis communis, nimirum omnes nostras cogitationes & actiones dependere à radiis æterni solis, Dei Opt. Max. qui sua divina bonitate & gratia omnia vivificat, cõservat, & in lucem profert. Alii addunt; S*IC ALMA LUX MIHI. *& ut quidam in more habent positum, ad ἐρωτικὰ accommodant.*

DUM

DVM RESPICIS ERIGOR.



O Sol justiciæ, sine te non fluctibus atris
Curarum potero tollere Christe caput.

VIDIT *inter alias rariores stirpes hanc etiam novam plantam nostra ætas, quam vocant Turcico vocabulo Tusai. nam Constantinopoli allata est. alii Lilium Persicum, à natali loco, vulgo ob similitudinem Coronam imperialem sive regiam appellant, quam peritißimus rerum simplicium Carolus Clusius, summus meus amicus, ad Hemerocallidem veterum non male referri posse existimat. Hujus flos maturus expanditur ac in suis propriis pediculis plane deorsum flectitur, at quamprimū flaccescere incipit; succedunt illi satis magna capita, (ut quoque in lilio rubro fieri solet,) quæ excusso flore statim sursum erigūtur, ne scilicet, si deorsum dehiscerent diutius, semina nondum matura putrescant ac excidant. Sic juvenes, quantumvis ingenii, vel corporis atque fortunæ bonis ornati, singulari modestia sese submittere, nec ante tempus, (quod sæpe fieri videmus) exultare, superbire, & insolentiæ cristas erigere debent, cum secundum Salustium in bello Iugurt. contemtor animus & superbia, commune nobilitatis malum sit. Contra vero senes jam prudentia & usu rerum confirmati, autoritatem suam tueri, ac bene monendo præcipiendoq; aliis præire jure ac merito possunt. Vnde etiam Cicero in lib. de senect. ait, Apicem senectutis esse autoritatem. Et Euripides jubet expeti senum consuetudinem.*

Ὁμιλίας δὲ τῶν γεραιτέρων φίλει: *Conversationes autem seniles ama. Notandum vero quod negligentia sculptoris, semina ante flores male sint posita.*

MO-

LXXI.

MODESTA JUVENTUS, HONESTA SENECTUS.



Disce puer virtutem ex me, nec flore superbi:
Matura tollat fruge senecta caput.

THEOPHRASTUS *celebris Philosophus apud veteres, tum alibi tum lib. II. de caussis plantarum, reddit rationē, quare flores nonnulli ad radios solis sese aperiant, & multi ex illis cum iisdem plane convertantur. Clauduntur, inquit, hi imbecilliores nocturno frigore, solis verò tepore foventur ac aperiuntur, qui revocat calorem naturalem & à centro ad ambitum effundit, simulque humorem superfluum educit. Quod tamen in nonnullis tātum noctu sese aperientibus, interdiu vero claudentibus locum non habet, de quo hic disputandi locus non est conveniens, cum brevitati potiss. studeamus. Id vero quod priore loco diximus, inprimis observatur in duobus Heliotropiis majore & minore, quæ etiam inde denominationem acceperunt, atque ideo minus præsertim Italice adhuc Girasole, & Hispanice Tornesole dicitur. Hujus autem symboli interpretationem ex Lactantio lib. VI. cap VIII. assumere recte possumus, ubi inquit: Itaque si oculos in cælum semper intendis, & solem, qua oritur, observas, eumq́ habeas vitæ quasi navigii ducem, sua sponte in viā pedes dirigentur, & illud cæleste lumen, quod sanis mentibus multo clarius sole est, hîc quem carne mortali videmus, sic reget, sic gubernabit, ut ad summum sapientiæ virtutisq́ portum sine ullo errore perducat. Digna profecto sententia, quæ in animis omnium infigatur, semperque in recenti memoria retineatur. Alii adjiciunt,* SOLI ET SEMPER, *eadem ferme significatione. Dominichus autem:* VERTITUR AD SOLEM.

SEMPER

SEMPER AD ORTUM.



Christe tuos vultus ſemper venerabor adorans,
Vt Clytie ad ſolem germina pulcra rotat.

VIOLÆ *primi gratissimi flosculi vernales, hinc inde humi serpentes & in locis humilibus ad radices montium libenter crescentes, odore suavi ac beneolenti ab omnibus expetuntur, contrà montes etiam altissimi sæpe ob asperitatem & altitudinem plane remanent steriles, parvumq; usum præbent hominibus. Vnde S. Petrus in sua 1. Epistola cap. ultimo. Humilitatem animi vobis infixam habete; propterea quod* DEVS *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et D. Chrysostomus in Epistolam S. Pauli I. ad Corinth. I. eleganter & breviter monet,* οὐδὲν οὕτω θαυμαστὸν ποιεῖ τὸν χριστιανὸν, ὡς ταπεινοφροσύνη: *nihil ita Christianum admirabilem efficit, ac humilitas. Quod etiam Chilon Lacedæmonius vidit, qui interrogatus quid in cœlo ageret Deus, Alta, inquit, deprimit, & humilia extollit. Vel, ut Herodotus loquitur,* ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα κολούει. *Quod insuper poëta Lyricus cecinit, ex Hesiodo & Xenophonte VI.* ἑλληνικῶν *translatum:*

Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat DEUS,
Obscura promens.

Et alibi

Vim temperatam Dii quoque provehunt
In majus; iidem odêre vires
Omne nefas animo moventes.

Hesiodi vero locus insignis est initio statim lib. I. ἔργων καὶ ἡμερ.

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει.
Facile enim extollit, facile vero elatum deprimit,
Facile insignem minuit & obscurum auget.

HUMI-

LXXIII.

HVMILIBVS DAT GRATIAM.



Alta cadunt vitiis, virtutibus infima surgunt.
Hoc te mons sterilis, vallis amœna monet.

TRIFOLIA *contra serpentum ac scorpionum ictus valere, si seminis grana viginti ex vino vel posca assumantur, vel folia ac universa herba decocta usurpentur, ac præterea serpentem nunquam in trifoliis conspici, autores sunt Dioscorides & Plinius. Quod quidem inprimis de illo, quod Asphaltites vel Bituminosum vocatur, & à Scribonio Largo, qui illud plurimum commendat, ac scribit in Sicilia ac portu Lunæ se copiose reperisse, Trifolium acutum appellatur, (forsitan à foliorum figura) intelligi procul dubio debet. Non dißimili ratione homines profani, rebusq; fluxis luxuiq; potiß. dediti, ab honestis ac laudabilib. præceptis abhorrent, ac imperitum vulgus pravis opinionibus imbutum, vitiisq; variis obnoxium utilißima monita virtutis ac honestatis respuit, illaque fugit. Vnde Horatius non exiguus morum magister pulcherrimam quandam Oden, multis utilissimis subjectionibus refertam, ita incipit:*

> Odi profanum vulgus & arceo:
> Favete linguis.

Estq; etiam Orphei versiculus hac in parte merito observandus,

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστι, θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις.

Iis fabor quos sancta decent, procul este profani.

Ac Plato inquit: οὐ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ἐστι, *id est, Nefas est, ab eo purum contrectari, qui purus ipse minime sit.*

PROCUL ESTE PROFANI.



Sic tua majestas Deus une & trine profanos,
Vt reprobos angues alma triphylla fugant.

THEOPHRASTUS *docet, & cultores rei herbariæ hoc testantur, Croci plãtam priusquam in florem sese exerat, conculcatam nonnihil ac pedibus leviter attritam, postea pulchrius renasci feliciusque germinare. Sic viri fortes & animosi, adq; magna & egregia facta suscipienda ac expedienda nati & parati, tantum abest ut rebus difficilibus ac adversis frangantur, vel deterreantur, ut multo etiam inde reddantur alacriores & aptiores ad quævis virtutis opera præclara subeunda atq; exequenda. Rectè itaq; Seneca dixit: Marcet sine adversario virtus. Tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleatq;, cum quid poßit, patientia ostendit. Nec minus præclarè Thucyd.:* Ὡς οἵτινες πρὸς τὰς ξυμφορὰς, γνώμῃ μὲν ἥκιστα λυποῦνται, ἔργῳ δὲ μάλιστα ἀντέχουσιν, οὗτοι καὶ πόλεων καὶ ἰδιωτῶν κράτιστοί εἰσι. *Nam qui in calamitatibus animo quidem minime tristantur: re autem & operibus max. obsistunt, optimi sunt, sive civitates, sive privati homines fuerint.*

Vnde Dux Venetus præclarißimus ac de sua patria opt. meritus Petrus Lauredanus, difficilimis temporibus suæ Reipub. fidelem ac promtam admodum operam præstans hoc symbolo inprimis uti voluit. Alibi additum legimus, CONCULCATUM UBERIUS. *Quod si hoc symbolum, quamvis ab aliis multis positum, non adeo est omnibus numeris perfectum, ut cætera quoq; nonnulla, ad Emblematum vel similitudinum classem poterit ablegari.*

PUL-

PVLCHRIOR AT-TRITA RESURGO.



Pulchrior ut crescat, teritur Crocus: ô furor ingens,
Lætior ut poßis surgere, nolle premi!

VALERIUS *Maximus lib. VII. cap. IV. ex Livio & aliis historicis refert, (nam & Herodotus de Thrasybulo similem narrationem habet) Sextũ Tarquinium filium, cùm diuturna obsidione expugnari ipsorum urbs non posset, tandem ad Gabios confugisse, tanquam sævitiam & verbera detestantem, & sic fictis blanditiis consecutum fuisse, ut apud omnes sua autoritate plurimũ posset, & urbem in sua quasi manu haberet. Quo facto familiarem quendam suum ad patrem clam misit quæsitum, quidnam deinceps fieri vellet. Iuvenili calliditati senilis respondit astutia: Nihil enim penitus respondit: sed seducto Legato in hortum, maxima & altissima papaverum capita ipso vidente & præsente baculo decussit. Cognito adolescens patris simul silentio & hoc ejus facto, non ignoravit, præcipi sibi ut excellentissimũ quemq; Gabinorum aut exilio mulctaret aut morte consumeret. Ergo spoliatam bonis propugnatoribus hoc modo civitatem patri tandem tradidit; Animadvertens, (ut inquit Paradinus) principem ad pacandam ac sedandam patriam etiam subditorum potentissimos quosq; illi obtemperantes ac devinctos reddere debere. Quod tamen si tam manifesta vi, quàm occulta fraude cum aliorum pernicie à principibus fiat, facile in crimen affectatæ tyrannidis incurrere poterũt, quæ secundum Euripidem est ἀδικίας μήτηρ, id est, mater injustitiæ, quando violento unius ac injusto imperio præter mores & leges pro arbitrio omnia administrantur. Quod Claudianus pulchre describit, hisce versibus lib. IV. ad Honorium.*

Qui terret, plus iste timet, sors ista Tyrannis
Convenit; invideant claris, fortesque trucident,
Muniti gladiis vivant, septique venenis
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.

ÆQUA-

AEQVARI PAVET ALTA MINOR.



Quid sibi Tarquinius? Cur summa papavera frangit?
Sors quia sic plebem terret iniqua Patrum.

BETONICAM *herbam vulgaris quidem notitiæ, sed multæ utilitatis Antonius Musa Augusti Imperatoris Medicus celeberrimus peculiari scripto celebrare non dubitavit. Radix tamen terræ abscondita si copiosior sumatur, vomitum concitat, & aliquid veneni in se continere existimatur. Sic Reges ac principes clementiam ac benignitatem suam omnibus notam ac testatam reddere, severitatem autem occultare debent. Quod verbosius explicat Seneca in principio lib. I. de Clementia, quo in loco quædam principibus quasi monstrare ac dictare voluit, quæ singulis momentis secum meditari ac examinare merito deberent. Sic itaq; inter alia multa utilissima præcepta eo in loco sub persona ipsorum loquitur, absq; dubio Neronem discipulum suum ad meliora cupiens præcepta assuefacere: In hac tanta facultate rerum, non ira me ad iniqua supplicia compulit, non juvenilis impetus, non temeritas hominum & contumelia, quæ sæpe tranquillissimis quoq; pectoribus patientiam extorsit, non ipsa ostentandæ per terrores potentiæ dira, sed frequens magnis imperiis gloria. Conditum immo constrictum apud me ferrum est, summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Nemo non cui aliena desint, hominis nomine apud me gratiosus est. Severitatem abditam, clementiam in promtu habeo. Sic me custodio, tanquam legibus quas ex abdito & tenebris in lucem evocavi, rationem redditurus sim. Hæc ille. Quo pertinet quoq; istud Ovidianum,*

Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Cuique dolet quoties cogitur esse ferox.

Quamvis interdum etiam, secundum Cicero. in Epistola ad Brutum lib. XI. salutaris severitas vincat inanem speciem clementiæ.

LXXVII.

SEVERITAS ABDITA, CLEMENTIA IN PROMTU.



Quanta exto tellure juvo; nocet abdita radix.
Gratia sit celebris, non gravis ira ducum.

NIHIL *optatius accidere potest unicuique, quàm suorum laborum ac operum videre & percipere tandem fructum aliquem & utilitatem convenientem, atque contrà molestiss. est (quod sæpe usu venire solet) si alii in nostram messem, ut in proverbio est, suam falcem immittere partusque aliorum frui conantur. Sic Agricolæ quoque per totum annum terram colunt, ac semina magna cura illi mandant, ut suo tempore messem optatam faciant, nec facile patiuntur ab aliis pigris ac inertibus proprios fructus sibi eripi. Docemur ideo ocium esse fugiendum, & semper honestis laboribus incumbendum, quod sacræ litteræ quoque ab initio & passim monent: inprimis vero crebræ sententiæ in proverbiis Salomonis & Syracidæ hoc nobis abunde subjiciunt: quas hîc exponere nimis longum esset. Convenit autem huic symbolo dictũ S. Basilii valde elegans:* τίς ἐν καιρῷ σπορᾶς οἴκοι καθήμενος, ἐνστάντος τοῦ θερισμοῦ τὸν κόλπον ἐπλήρωσε τῶν δραγμάτων, *Quis sementis tempore domi sedens, instante æstate sinum suum manipulis implevit? Et S. Nazianzeni eadem verba leguntur in oratione II. contra Iulianum,* οὐ τοῦ ἀμήσαντος ὁ στάχυς, ἀλλὰ τοῦ σπείραντος. *Horatius quoq; I. Sermonum Satyra IX. hæc suo more breviter ac nervose protulit:*

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Quod ex Epicharmo illum desumsisse credibile est, ubi ait, πρεπόντων πόνων πωλοῦσι πάντα τἀγαθὰ οἱ θεοί. *Convenientibus laboribus divi cuncta vendunt bona.*

NON METENTIS SED SERENTIS.



Pigra facesse manus, plenam ne collige messem:
Commoda frumenti qui petit, ille serat.

RHODODENDRON *sive Rhododaphne, quod Nerion quoq; vocatur, planta elegantiss. & per totam æstatem amœnissimos flores proferens, teste Dioscoride lib. IV. cap. LXXII. mulis, canibus, asinis & aliis bestiis, quo ad flores ac folia, venenum est; at ab hominibus adversus serpentum morsus utiliter è vino bibitur, præsertim ruta addita, (quamvis Galenus lib. VIII. de facultatibus simplicium Medicamentorum hominibus quoque perniciosum esse scribat.) Ita, secundum D. Augustinum in commentariis Psalmi XLVIII. omnia divina elogia salubria sunt bene intelligentibus, periculosa vero his, qui ea volunt ad sui cordis perversitatem torquere potius, quam cor ipsum ad eorum rectitudinem corrigere. Quod etiam S. Paulus I. ad Corinth. I. docet. Nam Sermo crucis, inquit, iis qui pereunt stultitia est, at nobis qui salutem consequimur, potentia* DEI *est. Et pluribus etiam id confirmat II. ad Corinth. II. De hoc eleganter in suo pegmate Petrus Costalius ita scripsit.*

Nobilis aspectu folioque virens Rhododaphne,
Dicitur ægrotis esse medela viris.
Tollit & humano conceptum in pectore virus,
Et læsis affert artubus antidotum.
Bruta tamen foliis animata extinguit eisdem,
Hæc sunt scripturæ non aliena sacræ.
Illa pios rectà cœli deducit in axem,
Sed nigrum reprobis addere Theta solet.
Et licet hoc toto nil sit præstantius orbe,
In latum errorem noxia corda trahit.

Alibi ascriptum legimus, SIC SACRÆ LITERÆ, *sensu nimis manifesto.*

ET IVVAT ATQUE NOCET.



Nerion antidotumq; viris, suibusque venenum est.
Pagina sacra malis noxa, medela piis.

MOLY *herbam deſcribit Homerus Odyſs. X. eamque inuentam tradit à Mercurio, qui contra veneficia & magicas artes Vlyſsi illam tradiderit, vt ea aduerſus fraudes & illecebras Circes, quæ ejus ſocios in varias belluarum ſpecies mutabat, ſeſe muniret. Quæ omnia mythologice accipi debent. Facultates enim animi quædam conſpirantes cum affectibus, rationisque obedientiam excutientes, & deinceps facile hinc inde exorbitantes, ad quævis vitia homines abripiunt, atq; ſecundum Horatium,* Affigunt humo divinæ particulam auræ, *unde propria forma exuti in diverſas beſtiarum figuras transmutari dicuntur. At contra Vlyſſes vir prudens, ac multarum rerum vſu præditus, veræ rationis normam ante oculos habens, ac Moly ſapientiæ, aduerſus monſtra prauorum affectuum vnicum amuletum præ ſe ferens, hæc facile omnia depellit, nec à ſtatu ſuæ conſtantiæ ſe dimoueri vllis illecebris patitur. Quod & Ouidius tangit XIV. Metam. Plinius ex Theophraſto lib. XXV. cap. IV. ita deſcribit. Laudatiſsima herbarum eſt Homero, quam à Diis vocari putat Moly, & inuentionem ejus Mercurio aſsignat, contraque ſumma veneficia demonſtrat. Naſci eam hodie circa Pheneum & Cyllenen Arcadiæ tradunt, ſpecie illa Homerica, radice rotunda nigraq;, magnitudine Cæpæ, folio Scyllæ, effodi autem difficulter. Alias huius quoque differentias præter hanc, recentiores Herbariorum libri depictas exhibent.*

HAC VENENA FVGANTVR.



Moly venena fugat, fraudem sapientia pellit,
Hanc pete, cum tot sint plurima monstra locis.

THEOPHRASTUS *lib. IX. cap. XVIII. de historia plantarum ait. Quod autem consuetudo plurimum valeat, multis sane rationibus constat. Nam & absynthium pecora hujus tractus pascere negant. Pontica autem nimirum pascunt, ut pinguiora ac pulchriora reddantur, ac, ut quidem volunt, sine felle. Ad eundem modum Plinius lib. XXIV. cap. IX. sues assuetos cibum capere in vasis sive alveis è ligno Tamarisci confectis, Liene carere dicit. Quod tamen Excellentissimus Medicus D. Prosper Alpinus, qui in Aegypto, ubi harum arborum maxima copia est, Artem Medicam aliquot annis cum singulari laude exercuit, in suis libris quos de Medicina Aegyptiorum & plantis in illa regione nascentibus nuper edidit, fabulosum esse arbitratur. Quanta vero vis sit consuetudinis tam in bonam quàm malam partem, pluribus sententiis veterum, atque etiam exemplis prope infinitis probari posset; sed non sunt hujus loci. Breviter sane multa complexus est Aristoteles in libello de memoria & reminiscentia, ubi ait, ὥσπερ γὰρ φύσις ἤδη τὸ ἔθος, id est, Consuetudo est veluti ipsa Natura. Et Ovidius (quamvis ad amatoria male ista applicaverit,) hisce versibus explicat.*

Nil assuetudine majus.
Quod male fers, assuesce; feres bene. multa vetustas
Lenit.

LXXXI.

DULCESCIT AMARUM.



Felle carent Ponti pecudes absynthia pastæ:
Ferre mala assuetus non malè ferre solet.

OCYMUM, *vulgo Basilicũ dictum, suaviss. est odoris si mollius attrectetur, sin vero prematur vel plane conteratur, ingratum spirat. De qua re extat lepida historia apud Aug. Iustinianum Genuensem historiographum lib. VI. Franciscus Marcio, inquit, jurisconsultus egregius missus à Repub. Genuensi Orator ad Ducem Mediolanensem, cum is eum nollet dimittere, nec pactis conventis cum Genuensibus stare, captata occasione, obtulit eidem Duci manipulum herbæ Ocymi. Qui admirabundus quid sibi hoc donum vellet, quæsivit quid rei esset. Cui ille respondit, ejusmodi proprietatem huic plantæ inesse, ut leviter ac suaviter contrectata præberet gratum odorem, nimis autem duriter compressa & attrita, non solum omnem suavitatem perderet, sed etiam tandem scorpios produceret; habere autem se ingenia Genuensium eodem plane modo. Dux hoc ingenioso admodum responso plurimum delectatus, & sententiam priorem mutavit, & legatum honorifice dimisit. Clementia itaq; & lenitate plura consequimur quàm nimia vehementia. Nam verè Claudianus:*

Peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit, mandataque fortius urget
Imperiosa quies.

Et Terent. Adel. Reipsa repperi, nihil esse hominis melius facilitate atque clementia.

QUO

QVO MOLLIVS EO SVAVIVS.




Officium vt faciat, nimis, ô Rex, ne preme plebem,
Suauius vt ſpirent, Ocyma ne terito.

REFERTI sunt tam sacrorum quàm ethnicorum libri non solum dictis pluribus egregiis, sed etiam nonnulli integros libros conscripserunt, quibus docemur, magnam sæpe nos utilitatem capere ex rebus adversis, quas ipse DEVS ad nostri emendationem immittit. Sunt enim bonis & piis vniuersa ista instar flagelli quo frugum fasciculos excutimus, frumentúmque ipsum à paleis inanibus secernimus. Significat autem in sacris litteris tritura laborum & calamitatum exercitationem, iubemurq; esse similes frumento, quod per trituram ac ventilationem fit mundius. Vnde D. Chrysostomus Homilia II. in III. caput S. Matthæi, Sicuti granum, inquit, inclusum in palea, foras non egreditur, nisi fuerit trituratum: sic & homo de impedimentis mundanis & rebus carnalibus, quasi in palea inuolutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus. Idē D. Cyprianus Serm. IV. de Mortalitate tradit. Quando area fruges terit, ventos grana valida ac robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Sic S. Paulus post naufragia, flagella, post carnis & corporis grauia tormenta non vexari, sed emendari se dicit in aduersis. Huc pertinet vsitatum prouerbium, παθήματα μαθήματα, id est, quæ nocent docent. Insigniter etiam Augustin. super Ioan. Quod te Deus permisit pati flagellum, corrigentis est, non pœna damnantis. Ad hereditatem æternam erudimur, & flagellari dedignamur?

TRIBV-

TRIBVLATIO DITAT.



Si tritura absit, paleis sunt abdita grana:
Nos crux mundanis separat à paleis.

HYOSCYAMUS *sive Apollinaris herba (Altercum quoq; veteribus dicta,) propter nimiam suam frigiditatem inter Narcoticas plantas, id est, stuporem inferentes, refertur, sumtaq; copiosior etiam propter quãdam facultatem occultam amentiam parit. Vnde hodie etiam incolæ vallis Ananiæ, (ut Matthiolus refert) sua lingua propter hunc effectum Italice nominant Disturbio, id est, mentem turbans. Ad hyoscyamum quoq; si aves advolent, & potiss. semine ipsius non adeò ingrato pascantur, tandem stupidæ in terram decidunt, vt facile capi possint, exceptis tamen sturño ac coturnice, quæ aues illo impune vescuntur, idq; ob certam quandam formam similem, vt vult Theophrastus. Ad hunc modum homines dulcedine divitiarum irretiti, sæpissimè à vera rationis semita aberrant, atq; tandem in perniciosiss. auaritiæ vitium, fontem omnium malorum, quasi mente capti detruduntur. Hoc Seneca in suis Epistolis & libello de Paupertate ex illis centonum instar collecto paucis verissime explicat. Divitiæ, inquit, inflant animos, superbum & arrogantem pariunt, invidiam contrahunt, & eousq; mentem alienant, vt fama pecuniæ etiam nobis nocitura delectet. Quod infinitum studium accumulandarum divitiarum vbique in sacris etiam litteris plurimum reprehenditur, & Syracidæ præsertim cap. XXVII. & XXXI. tanquam loci communes quidam de eo consuli possunt. Pulcrè Sappho poëtria:* ὁ πλοῦτος ἄνευ ἀρετᾶς, οὐκ ἀσινὴς πάροικος; *Diuitiæ absq; virtute non innoxiæ sunt hospitæ. Iuuenalis Sat. X.*

Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census.

DIVITIAE HAVD ALITER.



Vt volucres dementat Hyoscyami grauis herba,
Sic insana stupent pectora diuitiis.

LACERTA *viridis dicitur cum serpentibus acerrime pugnare, & si quando ab illis læsa, aut alioqui nimium defatigata fuerit, aiunt remedium vulneris vel languoris nimii petere ab odorata Chamæmeli planta, totam in eam sese inuoluendo, atq; hac ratione vires pristinas recuperando. Constat autem hanc odoratissimis floribus abundare, quos lassitudini mederi, ac venenis quoque resistere autor est Plinius. Sic etiam animus generosus semper sese grauibus ac infestis opponens fortunæ telis, contraq; inuidiæ venena occulta continuè pugnans, si quando sese hisce inferiorem & quasi defatigatum senserit, subinde ad cogitationes honestas & actionum heroicarum meditationem sese confert, & in illis quasi inuolutus seipsum recolligit, ac pristinam acquirit industriam ac alacritatem, qua aduersus rabiem & insaniam aduersariorum & maleuolorum iam iam quasi triumphantium eo fortius pugnare, illisq; resistere, & subinde etiam aliquid nouæ laudis atque autoritatis conquirere queat. Excellentissimus Medicus & suis accuratissimis scriptis optime meritus de posteritate, D. Petrus Forestus Hollandus, de Galega siue Ruta Capraria vulgo dicta, cuius contactu lacerta se contra viperam ita munierat, vt tandem superior euaderet, admodum luculentam historiam commemorat in suis commentariis de falsa vrinarum prædictione. Vsurpauit autem hoc symbolum Illustriss. Dux Mantuanus Vincentius Gonzaga, de cuius laudabilibus gestis historiographi multa præclara litteris mandarunt.*

HINC REDIT AD VIRES.



Inuidiæ vt virus vincas, imitare lacertam,
Vtq; chamæmelo hæc, pectore te abde bono.

ALOE, *quod vulgo ob perpetuam viriditatem in Italia Sempervivum quoque vocatur, à sole inprimis fovetur, & cum eius radiis flores illius elegantissimi circumaguntur. Ita quoque actiones præclaræ ac laudabiles à Sole justiciæ, id est, Deo Optimo Maximo conservantur, semperq; durant, nec à malis ac invidis hominibus, tanquam crassioribus nebulis unquam possunt obscurari vel labefactari. Ad quod cum sibi omnino respiciendum censuisset clariss. ac fortiss. vir, Matthæus Bembus, Senator Venetus præcipuus, hoc symbolo non absq; ratione ab ipso usurpato id indicare voluit. Cum enim Barbarossa summus Turcici tyranni thalassiarchus cum magno exercitu Castellum novum in Dalmatia oppugnasset ac tandem occupasset, Anno Christi M. D. LXXI. non sine ingenti clade Christianorum, & ob ipsius non contemnendos progressus, omnes deinceps metuerent, ne Italiæ ac inprimis Apuliæ vim inferret, Bembus eo tempore Prætor à Veneta Repub. Cathari constitutus, urbem sibi commissam contra ingentem hostium impetum non sine omnium admiratione fortiter defendit ac conservavit, cum neque minis nec blanditiis ullis hostium ab honestissimo suo proposito dimoveri posset, sicuti literæ tam ipsius quàm Barbarossæ editæ in Italica lingua satis superq; demonstrant.*

DVM VOLVITVR ISTE.



Sol prius à cursu, quàm mens proba tramite recto
Flectatur, semper vindice tuta Deo.

PVLCHERRIMVS *flos, & si quis alius inter omnes insigni varietate colorum admirandus, quẽ à forma Turcici pilei Tulipam nominant, (quæ vero fuerit planta apud veteres nondum plane constat, quamvis pertinere ad Narcissos peritiores nonnulli Rei Herbariæ coniiciant) nunc paßim in hortis colitur, qui celeriter ad radios solares sese pandit, illis vero sese occultantibus, aut pluuia tempestate superueniente, statim rursum clauditur ac languescit. Qua similitudine motus Carolus Gonzaga, ex nobilißima familia Ducum Mantuæ oriundus, hoc symbolum sibi elegit cum dicto Hispanico admodum arguto, & breui eiusmodi, Syn sus raios, mys desmajos, id est, Sine tuis radiis ego marcesco. Licebit autem hoc diversis modis interpretari. nam, vt alia huius generis iam exposita, potiß. ad veram illuminationem cœlestem potest referri, vt canitur in Ecclesiastico hymno: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium. Et recte ille, quisquis est: Bona mens sine Deo nulla est. Nam, vt Ambros. ait super Luc. Vbique diuina virtus cooperatur humanis: ut nemo poßit ædificare sine Deo: nemo custodire sine Deo: nemo quicquam incipere sine Deo. Præterea non male quoq; accommodabimus ad fauorem & benignitatem alicuius magni Principis, cuius ope & subsidio speramus nos posse emergere, ac in statu felici semper perdurare. Alii deniq; ad aliam rem adamatam, in qua florescente quasi viuere ac valere se existimant, transferre quoque solent.*

LANGVESCO SO-LE LATENTE.



Marcidus vt flos hic languescit sole latente,
Cælesti sapimus sic sine luce nihil.

LILII flos candidiſsimus ac odoratiſsimus, quamvis undiq; horridis ſpinis ſit circumſeptus & moleſtatus, nihilominus tamen eminet, & odorem ac candorem omnibus retinet, omnibusque communicat. Sic etiam virtus inclyta, quæ ſecundũ Ariſtotelem II. Ethicorum ſemper verſatur circa difficilia, tandem emergit ac conſpicuam ſeſe vniuerſis exhibet, quamuis improborum ſtimulis ac inuidiæ morſibus ſæpe petatur ac exerceatur. Nempe, vt P. Syrus ait, Ignis ſuum calorem etiam in ferro tenet. Rem igitur ipſam D. Chryſoſtomus graviter explicat, οὐκ ἔστι (inquiens) τὸν τῆς ἀρετῆς ἐπιμελούμενον, μὴ πολλοὺς ἔχειν ἐχθρούς, ἀλλ᾽ οὐδὲν τοῦτο πρὸς τὸν ἐνάρετον. Διὰ γὰρ τῶν τοιούτων λαμπρότερος ἔσται μειζόνως, id eſt, Non aliter fieri poteſt, quin ille qui virtutis ſectator eſt quam plurimos hoſtes habeat. Sed nihil hoc virtuti deditum mouet. nam propterea longe illuſtrior euadet.

Vſus eſt hoc ſymbolo doctiſsimus vir D. Nicolaus Stopius, (vt Ruſcellus in Italico ſuo libro indicat) qui olim in Italia ſingulari mihi familiaritate fuit coniunctiſs. cum integro hoc verſiculo:

Fluctibus in mediis ſpinisque vt lilia creſcit.

Alii addunt, CASTA PLACENT SVPERIS. Nam pudicitiæ ac virginitatis florem eſſe lilium D. Hieronymus quoque in explicatione Cantici canticorum tradit. Sunt autem integri verſus Tibulliani tales.

Caſta placent ſuperis; pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

SEM-

LXXXIX.

SEMPER INCLYTA VIRTVS.



Quamlibet è mediis consurgunt lilia spinis:
Sic virtus ipsis crescit ouatque malis.

APVD *Virgilium Ecloga III. hi ponuntur versus.*

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Qua similitudine admonemur, ne plausibilia quidem & speciosa, reipsa vero non solum inutilia, sed perniciosa quoque dum persequamur, in opiniones absurdas, prauas & à vero nos longissime abducentes incurramus, memores praecepti Theognidei.

Πολλάκι γὰρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι,
Ac mentem species fallere saepe solet.

Alii ita interpretantur, vt herbas ac flores elegantes accipiant pro divitiis, quae deliciarum ac aliarum voluptatum odores suauiss. spargunt, in quibus tamen saepissime latet serpens iste vitiorum, superbiae scilicet, prodigalitatis immodicae, ac luxuriae omnia tandem labefactantis, per quae non solum valetudinem bonam, sed vitam insuper ipsam multi amittunt. Atque eodem modo per alia quoque felicitatis genera licet haec deducere. vbicunque enim modum excedimus, nec veram moderationem animi ante oculos habemus, nunquam ad veram virtutem, quae in mediocritate quadam consistit, & animi tranquillitatem solidam peruenire possumus. Vnde verisimile est Iuliam Contarenum, Nobilem Venetum, cuius hoc fuit vsitatum symbolum, hoc pacto ab amoribus illicitis, in quibus veneni plurimum latitat, tacite se voluisse abstrahere. In Italico libro Camilli additur, LATET.

XC.

VIGILATE TIMENTES.



Paßim fraus cæcis latet insidiosa tenebris:
Ne capiare caue, & sobrius aduigila.

Quemad-

QVEMADMODVM *à ſpica collectione progredi ſolemus ad manipulum coaceruandum, ac pariter deinde à manipulo ad faſcem ipſum: ſic etiam ſedulitate, induſtria ac prudentia paulatim, atq; ſecundum Platonẽ in Theateto, σμικρὰ ἀπὸ σμικρῶν κατὰ δύναμιν addentes, infimæ ſortis homines ad maiora, & tandem ad maximum dignitatis gradum perueniire ſolent. Quò ſi diuina liberalitate promoti aſcenderint, rectiſs. faciunt, ſi tempeſtiue gradum ſiſtant, ac ſibi laudabilem iſtam ac fortunatam reipſa αὐτάρκειαν, id eſt, rerum ſufficientem vſum, tanquam diuitiarum terminum conuenientiſſimũ pro vnico ſcopo proponant. Nam ſecundum Salomonem prouerbiorum cap. XXVII. Qui cuſtodit ficum, comedet fructum eius. Suntq; eiusdem ſententiæ Heſiodi verſus in ore omnium.*


Εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρὸν καταθεῖο,
Καὶ θαμὰ τοῦτ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο.
Adde parum paruo, paruo ſupperadde puſillum,
Tempore ſic modico magnum cumulabis aceruum.

Sic contra, parua ſi non cures, & magna dilabentur. Benè enim Menander:

Εἰ μὴ φυλάττεις μικρ', ἀπολεῖς τὰ μείζονα,
Ni cuſtodias parua: maiora perdes.

XCI.

DE PARVIS GRANDIS ACERVVS.



Spica fuit primò, quem nunc est cernere fascem.
A paruis facimus munera ad ampla gradum.

NON NVLLÆ *plantæ reperiuntur, quæ propter tenacem & copiosum adeo succum alimentarium, humidiq; proprii cum calore mistionem satis conuenientem, diu integræ grato virore supersunt, ac insuper à terra auulsæ, ac laquearibus ædium suspensæ, si modo nonnihil circa radices interdum humectentur, per annum & vlterius non solum virent ac crescunt, sed etiam flores producunt. Inter quas Aloë inprimis, itemq; Semperuiuum, ac Telephium quorundam, vulgo Crassula dicta, potissimum numerare licet. Ita viri docti & sapientes grato promtoque labore, sineque omni inuidia suæ eruditionis, virtutis ac prudentiæ monumenta libenter posteritati communicant ac consecrant, memores voti egregii apud Propertium:*

Attamen exiguo quodcunque è pectore riui
Fluxerit, hoc patriæ seruiat omne meæ.

Quare etiam recte in illis adhuc quasi viuere, & quamplurimis prodesse hoc pacto censentur, nec illorum præclara dicta ac facta vlla vnquam abolere potest vetustas, ut recte Ouidius cecinit:

Viuitur ingenio, cætera mortis erunt.

Et idem III. Trist. VII.


Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque;
Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.

Et alibi Propertius:

At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

XCII.

VITA TAMEN SVPEREST.



Viuacis succi vt plantam hanc mirantur, & ornant:
Sic homines præstant dotibus ingenii.

HOC *symbolum explicat Erasmus in suis Adagiis Chiliad. I. Centuria IV. prouerbio XXXVIII. Nihil cum Amaracino sui, hoc est, Stolidis ac impuris vel optima sordent ac displicent, non aliter ac Amaracus vel Amaracinum vnguentum male olet sui bestiæ fœtoribus sese oblectanti, cum sit secundum Horatium, amica luto. Seruius in lib. I. Aeneid. scribit Amaracum puerum fuisse Regis vnguentarium, qui casu lapsus dum ferret vnguenta, majorem confusione odorem excitarit, vnde optima vnguenta Amaracina dici cœperunt, & ideo hunc postea fabulæ tradiderunt in herbam Amaracum esse conuersum. Sic etiam bonæ litteræ hominibus rudibus & malè institutis sunt aduersissimæ, quemadmodum suillo generi vnguenta odorata: Quo pacto etiam A. Gellius in fin. Noct. ἀμούσους à suis scriptis abstinere iubet, vetus esse adagium dicens; Nihil cum fidibus graculo, nihil cum amaracino sui. Lucretius VI. libro quoque hæc habet.*

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Vnguentum: nam setigeris subus acre venenum est,
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contra nobis cœnum teterrima cum sit
Spurcities: eadem subus hæc tam munda videtur,
Insatiabiliter toti vt voluantur ibidem.

Scribunt etiam quidam in Arabia suillum genus non posse viuere, quod ea regio sit plena odoramentorum. Vnde insuper alterum prouerbium enatum, ὗς διὰ ῥόδων, *Sus per rosas. Et in epist. Petri, est sus in volutabro cœni.*

NON

XCIII.
NON TIBI SPI-RO.



Prauis est animis virus doctrina salubris:
Sic lutulens fugitat porcus amaracinum.

IN *opinionibus Italice conſcriptis ac editis de ſimplicibus Aloyſii Anguillaræ (olim præfecti horti Medici Patauini;) legimus Tripolium naſci in ſcopulis quibusdam ſitis inter Scyllam & Charybdim ad mare Siculũ, quod flores proferat ſimiles violæ quæ dicitur matronalis, ſemen vero alii volunt in ſuis capſulis referre figuram crucis, quale & nos habuiſſe meminimus. Siue autem hoc verè ita ſeſe de natali loco huius plantæ habeat, ſeu ab aliis acceptum retulerit (cum alia quoq; ab Herbariis Tripolia, cuius flores ter in die mutentur, depicta exhibeantur) autor huius ſymboli hac allegorica inuentione voluit exprimere, etiam inter grauiſſ. tempeſtates, & calamitates multiplices in hoc mundo, pios homines vnicam ſpem in Deum æternum collocantes, ſemper conſeruari, ac à præſentibus & imminentibus periculis protegi ac cuſtodiri: cuius rei in ſacris litteris tot ſunt certiſſimæ promiſſiones, ac exempla euidentiſſima, vt vix vno volumine comprehendi poſſent. De vltima vero littera Tau Hebræorum, quæ crucis ſimilitudinem repræſentat, multa cognoſcere licet apud D. Hieronymum in commentariis Ezechielis cap. IX. & in Euangelium S. Marci. Plura etiam Goropius Becanus in ſuis Hieroglyphicis exponit.*

NVLLIS PRÆSENTIOR ÆTHER.



En crucibus fæcunda inter Scyllam atq; Charybdim,
Herba viret, gentis nonne ea fata piæ?

Cum

CVM *Alexandri ſexti Pontificis Romani temporibus, familia Columnenſium ampliſſima ac potentiſſima, ex urbe exacta, ac omnibus bonis & honoribus ſpoliata eſſet, idque propter cauſſas nonnullas, quas hîc recenſere non eſt operæpretium: omnes ex illa conceſſerunt in Regnum Neapolitanum, cuius Reges ſemper ſingulari fauore ipſos ſunt proſecuti; Perq́; hoc ſymbolum ſatis quidem aperte demonſtrare voluerunt, quod etiamſi fortuna eo tempore plurimum illis aduerſaretur, & grauiſſimè ipſos premeret, nihilominus ita ſatis afflicti, generoſum tamen animum nullo modo deponentes, nonnihil quidem aduerſariorum furori ac vehementiæ ad tempus cedere vellent, ita tamen vt non dubitarent, ſuorum conſtantia ac magnanimitate, poſt tot procellas ac tam graues tempeſtates rurſum ad priſtinam dignitatem ſeſe peruenturos eſſe. Quod etiam paulo poſt contigit, poſteaquā Fredericus Rex Neapolitanus ipſos in ſuam fidem recepiſſet, ac amplis ſtipendiis auxiſſet. Aiunt autem huius ſymboli autorem fuiſſe doctiſſimum virum ac celeberrimum poëtam Iacobum Sannazarium. Adrianus Iunius in Emblematis addidit* εἴξας νικᾷ, *V*ICTRIX ANIMI ÆQVITAS, *cū erudito tetraſticho, ad Victorem Giſelinum Medicum. Fabula autem de Quercu & Arundine nota eſt, quæ & apud Auianum inter alias eleganti carmine expreſſa legitur, cum hoc epimythio:*

Hæc nos dicta monent magnis obſiſtere fruſtra,
Paulatimque truces exſuperare minas.

FLECTI

FLECTIMVR NON FRANGIMVR.



Flectitur obſequio, ſic vincit arundo procellas.
Læditur aduerſum qui ſua fata furit.

INGENIOSISS. *vir Ludouicus Viues in suo libello, quem inscripsit Satellitium animi, ex Quintiliano in Mathematico hæc adducit. Si omnia vitæ diligenter excutiantur, quid est aliud vita quam dies vnus? vt mirandum sit non exatiari homines iisdem toties redeuntibus. Vnde alius dixit, Diarii omnes. &c. Demetrius sane Phalereus Euripidem etiam notat, quod* τὸν πάντα ὄλβον ἦμαρ *dixisset, cum sit longè celerior rerum humanarum vicissitudo. Igitur aliorum multorum de vita hominum dictorum, vnum illud Pindari oraculum instar esse poterit, in Pyth.*

Ἐπάμεροι, τί δέ τις, τί δ' οὔτις;
Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι.

Diurni, quid autem aliquis, quid vero nullus?
Vmbræ somnium homines.

Cum enim nihil sit inanius vmbra, reperit tamen adhuc aliquid inanius, nimirum vmbræ somnium.

Etsi autem alia planta rectius Hemerocallidi conuenit, de quo aliàs: vulgo tamen hanc quoque hoc nomine appellant, quæ aliter Lilium Arundinaceum siue tuberosum, flore nonnihil croceo, vocatur. Vulgus apud nos lilia mortua, vernacula lingua nominat, ab effectu scilicet. nam singulis diebus vnicus flos sese aperit, reliquis ferme omnibus marcescentibus, vt ita lilia ἐφήμερα *dici queant. Apud Ludouicum Viuem legitur,* TOTA VITA, DIES VNVS. *Meum symbolum est,* ἐφήμερος ὁ βίος, *id est,* VITA DIVRNA MEA EST. *Huc pertinent:* σπιθαμὴ τοῦ βίου. *Et Alcæi:* δάκτυλος ἡμέρα, *& similia plura.*

DIA-

DIARII OMNES.



Extremum ſtatuas vt quamlibet eſſe dierum,
Fida tibi monitrix Hemerocallis erit.

OBSERVATVM *est ab indagatoribus & cultoribus stirpium inter alia Naturæ admiranda opera etiam hoc, quod quædam Cucurbitæ genera ita humiditate aquæ delectentur, eamq; sic appetant, vt vase ea pleno vel fructui vel radici applicato, manifeste paulo post deprehendatur, cucurbitam non solum ad istud vas liquore impletum sese inclinare, sed etiam illum quasi pedetentim ex vase absorbere atq; consumere: contra vero si oleum eodem modo cucurbitæ admoueatur, illud quasi contrahendo se respuere, ac incuruatam tandem tabescere. Cum itaque hæc & alia huius generis plurima Natura, recte ideo ab Hippoc. VI. Epidemiorum section. V. vocata ἀπαίδευτος, id est, ab aliis non edocta vel instituta, factitare soleat, atq; insita vi sine vlla hominum sagacitate tam in plantis quam aliis rebus expetat vtilia, ac fugiat noxia: multo profecto magis homines ratione præditi, atq; ἐκ προαιρέσεως, vt philosophus loquitur, agentes, omnia quæ ad vitam honeste ac laudabiliter instituendam, virtutemq; sequendam, prodesse possunt, semper appetere, contraria vero omnibus modis fugere debent. Idque vel max. quod, vt Cicero de Fin. ait: Natura homini dedit talem mentem, quæ omnem virtutem iam posset accipere, ingenuitq; sine doctrina notitias paruas rerum maximarum, & quasi instituit docere, &c. Est autem hoc hemystichium ex Martiale sumtum. Quidam apponunt, NATVRÆ NON ARTIS OPVS.*

XCVII.

NVLLO DOCENTE MAGISTRO.



Vtilis attrahitur plantis, at noxius humor
Spernitur. Anne homines in sua damna ruent?

PLVTARCHVS *in vita Romuli scribit, eum primum populum in centurias distribuisse, quarum vnamquamq; vir vnus ducebat, qui manipulum fœni ac herbaru msiccarum in conto affixum gestabat, vnde militibus manipulariis nomẽ est inditum. Idq; Ouidius quoque lib. I. Fastorum notat,*

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Vnde maniplaris nomina miles habet.

Hoc postea imitati Christiani (longe quidem sensu meliore) vitæ humanæ breuitatem & fugacitatem ita voluerunt exprimere, secundum grauiss. dictum Isaiæ cap. XL. Omnis caro fœnum, & vniuersa gloria hominis sicuti flos fœni, (vel vt alii) agri. Exsiccatum est fœnum & cecidit flos, quia spiritus Domini insufflauit in eo, &c. Idemq; Psalmus CIII. exponit, cuius sententiam Eobanus Hessus hisce versibus descripsit.

Est homo persimilis fœno per prata virenti,
Vt breuis in pingui quæ rosa floret agro.
Quam simul attigerint vrentis flamina venti,
Aret, & exiguo victa calore jacet.

Esaiæ dictum vero sic expreßit amicus noster, dum in terris agebat, optimus, Matthias Bergius, eruditione singulari præditus vir:

Instar est mollis caro nostra fœni,
Quod per herbosos adolescit agros;
Suaue dum flatu vegetante vernat
Aura Fauoni.
Sirii fœnum feriunt calores,
Candidos Cauri perimuntque flores:
At DEI sermo stat, & omne firmus
Durat in æuum.

HOC OMNIS CARO.



Quisquis es, hunc fœni qui spectas fortè maniplum,
Respice te: Fœnum es: pone supercilium.

TRIA hæc serta concinnata videmus ex Olea, Lauro, & Quercu, quarum arborum proprietates ac mythologicas veterum interpretationes, in aliis symbolis explicauimus. Hanc vero admodum ingeniosam inuentionem symbolicam vsurpare, semperq; ante oculos habere voluit illustris Franciscus Columna Stephani filius, hoc pacto se & alios admonens, cogitationes & actiones nostras semper eo intentas esse debere, vt aut hisce tribus corollis, quibus indicatur sapientia, doctrina ac rei militaris peritia, ad conseruationem communis patriæ laudabiliter ornemur, aut si aliter fieri nequeat, in tam honesto ac vtili Reipub. instituto vitam quoque nostram impendere non dubitemus. Ac profecto juuenis iste generosus, & ad quæuis magna natus atq; educatus, cum in hoc suo proposito constantissime perseueraret, in ipso flore suæ juuentæ in viuis esse desiit. Tales videlicet illi fuêre populi, de quibus Stobæus ex Nicolao: Ὀμβρικοὶ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς πολεμίους μάχαις αἴσχιστον ἡγοῦνται ἡττημένοι ζῆν, ἀλλ᾽ ἀναγκαῖον ἢ νικᾷν, ἢ ἀποθνήσκειν: Ombrici in pugnis aduersus hostes turpissimum ducunt victos viuere, sed necesse est aut vincere aut mori. Nempe pulcrum & animosum est Hectoris illud apud Hom. τεθνάτω, οὔ οἱ ἀεικὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης: Moriatur, non enim indecorum est defendenti patriam mori.

HIS ORNARI AVT MORI.



Fronde oleæ, lauri, quercus contexta corolla
Me decoret, sine qua viuere triste mihi.

FRVMENTORVM *ac leguminum semina ac grana in terram projecta, ac illi quasi concredita, certo tempore renascuntur, atque multiplices fructus producunt. Sic nostra etiam corpora, quamvis jam mortua, ac terrestri sepulturæ destinata, in die tamen ultima resurgent, & piorum quidem ad vitam, impiorum vero ad judicium. Qua similitudine S. Paulus quoq; uti voluit* I. *ad Corinth.* XV. *vbi ait: Seminatur corpus in corruptione, & surget in incorruptione. Quem locum D. Ambrosius explicans præclare hæc subijcit. Si ergo, inquit, gramen seminatur, vt Dei nutu, quodammodo elementorum ministerio vestitum resurgat, multa secum habens incrementa vtilitatis humanæ: cur non credibile sit, Dei virtute mortuum posse resurgere, meliore tamen reddita substantia, non numero multiplicatum? Et D. Chrysostomus in Hom. de Resurrectione idem tradit. Etenim semina, ait, nisi prius moriantur & putrescãt ac corrumpantur, non pariunt aristam. Sicut igitur qui videt ibi gramen quod corrumpitur & dissoluitur, non dubitat de resurrectione, sed certissimam demonstrationem vsurpat: (nam si ita maneret & non corrumperetur vel dissolueretur, certum, quod nunquã resurgeret) sic cogita & in corpore tuo; cum vides corruptionẽ, tunc potiss. de resurrectione philosophare. Quid quod Saluator ipse ad hanc considerationem nos reuocat? Sic enim ait Ioan. cap.* XII. *Amen amen dico vobis, &c. Et huc pertinẽt Ezech.* XXXVII. *ossa arida: Ecce ego dabo vobis spiritum & viuetis: dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnem. Alibi legitur,* SPES VNA SVPERSTES, *nimirum post funus.*

SPES ALTERA VITÆ.



Securus moritur, qui ſcit ſe morte renaſci:
Non ea mors dici, ſed noua vita poteſt.

Errata typographica, quæ in Centuriam primam irrepſerunt.

Symb. XXXVIII. lin. VIII. a f. lege partem. *Symb. LV. lin. III. lege* exarceſcens. *Symb. LXXXIII. lin. VI. lege* Marchio. *itẽ lin. penult. leg.* homini. *Symb. XC. lin. X. lege* Πολλάκι.

SYMBOLORVM & EMBLEMATVM EX ANIMALIBVS QVADRVPEDIBVS DESVMTORVM CENTVRIA ALTERA COLLECTA.

A

IOACHIMO CAMERARIO MEDICO NORIMBERG.

Exponuntur in hoc libro rariores tum animalium proprietes tum historiæ ac sententiæ memorabiles.

AN° SALVT. CIↃ·IↃ·XↃV·

IN II. IOACH. CAMERARII EMBL. ET SYMB. CENTVRIAM.

ECquid adhuc superest? animalia bruta loquuntur,
Et variæ monstrant cognitionis iter.
Virtutisq́ue suæ non una exempla ministrant,
Quæ natura animis delituisse dedit.
Ne, si deficerent doctores atque Magistri,
(Hei procul à nostrâ sint mala tanta domo!)
Nulla aliunde queas vitæ præcepta parare,
Quàm quæ mortali prodita voce capis.
Aspice quæ libro CAMERARIVS *edidit isto,*
Aspice sculptoris symbola facta manu.
Quàm varios hominum mores, quàm multa videbis,
Quæ nos à brutis non didicisse pudet!
Si te delectat pietas, si provida virtus,
In solo invenies hæc Elephante bona.
Et sua portat Equus, portat sua commoda cervus,
Quæq; Aper addiscas jam moriturus habet.
Et scelerum hic cernis pœnas, & præmia justi,
Et fugere insidias, qua ratione queas.
Quicquid agis, sapienter agas, neu despice, si quid
Ad mores faciunt hæc documenta tuos.
Nil nocet unde habeas, sed nil habuisse nocebit,
Sit satis ut poßis arte cavere malum.
Brutorum qui facta videt, & non sapit istis,
Hic verè bruto brutior esse potest.

HELIAS PVTSCHIVS.

NON *tam propter molem corporis, qua alia animantia Elephas, quam ob rationis quandam similitudinem, atq; inprimis speciem pietatis, ab eo in his Symbolis ac Emblematibus exordiri placuit. Apud Aelianum enim lib.* VII. *c.* XLIV. *pulchra est sententia & commemoratione digna*: ἐλέφαντες μὲν θεοὺς προσκυνοῦσιν, οἱ δὲ ἄνθρωποι, ἢ ἄρα γε εἰσὶ θεοὶ, καὶ ὄντες εἰ φροντίζουσιν ἡμῶν, διαπορουσι; *id est, Ergo Deum Elephantes venerantur, homines autem sit ne Deus nec ne sit, dubitant, tum si sit, humanasne res curare dignetur? Sed & alia multa admiratione digna, & propemodum fidem superantia de Elephante, tam veteres quam recentiores autores litteris mandarunt, quæ legi pleraque poterunt apud Aristotelem, Plinium, Plutarchum, Aelianum, Strabonem, Solinum, ac qui nostris temporibus de illo scripserunt, apud Garziam de horto Hispanum, atq; eruditiss. virum Iustum Lipsium in Epistolis. Scribit autem Solinus, & alii confirmant, Elephantes Luna splendente gregatim amnes petere, ac mox aqua aspersos, Solis exortum certis gestibus salutare, deinde in suos saltus reverti. Vnde &* θειόσοφον ζῶον *Elephas Arriano dicitur lib. de rebus Indicis. Merito itaq; exemplo huius animantis nos quoque assidue ad pietatem colendam, atque pura mente* DEVM *venerandum assuefacere debemus: quam quidam veterum* ἀρχὴν καὶ τελευτὴν πασῶν τῶν ἀρετῶν, *id est, omnium virtutum principiũ atq; finem esse dixit; cum quo Aristotelis sententia congruit,* ἀρχὴ ἀρίστη πάντων μὲν ὁ θεὸς, ἀρετῶν ἡ εὐσέβεια. *Omnium quidem rerum principium optimum* DEVS, *virtutum autem pietas. Alii alias inscriptiones addiderunt, ut* PIETAS NOS DEO CONCILIAT. *vel,* VT DIGNVS ADOREM. *vel,* SIC ARDVA PETO. *item,* PRÆLATA TRIVMPHO. *Nostra vero ex Tibulli notiss. versibus desumpta est.*

CASTA

CASTA PLA-CENT SVPERIS.



Injiciat nobis brutorum hæc cura stuporem,
Qui tarda incipimus quærere mente DEVM.

STRABO *lib.* XV. *de Indiæ loquens Elephantis, hoc encomium illis tribuit, quod ſint natura mites, & manſueti, atq; ad animal ratione præditũ accedant propius. Sic Ariſtoteles lib.* IX. *de Hiſt. animal. placidiſsimum & mitiſs. omnium ferarum dicit Elephantem. Aiunt autem tantam illius eſſe manſuetudinem erga debiliora animalia, ut gregatim occurrentia pecora proboſcide paulatim removeat atq; ſegreget, ne forſitan imprudens illa conculcet atq; proterat. Addunt præterea* Φυσιολόγοι, *illum niſi laceſsitum non facile iraſci vel ſævire. Vnde Sereniſs. Dux Sabaudiæ Emanuel Philibertus occaſionem Symboli ſumens, addidit,* INFESTVS INFESTIS. *Sed prior nobis magis arridet ſententia, quamvis & hæc altera interdum locum habere debeat. Idq; utrumq; breviter admodum Cicero exponit, lib.* I. *de Officiis hisce verbis: Nihil laudabilius, nihil magno ac præclaro viro dignius placabilitate ac clementia. Addit tamen hoc quoq; non minus prudenter: Et tamen ita eſt probanda manſuetudo, ut adhibeatur Reipub. cauſſa ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt. Et Homerus eandem virtutem commendans, ait:*

> στρεπταὶ μέν τε φρένες ἐσθλῶν:
> Placabiles ſunt animi bonorum.

Ac noti ſunt verſus Ovidiani:

> Quo quisque eſt major, magis eſt placabilis iræ,
> Et faciles motus mens generoſa capit.

Cuius generis multa præclara dicta leguntur apud Senecam in duobus libris de Clementia ad Neronem.

Alibi aſcriptum reperitur. REGNI CLEMENTIA CVSTOS. *deſumtum ex Claudiani hemiſtichio, Mundi clementia cuſtos.*

MAN-

MANSVETIS GRANDIA CEDVNT.



Præterit, haud Elephas animalia parvula lædit;
Nempe quod hinc clemens Rex imitetur habet.

IN Aethiopiæ parte, cuius regni caput est Meroe, teste Strabone & Aeliano, reperiuntur Dracones, quibus cum Elephantis pugna esse solet. Plinius refert Indicos Elephantos esse maximos, ac bellantes cum ipsis perpetua discordia Dracones tantæ magnitudinis, ut & ipsos circumflexu facile ambiant, nexuq; nodi perstringant: mutuamq; illorum necem Philo quoq; Iudæus narrat tract. περὶ ἀφθαρσίας κόσμου. *Hoc Symbolum Iovius scribit à se esse excogitatum in gratiam Sinibaldi & Ottoboni Fliscorum, qui illud usurparunt ad memoriam justæ ultionis (quemadmodum ipsi arbitrabantur) propter fratrem tertium Hieronymum Comitem, crudeliter ab æmulis suis Fregosiis interfectum, cum eam ob caussam paulò post quinque etiam ex familia Fregosia violenta morte perierint. Addita fuit inscriptio Hispanica:* NON VOS ALABAREIS, *id est, non est quod vos gloriemini propter crudelitatem vestram, cum potius de Reip. Genuensis principatu legibus aut armis legitimis debuissetis contendere. CL. vir D. Sambucus in Emblematib. de hac cruenta pugna tales versus composuit.*

Qui victor sentit cum victo se periturum,
  Ambitione magis quam ratione tumet.
Quid mihi profuerit vinctus, qui mutua collo
  Vincula molitur, me interimatq; cadens?
Sic Elephas stratus complexibus usq; Draconis,
  Conterit hærentem mole, ruensque necat.
Ille mihi tandem pretium meritumq; triumphus
  Pendit, qui factum non nece, laude beat.
Interdum caussa melius cessisse videmur,
  Dum mors vindictam leniat aut moveat.
Sed tamen è summo vinci, victoria quædam est,
  Conditio servi corrigitur domino.

Usus est quoq; hoc Symbolo Delphinus Titio Comes Tesanæ, cum inscriptione non multum dissimili, VINDICE DEO.

NON

III.

NON IMPVNE FERES.



Contemnit mortem, qui non moriturus inultus,
Vna etiam est hostis certa ruina sui.

RHINOCEROS *à cornu quod in naso unicum habet, quasi naricornis dici potest. Martialis de gemino cornu licentia poëtica loquitur, cum alterum in dorso potius tuberosum quippiam, nō proprie cornu sit. Taurum Aethiopicum Pausanias lib.* V. *& lib.* IX. *vocat. nec apparet Aristotelem huius animalis fecisse in suis scriptis mentionem. Huius accuratam designationem curavimus exprimi ab icone in æs eleganter incisa, ex Hispania nuper allata. Tradit autem Suetonius Augustum Imperatorem primum Populo Romano Rhinocerotem spectandum exhibuisse, quamvis Plinius hoc Pompeio Magno ascribat. Alterum hunc habet hostem Elephas, cum cornu ad saxa limato sese ad pugnam præparet, & in dimicatione cum Elephanto alvum adversarii ut molliorem petat. Eamq; pugnam describit quoq; Oppianus lib.* II. *de Venatione. ac exemplum commemorat Munsterus lib.* V. *Cosmographiæ, ubi Elephas à Rhinocerote victus succubuerit. Quod si ventrem hostis sui non præoccupaverit Rhinoceros (ut Aelianus refert) proboscide Elephanti feritur, ac dentibus tandem dilaniatur. Hoc Symbolo usus est Alexander, Dux Florentinus, gener Caroli V. Imper. Roman. eo innuens, pro conquirenda nominis gloria, atq; insuper ad Imperatoris sui existimationem propugnandam, magno animo se nullum periculum subterfugere, atque eam ob caussam vel præclaram victoriam reportaturum, vel ipsam etiam mortem subiturum esse. Ascriptum fuit dictum Hispanicum,* NON BVELVO SIN VINCER, *id est, non discedam sine victoria, alludens ad versiculum Martialis:*

Rhinoceros nunquam victus ab hoste redit.

NON ERGO REVERTAR INVLTVS.



Vincere, vel pulchræ laus est occumbere morti,
Sed tremulo à pugna turpe redire gradu.

RHINOCEROTEM *non nisi admodum irritatum ad iram provocari, & commotum illam ægre deponere, Pierius in Hieroglyphicis annotat, unde excandescentiam vehementem, post lentitudinem irascendi, per hoc animal veteres ex Oro indicasse refert. Quod etiam ex Martiale colligitur, qui hoc de eo epigramma composuit.*

Sollicitant pavidi dum Rhinocerota magistri,
 Seque diu magnæ colligit ira feræ.
Desperabantur promissi prælia Martis,
 Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
 Iactat ut impositas taurus in astra pilas.

Sic quoque viri fortes, nisi valde irritati, & aliqua insigni injuria stimulati, non cito deponunt animi sui moderationem, sed ad justam indignationem nimium provocati, tandem sese acrius incitant, & egregie viros exhibent. Quemadmodum autem eiusmodi heroicus impetus in magnis viris merito locum suum habet, ac laudem quoque meretur, sic absq; discrimine non ubique imitandi sunt, sed potius aurea sententia ante oculos habenda, QVO MAIOR, EO PLACABILIOR. *Quod dictum Nic. Reusnerus in Symbolis Imperat. prolixe explicat. Aristotel. quidem affirmat in Eth.* τοὺς ἀνδρείους εἶναι θυμοειδεῖς, *fortes esse iracundos, &* τὸν θυμὸν αὐτοῖς συνεργεῖν, *iram adiuuare eos, adducto etiam ibi Homeri testimonio. Sed Euripides præclarè monet,* ἀσκεῖν σώφρονα εὐοργησίαν, εἶναι πρὸς σοφοῦ ἀνδρὸς, *id est, sapientis esse operam dare, ut moderate indulgeat iræ. Versus autem integri, unde hæc desumta sunt, leguntur apud Virgilium de Entello, lib. v. Aeneid.*

V.

VIM SVSCI-TAT IRA.



Non temere cæcam vir fortis fertur ad iram,
Iusta sed indigne læsus in arma ruit.

PER Leonem, animal generosum & validū, tam sacri quam profani scriptores fortitudinem & robur exprimere voluerunt, sicuti serpens fuit typus prudētiæ & intelligentiæ. Quapropter Albertus Baduarius Nobilis Venetus Leonem, cui circa collum serpens fuit circumvoluta, ostendere voluit, fortitudinem semper esse cum prudentia conjungendam, addiditque græcam inscriptionem, ΟΥΔΕΝ ΚΑΘΗΚΟΤΕΡΟΝ, id est, nihil decentius nec præclarius. Officium enim prudentis viri est, ut Aristoteles tradit VI. Ethic. Nicomachi: δύνασθαι καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τὰ αὐτῷ ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα, id est, posse recte in mediū consulere de iis, quæ sibi ipsi sunt bona ac utilia. Idem autor III. Ethicorum vult ἀνδρείαν εἶναι μεσότητα περὶ φόβου καὶ θάρρη, Fortitudinem esse medium inter metum & confidentiam. In quam sententiam eleganter & breviter D. Bernhardus lib. I. de Consideratione, Fortitudinis matrem vocat prudentiam, & addit paulo post: Bonus circuitus est, si justicia quærit, prudentia invenit, fortitudo vendicat, temperantia possidet, ut sit justicia in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in usu. Præclare etiam Demosthenes in oratione funebri, ἁπάσης, ait, ἀρετῆς ἀρχὴν εἶναι μὲν σύνεσιν, πέρας δ᾽ ἀνδρείαν, καὶ τῇ μὲν δοκιμάζεσθαι τὶ πρακτέον ἐστι, τῇ δ᾽ σώζεσθαι: Universæ virtutis principium quidem esse sapientiam, finem autem fortitudinem, & illam quæ agenda sunt explorare, hanc vero tueri. Euripides vero in Hercule, & prudentiam sine audacia, & hanc sine illa in vitio posuit.

NIHIL DECENTIVS.



Provida magnanimæ si adsit prudentia dextræ,
Dic mihi quæ rerum pulchrior esse queat?

DE *canibus Indicis (quos Aristoteles & Plinius scribunt ex cane & tigride procreari) plures apud veteres autores historiæ leguntur. Diodorus Siculus, & Strabo lib.* XV *commemorant, duos canes Indicos miræ ferocitatis Alexandro M. à Rege Indiæ Sopithe fuisse donatos. Pollux vero unum tantum huius generis à Poro Rege missum scribit. Aelianus, ut & Curtius, quatuor eiusmodi canum meminit, & multa de illis in medium profert. Omnes tamen in hoc consentiunt, istis canibus Indicis natura præ aliis esse inditum, ut spretis animalibus minoribus leones inprimis petant, atq; ita obstinate retineant, ut sibi crura potius, nullo clamore edito, abscindi patiantur, quàm feras dimittant. Non aliter viri fortes & virtute præstantes, nihil nisi quod honestum ac laudabile est, constanter sibi imitandum & conservandum statuunt, atq; ideo pro patria, pietate & sui nominis fama pugnare constanter student, atq; pro iisdem vitam denique profundere non dubitant. Posset autem (meo judicio) non inepte huic picturæ quoque accommodari hemistichium istud Virgilianum ex lib.* IV. *Aeneid.* MENS IMMOTA MANET. *Quamvis hac quoque in parte cautio adhibenda sit, ne nos (quemadmodum Cicero* 1. *de Off. monet) offeramus periculis sine caussa, quo nihil potest esse stultius, atque ideo tales homines temerarii & imprudentes à Græcis uno vocabulo nominãtur* ῥιψοκίνδυνοι. *Et idem pro Roscio Amerino* ῥιψοκινδυνίαν *projectam audaciam nominat. Nec ineptè huc transferri posset prouerb.* Nisi crura fracta sint. *Quod Cic. Philip.* XIII. *in Plancum jactat: Illud tamen verum, quod in hoc Planco proverbii loco dici solet, perire eum non posse, nisi crura ei fracta essent. fracta sunt, & vivit. &c.*

NEC CÆSUS CEDAM.



Nunquam, cæsa licet, linquit canis Inda leonem,
Nec, licet accisus, facta decora bonus.

AEGROTANTI *Leoni Simiam comestam singulare esse in morbo remedium, Plinius, Aelianus, & plures alii perhibent. Orus vero Aegyptius refert Leonem febricitantem, nam illi febris quartana (si Phile Graeco autori fides est adhibenda) existimatur esse familiaris, simia solere vesci, & illius esu convalescere. Aristophanes in Ranis assentatores & parasitos δημοπιθήκους, id est, populares simias, qui alios suis fraudibus decipere consueverunt, non abs re vocat. Constantinus verò Imperator, secundum Aurelium Victorem, tineas & sorices palatii nominare solitus est, quos sanè principes & potentiores funditus ex suo consortio removere atque extirpare deberent. Quod si facerent, tum demum ad saniorem statum regna & Respubl. pervenire possent. Quare etiam Curtius historicus adulatorem perpetuum regum malum appellare non dubitavit, cum eorum opes sæpius pessundet & evertat, quam ipse etiam hostis apertus. Et Bias apud Plutarchum rogatus, quænam bestia omnium maxime esset noxia, Inter feras, respondit, tyrannus, inter cicures adulator. Pierius ex Oro supra indicato, aliam etiam ipsi significationem attribuit, nimirum hoc Symbolo declarari hominem, qui sibi ipsi mederi queat. Unde Doctissimus Constantinus Landus Complani Comes, in explicationibus Romanorum quorundam nummorum, Leonem cum Simia in ore, addito dicto,* SIBI IPSI SALUS, *pro Symbolo habuit, innuens sua doctrina & virtute sibi in rebus adversis facile remedium esse comparaturum.*

AD MEDELAM.



Ipse sui est morbi medicus leo: vos quoq; Reges
Assentatores pellite sponte malos.

IX.

LEONEM, *quantumvis animal ferox, Plinius scribit circumactos rotarum orbes, & cantus gallinaceorum, & omnium maximè ignes timere. Cæterum quod ad primum atq; tertium attinet, rem ita sese habere rerum Naturalium scriptores affirmant, secundum verò de gallinaceis nonnihil adhuc esse controversum videtur. Nam nostris temporibus in aula Serenis. Principis Bavariæ Monacensi unus ex Leonibus, miris saltibus in vicinam cujusdam domus aream sese demisit, gallinaceorum cantus aut clamores nihil reformidans, atq; ipsos una cum pluribus gallinis devoravit. Vt igitur ignis subito & sine causa Leonem perterrefacit, ita videmus potentioribus vana quædam & abjecta terriculamenta (Græci μορμολύκεια vocant) sæpe objici, quæ ipsos nimis alioqui sese efferentes terreant & in officio contineant. Sed & alii plurimi ex ignorantia quadam sæpe metuunt non metuenda, ut elegantiss. versibus expressit Lucretius:*

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntq; futura.

Adrianus Iunius vir doctiss. paulo aliter hæc explicat, atq; hoc indicari vult, iræ esse quasi malagma Philosophiam, & vehementissimi affectus impetum non melius sedari, quàm hujus consideratione, ac inprimis meditatione cœlestis sapientiæ, quæ facis instar mentem nostram illustret atq; regat. Cujus versus elegantes hic quoq; placuit ascribere.

Getulus leo non sic aliud quam metuit
Tædam flammivomam, qua rabies sæva cadit.
Sidit trux animus vel facibus luciferis
Cœlestis sophiæ, aut supplicii terriculis.

IX.

MAGNOS VANA FUGANT.



Non est ingentis vis expers ulla timoris.
Sic pavet infesto percitus igne Leo.

AJUNT *Leonem, injecto capiti pallio, quo statim acies oculorum illi adimatur, usque adeo feritatem suam deponere, ut etiam vinciendum se homini præbeat. Quam rem Plinius libro* VIII. *cap.* XVI. *annotavit, perhibens omnem vim in oculis consistere. Quæ etiam copiose referuntur à Plutarcho in præceptis politicis. Nemo autem hoc emblema (meo judicio) melius explicuit ipso B. Chrysostomo in Homilia ad S. Matthæum* IV. *hoc modo: Leonem quidem mitigas reddisque tractabilem: furorem verò animi tui omni prorsus efficis leone sæviorem. Ponamus iram quoque bestiam esse. quantum igitur ab aliis erga mitigandum leonem studium datur, tantam tu erga iracundiam impende curam, & effice hujusmodi cogitationem mitem ac mansuetam, siquidem hæc fera & unguibus sæviss. armatur ac dentibus. Nisi illam solicite mansuefeceris, cuncta simul disperdet ac lacerabit. Et pulchrè Ambrosius: Præclarum est motum temperare consilio, nec minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam indignationemque compescere, quàm omnino non irasci, cum plerumque illud levius, istud fortius æstimetur. Rectè itaque Menander:*

Νίκησον ὀργὴν τῷ λογίζεσθαι καλῶς,
Adhibita ratio fac superet iram tuam.

Quidam generalius ascribunt, SUPERAT SOLERTIA VIRES. *Nā validissima & robustissima quæque ingenio & prudentia tandem vincuntur. Quem locum communem egregie tractat Oppianus lib.* V. *Halieut.*

IRAM PRUDEN-TIA VINCIT.



Si licet objecto ſagulo tractare leonem,
Quid tandem eſt, iram nolle domare ſuam?

ILLUSTRISS. *Princeps laudatissimæ memoriæ Rodolph. Anhaltinus, ex antiquiss. Ascania stirpe oriundus, cum multis præclaris victoriis tam in Vngaria quam Geldria celebre nomen sibi peperisset, tandem in Italia sub Maximiliano Primo cõtra Venetos claruit, atq; utilem operam illi navavit, tandẽq; Veronæ (ut fama fert) veneno fuit è medio sublatus. Hic igitur præstantiss. Princeps in suis signis militaribus curavit depingi, virginem timidè leoni cibum ex patina porrigentem, addito Germanico dicto,* allzeit in sorgen / *cui quidam hoc addidit distichum,*

Nuda à præsidiis ego virgo ministro leoni:
Danda opera est magnis, sed comitante metu.

Quo ostendere voluit, viros prudentes, quibus reipub. cura est commissa, in perpetua versari solicitudinẽ, & liberalem metum nunquam deponere debere, ne scilicet aliquid negligenter aut temere, secundum Hippocratem, committant, quo potentiores offendi possint. Atq; hunc metum Plato lib. III. ac V. de legibus, plurimum commendat, pudoremq; illi adjungit comitem tanquam caussam omnis honestatis. ac præterea in dialogo Euthyphrone sive περὶ ὁσίου *ostendit Socrates, non rectè dici à Stasimo Cyprio,* ἵνα γὰρ δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς, *id est, ubi timor, ibi & pudor, sed potius, ubi pudor, ibi timor. Est enim alius quoque metus servilis, qui semper conjunctus est cum odio, secundum Ennium ex Cicerone II. de Officiis.*

Quem metuunt oderunt,
Quem quisque odit, periisse expetit.

Admonet etiam hoc Emblema potentiorum favore & gratia caute esse utendum, cum sæpe levi de caussa mutentur,

Gratia fortunam sequitur, veluti umbra sereno
Sole aliquod corpus, sol occidit, occidit umbra.

XI.

SEMPER IN METU.



Ardua sunt cujus commissa negocia curæ,
Fac animum usq; habeat sollicitudo tuum.

SÆPE admiratus sum, qui fiat, quod in tam indefesso hominum studio investigandi etiam in remotiss. regionibus varias res incognitas, nihil tamen adhuc certi vel perparum explorati habeamus de ipso Monocerote sic propriè dicto, cum etiam apud veteres autores de illo variæ opiniones reperiantur. Et quamvis alia plurima animalia rara Romani populo spectanda exhibuerint, apparet tamen ex historiis hoc animal nunquam illos ostendisse. Est autem hoc Symbolum desumtum ex veteri nummo, è cujus una parte Monoceros conspicitur, cornu in aquam intingens, ex altera inscriptio, ΝΥΣΑΙΩΝ, id est, Nysæorum, Indiæ nimirum populorum. Notum autem est, tribui huic cornui hanc peculiarem vim & proprietatem, quod contra pleraq; venena sit admodum efficax; unde quidam perhibent, priusquam Monoceros ex aquis impurioribus, quas circa aspides & alia genera serpentum ac venenatarum bestiarum stabulantur, bibat, cornu suum in illas immergere & quasi depurgare salubrioresq; reddere. Qua similitudine docemur, beneficio sapientiæ atq; laudabilis doctrinæ, in rebus dubiis ac periculosis, posse nos omnes difficultates & remoras, quæ à virtutis & honestatis via avocant, removere, & mala à bonis segregare. Bartolomeus Alvianus Dux militaris Venetus, ascribi curavit in suo vexillo, VENENA PELLO, innuens se instar unicornis noxia & venenata animalia fugantis, sua virtute bellica contrariarum partium hostes esse extirpaturum.

NIL INEXPLORATO.



Te quoq; serpentum sitiunt mala secla ferarum,
Explora & cautus tetra venena fuge.

PRIMUS (*quod ego sciam*) *inter scriptores non adeo antiquos hujus Symbolicæ potius quam veræ inventionis author est Iohannes Tzetzes in libro variarum historiarum, qui vixit circa annum à* CHRISTO *nato* M. D. LXXVI. *Idem postea tradiderunt Albertus Magnus & alii. Isidorus quidem autor Tzetze multo antiquior lib.* XII. *Etymolog. capit.* II. *scribit Rhinocerotem amore virginis denudatæ capi. Videtur autem Rhinocerotem cum Monocerote (quod & aliis accidit) per errorem confundere, cum magnum inter has feras sit discrimen. Hi igitur* μυθολογοῦντες *scribunt, unicornem odore & amore castæ virginis captum, omni ferocitate deposita, ad eam accedere, caputq; in ejus sinum ponere, atq; ita tandem somno obrutam capi. Quam allegoriam Gesnerus putat inde esse natam, quod rerum Naturalium autores scribant, unicornem sui generis feras quoq; hostiliter persequi, nec aliter cum fœmina assuescere, nisi libidine stimulatum. Typus est castæ & puræ vitæ, qualis inprimis virginibus convenit, quæ non solum hominibus moderatis summopere probatur, sed etiam à ferocioribus magni fieri, & ad se amandum allicere solet. Sic apud Senecam in Hercule furente Lycus quærit à Megara, an,*

Objici feris monstris virtutem putet?

Quæ respondet:

Virtutis est domare quæ cuncta pavent.

Nonnullis potius placuit ascribere ad hanc picturam, VIRTUS SECURITATEM PARIT.

Aliis autem, OPTIMA INSIGNIA.

HOC

XIII.

HOC VIRTUTIS AMOR.



Quem non vincat amor castæ virtutis & ardor?
Virtus tanta potest, vincat ut illa feram.

VT cornu Monocerotis non per se in tanto pretio habetur, sed propter ipsius contra venena efficacitatem & utilitatem desideratur, ita monemur in universa vita, non opinione nuda æstimationis solummodo, sed experientia & usu cuncta esse perpendenda, cum nihil sit in pretio habendum, quod nō etiam sit verè utile & fructuosum. Horatius sane usum divitiarum & partorum bonorum non frustra toties nobis inculcat. Igitur præceptis ejusmodi admoniti, meritò etiam diligenter sumtus temperare ac metiri debemus. Quam enim multis (secundum Socratem apud Platonem) inutilibus & superfluis quoq; carere possumus? præsertim hoc nostro superbo atq; sumtuoso sæculo, ubi copia rerum non adeo necessariarum, & effusissimi luxus prodigalitate passim omnia, quà publicè quà privatim in pejus ruunt, paulò pòst (ut timendum) præcipitem casum allatura. Nam aurea ista frugalitas, quam διδάσκαλον σοφῶν καὶ ἀρίστων βουλευμάτων Sophocles nominat, id est, magistram consiliorum sapientum ac optimorum consiliorum, passim spernitur, atq; è medio pellitur, è contrario autem crescit πολυτέλεια (juxta veterem Græcum scriptorem Ecphantem Pythagoricum. libr. de Regno, citāte Stobæo) μάτηρ τᾶς ἀκρασίας, αὕτα δ᾽ τᾶς ὕβριος, ἐξ ἇς τῶν ἐν ἀνθρωπίνοις κακῶν τὰ πολλά, id est, Luxus & profusio, quæ est incontinentiæ mater, hujus verò petulantia, ex qua multa mala hominibus enascuntur. Describit hoc Emblema CL. vir Ioannes Sambucus, & satis magnas vires tribuit cornui Monocerotis, de quo alibi, DEO volente, in peculiari commentario, accuratius disseremus.

PRETI-

PRETIOSUM QUOD UTILE.



Commoda quæ est usu non fama, res pretiosa est.
Displicet hæc paucis, at placet illa magis.

CAME-

CAMELORUM *duo genera reperiuntur apud veteres, præsertim Aristotelem & Plinium: Bactrianum nimirum sive Asiaticum, & Africanum; illi bina, hi singula tubera in dorso habent. Hoc animal (ut Plinii verbis utar) sitim & quatriduo tolerat, impleturq; cum bibendi occasio est in præteritum & in futurum, obturbata proculcatione prius aqua, aliter potu non gaudet. Quam proprietatem Aelianus quoque Elephanti ascribit. Theophylactus autem Simocatus in quæstionib. suis physicis ejus rei hanc causam affert, quod Elephas si umbram suam in aquis videat, terreatur; ideoq; Indos illunem noctem observare, si quando trajiciant hoc animal flumen. Eundem profecto ad modum homines inquieti ac turbulenti omnia propter suã utilitatem pervertunt, tranquillitatis publicæ hostes (quorum utinam hodie non tantus extaret numerus) qui omnia sua consilia & cogitata eo dirigere student, ut alios inter se committant, ac bella non necessaria excitent. Et scimus nostris temporibus callidum quendam ducẽ militarem crebro solitum esse dicere, non nisi aqua bene turbata piscationem esse uberem. De hoc apud Iovium talis legitur historia: Virginius Vrsinus strenuus alioqui bellator, contra aliorum sententiam, etiam suorum gentilium, quo tempore quasi universa Italia contra Gallos conspiraverat, nihilo tamen minus ipse castra Gallica sequi maluit. Atq; ideo hoc Symbolo usus est cum Gallica sententia,* IL ME PLAIT LA TROUBLE, *mihi turbida placet, sed parum extitit ipsius conatus felix: nã in isto bello gravissimo obsessus Atellæ, in hostium potestatem pervenit, & tandem in carcere Castelli de Ovo Neapoli justas suæ temeritatis pœnas luens, misere interiit.*

TURBA-

XV.

TVRBATA DELECTAT.



Turbat aquam sitiens cum vult haurire Camelus,
Sic pacem ex bellis, qui lucra fœda sitit.

INTER *alias proprietates Camelo hæc quoq; aſcribitur, quod ſponte in genua procumbens (Herodoto etiam lib.* VII. *teſte) vel ſeſſionem recipiat, vel aliud onus conveniens admittat. Cumq; juſtum ſarcinarum pōdus ſibi impoſitum ſentiat, rurſum ſeſe erigit, & alacriter progreditur, ubi verò nimium ſeſe oneratum animadvertit, aut ſuccumbit aut abjicit impoſita. Quo monemur in omnibus rebus eſſe mediocritatem auream obſervandam. nam ſecundum Poëtam,*

Qui ſua metitur pondera, ferre poteſt.

Idemq; nos docet Delphicum oraculum, τὸ, μηδὲν ἄγαν, quod Terentius latinè expreſſit: ut ne quid nimis. *At noſter Hippocrates in Aphoriſmis non minus graviter quam breviter pronunciat: καὶ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, τὸ δὲ κατ᾽ ὀλίγον ἀσφαλὲς: Omne nimium eſt naturæ inimicum, quod verò paulatim fit, tutum. Præterea hoc Symbolo docemur, nihil ultra vires temere eſſe tentandum, ſed Horatianum potius iſtud meditandum,*

Metiri ſe quenque ſuo modulo ac pede verum eſt.

Hyppolitus Cardinalis, Eſtenſis Senior eo quoq; eſt delectatus cum inſcriptione Hiſpanica, NON SVEFROMAS DE LO QVE PVEDO: *Non plus quam poſſum tolerabo: Vel* TANTVM QVANTVM POSSVM. *Alii univerſalius aſcripſerunt:* RATIONABILE IMPERIVM. *Et extant Germanici in hanc ſententiam rythmi ſatis concinni,*

Lad auff mein Rück / daß ich vermag /
Sonſt laß ich ligen / was ich trag.

NIL

XVI.

NIL VLTRA VIRES.



Ne nimium imprudens teneris impone lacertis,
Et fortem ſternunt pondera iniqua virum.

 PLI-

PLINIUS *libro ſæpius citato, inquit de Camelis: Velocitas inter equos, ſed ſua cuiq; menſura, ſicuti & vires. Nec vltra aſſuetum procedunt iter, nec plus inſtituto opere recipiunt. Quod Symbolum cum priore non male convenit, à contrario ſenſu deſumptum. Quamvis verò alii ad ſuos amores non tamen inhoneſtos accommodarint, indicantes nulla ratione à ſuo propoſito ſeſe abſterreri poſſe, tamen ad alias omnes præclaras actiones, inuicto animo conſtanterq́; proſequendas & abſoluendas, rectè hoc poterit quoq; transferri. Quæ virtus græcè propriè vocatur* φιλοπονία, *id eſt, induſtria & amor in laboribus capeſſendis. Eo Symbolo vſus eſt Veſpaſianus Gonzaga, Dux Sabionedæ, cum dicto,* IVVAT EMTA LABORE GLORIA. *Quo indicare voluit, ſe dies noctesq; omni cura in hoc incumbere, ut ex ſtudiis & laboribus ſuis præclaram laudem ac gloriam acquirere poſſit, cum græcum proverbium quoque idem ſubijciat,* ἐκ τοῦ πόνου κλέος. *Ex labore gloria. Et Xenophon* κύρου παιδείας *lib.* I. *eleganter hoc quoq; protulit,* ἐπικουφίζει ἡ τιμὴ τοὺς πόνους τῷ ἄρχοντι, *id eſt, Ipſe honos leviorem facit Imperatori laborem, quemadmodum Cicero eſt interpretatus. Ac extat elegans carmen Claudiani in Epithalamio Honorii, quod oſtendit laboris impatientem ad virtutis culmen non aſcendere, nec eius optatos fructus capere:*

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæis latebris nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.

XVII.

NEC META NEC ONVS.



Sternit humi, immensum quod pondus iterq́ʒ, Camelum,
Sternitur haud fortis laudis amore labor.

CAMELOPARDALIS *Græce ac Latine dicta, Aethiopibus Nabis, Arabibus verò ac Turcis Zurnapa, unde vulgare Giraphæ nomen, putatur apud Pausaniam in Bœoticis sive libro* IX. *esse Camelus Indica. Plinius Iulium Cæsarem primum Romæ in Amphitheatro ludis Circensibus spectandum hoc animal dedisse scribit, quod Dion lib.* XLIII. *Romanæ histor. confirmat, atq; ibidem Camelopardalin accurate describit, quemadmodũ & Oppianus* III. *Cyneget. Strabo ac Heliodorus, & inter recentiores Petr. Bellonius lib.* II. *observationũ suarum, quam ante paucos annos Germania quoq; vidit. Strabo lib.* XVI. *propter suam asymmetriã & partium inconcinnitatem nihil illi celeritatis tribuit, ac* βόσκημα *potius esse dicit. Vnde Horatius lib.* II. *epistol.* I. *ad Augustum fecit,*

Diversum confusa genus Panthera Camelo.

Recte autem hac similitudine illi notantur, qui omnia dicunt vel faciunt stulte & confuse, nec ullibi sibi constant, secundum usitatum versiculum,

Diffidet à cunctis sibi qui contrarius ipsi est.

At contra in omnibus rebus commendatur verus ordo & εὐσχημοσύνη *ac harmonia mutua, de qua Plutarchus in commentario de Musica inquit,* ὅτι δὲ σεμνὴ ἡ ἁρμονία καὶ θεῖόν τι καὶ μέγα, ἀριστοτέλης ὁ πλάτωνος ταυτὶ λέγει. ἡ δὲ ἁρμονία ἐστὶν οὐρανία, τὴν φύσιν ἔχουσα θείαν καὶ καλὴν καὶ δαιμονίαν, *id est, porro autem quod Harmonia res sit divina, veneranda & magna, Aristoteles Platonis discipulus his verbis confirmat. Enimverò Harmonia res est cælestis, eiusq; natura divina & pulchra atq; admiranda. Quæ tametsi autor ad Musicam tantum eo in loco referat, tamen de omnibus aliis, quæ recte,* εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν *(ut S. Apostoli verbis utamur) fiunt, rectè dici poterũt.*

XVIII.

DIVERSVM CONFVSA GENVS.



Cernis ut inconcinnam habet hæc fera longa figuram:
Quicquid agunt ſtulti, nil habet harmoniæ.

VRVS

VRVS ἀπὸ τῶν ὀρῶν, *id eſt, à montanis locis in quibus degit, ſecundum Iſidorum, nomen accepit, quem in Hercynia ſylva Iul. Cæſar lib.* VI. *de bello Gallico reperiri ait, & multa de illo Eraſmus Stella in libro de origine Boruſſorum narrat. Plinius lib.* VIII. *cap.* XV. *ſcribit excellenti vi ac velocitate eſſe Vros, quibus imperitum vulgus Bubalorum nomen impoſuit. Ac inter alios Munſterus in Coſmographia, ubi deſcribit Boruſſiam, adeo eſſe feroces perhibet, vt ſi à venatoribus, qui poſt arbores latitant, telis & iaculis petantur atq; vulnerentur, adeo exardeſcant in iram & efferantur, præſertim ſi ſenſerint ſe eſſe ſauciatos, & hoſtem vlciſci nequeant, ut crebriore in arbores impetu facto, tandem ſe quoq; conficiant. Sic furores & impetus validi etiam potentiorum, qui nullo conſilio innituntur, arte ac prudentia ſæpè declinantur ac franguntur, cedendo quidem illis tempeſtiue, & in tutum locum ſeſe recipiendo: idq; Ouidius quoq; monuit hoc diſticho lib.* I. *de remedio amoris.*

Dum furor in curſu eſt, currenti cede furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet.

Ac nota eſt Horatii ſententia lib. IV. *Carm. Ode* IV.

Vis conſilî expers mole ruit ſua.

Oppianus quoq; lib. V. *Halieutic. hæc fecit,*

ὡς οὔτ' ἠνορέης οὔτ' εἴδεος ἔπλετ' ὄνειαρ
τόσσον, ὅσσον πραπίδων. ἀλκὴ δ' ἀνεμώλιος ἄφρων.

Id eſt, Nec robur tantum quantum prudentia præſtat,
Nec ſpecies; ſtolidæ vires ſine mente fatiſcunt.

Raro autem hæc duo coniunguntur. Nam, ut rectè ait Valerius Max. lib. XI. *cap.* XII. *nimio robore membrorum vigor mentis hebeſcit, quaſi abnuente natura vtriusq; boni largitionē, ne ſupra mortalem felicitatē ſit, eundē & ſapientiſſ. & validiſſ. eſſe.*

CVR-

CVRRENTI CEDE FVRORI.



Quis furor est cæco temere se offerre furori?
Cede, parum exspecta, nec mora, victor eris.

VRsos *certo tempore latitare in suis antris, quæ si non alia habere contigit, ex ramorum fruticumque cõgerie sibi struunt, impenetrabilia imbribus, mollique fronde constrata; in quibus residunt & priorum pedum suctu vivunt, eoque pinguescunt, Plinius, Oppianus, Aelianus, Artemidorus, & alii tradiderũt. Vnde etiam Theocritus* φωλάδας ἄρκτους, *id est, Vrsos in lustris degentes nominavit: Vbi etiam videndus Scholiast. Græcus. Sane haud aliter ingenia vivida, quò plus recessus & ocii interdum sibi sumunt, eo postea alacrius rursum sese exerunt omniaque peragunt, secundum illud Sophoclis,*

φιλεῖ γὰρ ὀκνεῖν πρᾶγμ' ἀνὴρ ῥέζων μέγα.

Solet enim remissius agere vir magnum negocium tractans.

Quemadmodum autem vita solitaria nimis, & istud λάθε βιώσας *(contra quod etiam Plutarchus eruditum commentarium conscripsit) intempestive & sine ratione susceptum, præsertim ab illis, qui Reip. & Patriæ præ aliis inservire possunt ac debent, non probatur: ita profecto hominum doctorum, & ad vitam philosophicam idoneorum secessus honesti minimè sunt vituperandi. Quod certe in hac infelicitate nostrorum temporum & tanta animorũ distractione privato nemini vitio verti poterit.* φίλον γάρ πως τοῖς ἀθυμοῦσι τὸ ἄμικτον καὶ φιλέρημον, *secundum Gregorium Nyssænum, id est, Gratum enim est quodammodo tristitia affectis locus secretus & solitarius. Ac præclara etiam est sententia Iustini Martyris in Epistola ista aurea ad Zenam & Severum,* συνελόντι εἰπεῖν, ὁ θέλων εὖ διάγειν, μήτε ὁράτω πολλὰ, μήτε ἀκούειν ἐπιδιδόσθω. *Vt autem breviter dicam, qui bene vult vitam peragere, neque videre, neque audire multa studeat.*

MAIOR POST OTIA VIRTVS.



Ceu lustris latitant ursi & sua membra relinquunt:
Sic meditatur opus doctus in arte novum.

PLVTARCHVS *in libello περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας, multa de informi vrsæ fœtu scripsit. Cui etiã astipulantur Plinius, Aelianus, Oppianus, Orus Niliacus, Phile, & alii plurimi. Aristoteles tamen lib.* VI. *cap.* XXX. *hoc distinctius explicat. Fœtum, inquit, minimum pro sui corporis magnitudine Vrsa edit, quippe quæ minorem cato, maiorem mure parere soleat, nudum, & cæcum, & crurib. propemodum mẽbrisq́; alijs indiscretum & rudem, h.e. ἀδιάρθρωτον. At ipse venatores nostros affirmãtes audivi, in vtero captæ Vrsæ gravidæ suis membris nonnihil distinctos catulos sese reperisse. Commenti autem huius causam præbuisse quidam existimant catulorum ortus crassissimis secundinis obuolutorum, quas non nisi lambendo diutius mater reuellere potest. Vsurpauit hoc Symbolum celebris iste pictor Venetus Titianus, quo indicare voluit, in certis quibusdam rebus Artem plus valere quam Naturam ipsam. Quod quidem ut in nonnullis veram esse cõcedimus, sicuti in arte pictoria & similibus: ita in plurib. alijs locũ habere nequit, Naturamq́; multo esse præstantiorẽ quotidie experimur. Et Pindar. ait Olymp.* IX.

Τὸ φυᾷ κράτιστον ἅπαν. Quod à natura est optimum omne.

Alibi legitur ascriptum, VTINAM PERPOLIATVR, *de operibus nimirum adhuc imperfectis & adhuc absolvendis. Quo pertinet eruditum Epigramma veteris amici mei Greg. Bersmanni de Parthenopeo secessu Virgilii, ex Donati commemoratione in illius vita:*

Vt nullo Musis interpellante vacaret,
  Parthenopes adijt rura quieta Maro.
Vrsaq; lambendo catulos ceu format inertes,
  Cudebat versus sic poliendo suos.
Assidua docti sua limant carmina cura,
  Et sub judicium singula verba vocant.

NATV

NATVRA POTENTIOR ARS.



Ars polit, haud fingit, natura utrumq; ministrat,
Quantum dißideant, indicat hic catulus.

CONSTAT *Vrsos pluvio interdum tempore, & imbribus cadentibus solere potiss. una colludere & exultari, quasi præsagientes depulsis nubibus auræ serenitatem esse brevi consecuturam. Sic viri fortes & constantes è longinquo sæpe in rebus suis adversis prosperiorem fortunam prospicientes, tantum abest ut abjecto sint animo ac perturbẽtur, ut etiam spe certa sibi omnia læta polliceantur, istud Horatianum crebro apud se meditantes,*

Non si male nunc: & olim
Sic erit.

Nam secundum Ovidium quoq;,

Nube solet pulsa candidus ire dies.

Atq; ita fortitudinem cum prudentia conjungentes, tanquam ducibus duobus certiss. facile consequemur, ut neq; in rebus secundis nimis nos efferamus, neq; in adversis desperemus, quod eleganter B. Gregor. Naziãzenus his Græcis versibus exposuit,

μὴ σφόδρα θαῤῥεῖν, μήδ' ἀπελπίζειν ἄγαν.
τὸ μὲν γὰρ ἐκλύει σε, τὸ δ' ἀνατρέπει,
τὸ μὲν κατόρθου, τοῦ δ' ἔχου, τοῦ δ' οὐφθόνος,
οὐχ ὡς ὁδοῦ τὸ λεῖπον ἀχρειοῖ πόνον.

Ne fide multum, neve despera nimis,
Illud solutos efficit, pessundat hoc,
Hoc corrigens, illud tenens, reliquam sine
Livore rectius peragrabis viam.

Pulchrè etiam Apollodorus apud Stobæum dixit:

Οὐδέποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράττοντα δεῖ,
Ανδρες, τὰ βελτίω δὲ προσδοκᾶν ἀεί.

Nunquã oportet animũ despondere hominẽ infortunatũ,
O viri, meliora verò semper expectare.

SERENABIT.



Quaeris cur saliant pluviis? spes certa sereni est:
Hac tu confisus, pelle animi nebulas.

DE Vrsis hæc quoque Plinius litteris tradidit: oculi eorum hebescunt crebro, qua maxime caussa fauos expetunt, vt conuulneratum ab apibus os leuet sanguine grauedinem illam. Et Solinus inquit, nihil auidius quam mel captant, atque ideo aluearibus vbique insidiantur. Narrant autem aliquando accidisse, vt Vrsus cupiens aluearium in quercu veteri inuadere, atque inde mel auferre, ita valide pedem anteriorem in ramum sese reflectentem impulerit, vt inde rursum sese liberare neutiquam potuerit, & hoc modo detentum & captum fame periisse. Accommodabit sibi recte hoc Symbolum quispiam probus ac innocens, qui contra aliorum violentiam & iniustitiam, qui seipsos sæpe euertere, & in suam perniciem ruere solent, præter omnium opinionem conseruatur, quod Lucretii egregii versus nobis subjiciunt,

Circumretit enim vis atq; iniuria quenque,
Atq; unde exorta eſt, ad eum plerunq; reuertit.

Rectè igitur Xenophon lib. 1. memor. monet, prudentem non esse violentum, cum sciat, ὅτι τῇ μὲν βίᾳ πρόσεστιν ἔχθρα, καὶ κίνδυνος, *Violentiam comites habere inimicitiam atque periculum: Additque eleganter,* οὐκοῦν, οὐ τῶν φρόνησιν ἀσκούντων τὸ βιάζεσθαι, ἀλλὰ τῶν ἰσχὺν ἄνευ γνώμης ἐχόντων τὰ τοιαῦτα πράττειν ἐστίν: *Quamobrem vim facere non est prudentiæ studiosorum: Sed qui robur sine mente possident, violentis gaudent facinoribus.*

XXIII.

VIOLENTA NOCENT.



Vt favus exitio eſt Vrſo, ſic ſæpe malorum
Autorem illaqueant visq; dolusq; ſuum.

EX antiquo nummo Iulii Cæſaris, in cuius altera parte bos ad ſacrificia deſtinatus, ſtans ante aram exprimitur, cum inſcriptione IOVI OPT. MAX. SACRVM, *hoc Symbolum videtur habuiſſe ſuam originem. Hic verò autor illius addidit quoq; aratrum, cum hoc animal potiſſ. ad opera ruſtica expedienda, aptum natum eſſe nemini ſit dubium. Vnde in nummis tam Græcis quàm Latinis per boves vel tauros Coloniarum deductiones intelligebant, ſicuti quoq; rei frumentariæ fuere inſignia. Quod ex Varrone quoq; diſcimus, oppida (inquiens) condebant in Latio Hetruſco more multa, & junctis bobus, id eſt, tauro & vacca interiore aratro circumagebant ſulcum. Hoc convenit in illos, qui non ſolum pietate ac religione, ac omni laudabili doctrina cupiunt excellere atq; aliis præire (quod per ſacrificium cum bove peractum oſtenditur) ſed etiam aliis pluribus laboribus, ſicuti bos arans, indefeſſo ſtudio hominibus uſui eſſe atq; inſervire ſtudent. Nam, ut Menander ait:* τὰ χρηστὰ πράττειν ἔργον ἐστ᾽ ἐλευθέρου, *Res bonas facere hominis eſt officium ingenui. Aſcripſit autem inprimis hoc Symbolum ſibi (ut Hieronymus Ruſcellus refert, & ex epiſtolis Italicis Hannibalis Cari itidem licet animadvertere) Onophrius Panvinius Veronenſis, ordinis Auguſtiniani Cœnobita, vir admodum laborioſus, ut ſcripta ab ipſo compoſita teſtantur.*

XXIV.

IN VTRVMQVE PARATVS.



Ferre jugum, jugulumq́ue dare, est bos aptus utrinque;
Sic pia turba facit, grata DEO *referens.*

LIVIVS *lib.* XXII. *memorabilem historiam memorat de Hannibale in angustiis ad Casilinum à Fabio Max. Cunctatore incluso, quem ipsum tamen alioquin prudentissimum ducem militarem, mira arte & ingenioso strategemate deceperit, commentus (ut Livius loquitur) ludibrium oculorum specie terribile ad frustrandum hostem. Faces enim undiq; ex agris collectas, fascesq; virgarum & arida sarmēta præligari curavit cornibus boum, quorum ad duo millia fuere, atq; primis tenebris noctis, accensis cornibus armentum in hostes, jussu ipsius, concitatum fuit. Interea illi qui ex Romanis ad transitus saltus insidendos locati fuerunt, circumventos se esse existimantes, præsidio excesserunt: atq; ita Hannibal ex illis faucibus evasit, & in agro Alifano securus castra posuit. Apparet itaq; ex hac historia, inter præcipuas boni ducis militaris virtutes hanc non esse postremam, ut si quando se tempore locoq; ac aliis in rebus hosti suo inferiorem videat, neutiquam tamen planè desperet, sed in omnem occasionem intētus non minus arte & ingenio, quam aperto Marte adversario suo terrorem simul & errorem incutiat, & hoc pacto se & suos incolumes conservet, & ab omni periculo tutos præstet. Sic eleganter Val. Maximus lib.* VII. *cap.* III. *Romanam virtutem præsidiū ab astutia mutuasse dixit. Sed in hac parte nimis callida, atq; multo etiam magis perfida consilia locum habere non debent. Vnde etiam apud Virgilium lib.* XI. *Aeneidos ironice potius (ut quidam interpretes volunt) quam verè ex sententia autoris dicit Chorœbus,*

Dolus an virtus quis in hoste requirat?

TERROR ET ERROR.



Fraudem fraude, aſtum non fallere dedecet aſtu,
Sæpe timore timor truditur, arte dolus.

PLVTARCHVS *in Sympoſiacis lib.* VI. *cap.* X. *de tauro ad ficum manſuefacto hæc litteris prodidit. Equidem ſpiritum validum & vehementem in fico exhalare, cum viſus plane teſtatur, tum id quod de tauris fertur, ſcilicet ficui alligatum taurum etiam ferociſſ. quieſcere, tactumque admittere, & omnino ferociam quaſi langueſcentem deponere. In acrimoniam tamen arboris major pars cauſſæ collata eſt. Plinius vero lib.* XXIII. *cap.* VII. *ſicuti Orus quoque, hoc potius Caprifico aſcribit: & quidem collo eorum hanc circumdatam (ut pictura repræſentat) mirabili natura compeſcere tauros ait, ut immobiles præſtet. Cuius proprietatis cauſſam Cælius Calcagninus lib.* II. *quoque inveſtigare conatur. Sic frenum petulantiæ eſt ſæpe adverſa fortuna hominibus rêbus ſecundis nimis ſeſe efferentibus, vel aliis vitiis impune indulgentibus, & idem quoque præſtat doctrinæ ſanioris inſtitutio, & ad virtutem ac honeſtatem aſſuefactio, quibus animi hominum effrenes ad modeſtiam & manſuetudinem reducuntur, quod præclare Horatius lib.* I. *epiſt.* I. *ad Mecœnatem ſubjecit his verſibus,*

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem præbeat aurem.

Qui ſimiliter lib. II. *Serm. Satyra* III. *introducit Polemonē Athenienſem perditæ luxuriæ adoleſcentem, qui ebrius & coronatus forte ingreſſus ſcholam Xenocratis, cum Philoſophus hic acriter de induſtria eſſet in luxuriam invectus, coëgit pœnitentia ductum oratione ſua Polemonem, ut depoſita priore mala vita philoſophiæ ſerio operam daret, qui etiam eidem Xenocrati poſtea ſucceſſor fuit datus. Ait autem poëta de ipſo*

Potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas,
Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri.

QVAN-

QVANTVM MVTATVS AB ILLO.



Corniger ut blandus fit amictus fronde: at inertem,
Frugi vix facias, ni bene pressus eat.

Bos

BOs *dicitur taurus castratus, hoc modo tam ad opera rustica quàm ad saginam magis idoneus, quē Plinius etiam nominat socium laboris agriq́; culturæ. Et Aristoteles in Oecon.* βȣν ἀντὶ οἰκέτȣ τοῖς πένησιν εἶναι: *inquit, Loco servi bovem esse pauperibus. Perhibent autem boves ferociores & magis generosos hoc quoq; habere proprium, ut in pascuis & pratis quempiam locum peculiarem occupent, nec alios facile admittant. Ac descripsit graphice huiusmodi boum impatientium consortis pugnam Oppianus lib.* XI. *Cyneget. Vsus autem est hoc Symbolo Rex Poloniæ Stephanus Batorius, magnanimus & prudens admodum, nec non literatus Princeps, satis quidem apposite, cum pascuis simul & bobus ista regio abundet, non obscurè innuens, se ad Regni illius possessionem, magnis laboribus & periculis acquisitam, nullum facile socium esse admissurum, cum secundum Thyestem apud Senecam,* Non capiat regnum duos. *Quòd longè antè dixit Ennius, teste Cic. in Off.*

Nulla sancta societas, nec fides regni est.

Secutusq; illum Lucanus affirmat lib. 1.

Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.

Illustriss. Princeps Maximilianus Sfortia, Dux Mediolanēsis, eodem Symbolo delectatus est, cum inscriptione, MELIORA QVÆRO: *Volens significare forsitan, se instar bovis, in pascuis semper optima quæq; quærentis & seligentis, consiliis quoque melioribus & prudentioribus cupere frui: quidam tamen opinati sunt, tacite hoc Symbolo eum innuisse, se adhuc regionem adhuc uberiorem appetere. Ante ascriptum fuerat:* NEMINEM ADMITTO.

XXVII.

MIHI PASCVA SOLI.



Solus opima tenet bos pascua, parta tuetur;
Tu quoq; sic dotes solus habeto tuas.

IN antiquis numismatibus equus ad currendum se incitans, summam rei celeritatem & alacritatem Symbolice exprimit. Montis verò ascensus acclivior & asperior, virtutis iter difficile quidem, quo tamen ad veram gloriam tandem perveniatur, denotat. Venti autem procellosi, equi cursum remorantes, omnis generis adversitates, & impedimenta plurima, quæ viros probos & virtutis amantes à præclaro suo proposito avertere vel saltem aliquantisper detinere solent, non male significant. De quo Euripides quoq; in supplicibus queritur,

πολλοὶ γεγῶτες ἄνδρες ὐκ ἔχυσ' ὅπως
δείξωσιν αὑτὺς τῶν κακῶν ἐξυσίᾳ.

Multi viri nati honesto loco non possunt
Seipsos palam ostendere, propter malorum potestatem.

Idemq; Menander deplorat,

——ὡς ἄδικον, ὅταν ἡ μὲν φύσις
ἀποδῷ τι σεμνὸν, τῦτο δ' ἡ τύχη κακοῖ.

Quam injusta res, cum natura quidem
Egregium aliquid contulerit, fortuna autem hoc depravat.

Nihilominus contra omnes insultus & procellas graviores, à via virtutis nunquam abscedendum, ac fortiter resistendum, donec superatis omnibus malis optatum finem consequamur. Quod Cicero quoq; monet lib. III. *Tusculanar. Quæstion. Nulla (inquit) potest esse diuturna gloria, quam labor strenuus ac indefessus primum non antecesserit. Quo pertinent Propertii lib.* IV. *Eleg. versus elegantes.*

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires,
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

Fuit autem hoc Symbolum usurpatum à doctiss. Italo Ludovico Dulce, & ejus inscriptio: TERRESTRIA FLAMINA VETANT.

FRVSTRA

XXVIII.

FRVSTRA REMORANTIBVS AVSTRIS.



Non remoratur equum vis venti assurgere in aura.
Virtutis nec sors aspera tardat iter.

GENEROSI *equi nobilem sobolem accuratè expressam à Virgilio III. Georg. (vel Apulei etiam testimonio) feliciter imitatus est dulciss. Oppianus in I. κυν. Et sanè sunt quædam quasi incunabula & elementa virtutis: animiq; procedente tempore ad summum gloriæ culmen perventuri, certo cum indolis experimento, uti Val. Max. lib.* III. *cap.* I. *loquitur, & ejus rei pulcra exempla commemorat. Sed à pullo præcipuè generoso & spem magnam concitante de se apud alios, atq; in lætis pascuis exultante, adhuc in adolescentia (ut conjicio) sua Symbolum elegit hoc illustris Nicolaus Bathorius, Comes Sacmariensis (cujus prosapia celeberrima ac antiquissima multos semper viros præstantiss. protulit) quo scilicet ob* εὐφυΐαν ϗ εὐγένειαν *ad præclara facinora peragenda seipsum incitare, & magni animi spẽ de se exuscitare voluit, atq; id quidem paulatim & suo tempore, non instar ingeniorum quorundam nimia cupiditate celeriter evolantium, & rebus arduis intempestive se ingerentium, cum magna sui nominis infamia. Nam, ut Accius poëta in colloquio ad Pacuvium apud Gellium lib.* XIII. *cap.* II. *dicit, quod in pomis est, itidem in ingeniis esse aiunt, quæ dura atq; acerba nascuntur, post fiunt mitia & jucunda. Sed quæ gignuntur statim vieta & mollia, atq; in principio sunt uvida, non matura mox fiunt putrida. Dixerat autem Pacuvius sibi duriora paulum & acerbiora videri, quæ scripsisset Accius in Tragœdia sua Atreo, quam ei recitaverat. Quintilianus etiam lib.* I. *Institutionum Oratoriar. de talibus ingeniis ante tempus sese ostendentibus rectè ait: ingeniorum veluti præcox genus non temere unquam pervenit ad frugem.*

ET

XXIX.

ETIAM PRAECLARA MINATVR.



Fortis equi virtus primis ſe prodit in annis:
Nec latet excelſi vis generoſa animi.

INTER *alia boni & generosi equi laudabilia signa non postremo loco hoc quoque esse scimus, quod sitibundus inter bibendum non primis tantum (ut dicitur) labris, sed subito profundeque satis, caput supra nares usque, in aquam immergat. Quod Plinius quoque retulit lib.* VIII. *cap.* XLIX. *Quo acrior equus est, eo altius in bibendo nares mergit. Sic quoque viri fortes ac bellicosi, quo majora pericula ipsos circumstant, & pluribus difficultatibus urgentur, eo acriores & alacriores in illis ipsis se exhibent. Unde apud Lucanum lib.* IX. *Cato exercitum in Libyam ducturus inter alias egregias cohortationes militibus hæc quoque suggerit:*

——Serpens, sitis, ardor, arenæ,
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris,
Lætius est, quoties magno sibi constat honestum.

Et Claudianus præclare.

Vile decus, quod non erexit prævius horror,
Ingentes geminant discrimina magna triumphos.

Ob quam caussam familiare sibi hoc Symbolum esse voluit fortis & strenuus bellator ac eques celebris, Bernhardinus de Cardina Neapolitanus, qui in multis ac gravib. bellis, quib. interfuit, & præclare præfuit, omnibus posthabitis periculis aut laboribus officium boni militis præstitit, & magna alacritate hostibus suis sese opposuit, atque semper eximiam inde reportavit laudem. Pulchrè Euripides:

Τὺς πόνυς γὰρ ὅι 'γαθοὶ
Τολμῶσι, δειλοὶ δ' εἰσὶν ὐδὲν ὐδαμῦ.
Boni viri subire labores
Audent, & n usquam ulla in re sunt timidi.

ANIMO

ANIMO PETIT IMA PROFVNDO.



Totus equus naso ceu fertur anhelus in undam,
Præsenti adversis obvius ito malis.

PLATO

PLATO *in Phædro sive in dialogo de pulchro, proponit elegantem similitudinem de duobus equis, quibus omnis generis cupiditates & appetitiones significare voluit, quæ si rationi obtemperent, bonæ, sin minus, pravæ evadant. Quare si ira, superbia & alia vitia Rationis rectæ quasi vinculo non coerceantur ac constringantur, homo suæ potestatis esse amplius nequit, sed efferatur in omnes partes & extra se rapitur. Et, ut Isocrates præclarè dixit:* ταῦτα πάσχει τοῖς ἅρμασι, τοῖς τοὺς ἡνιόχους ἀποβάλλουσιν: ἐκεῖνά τε γὰρ ἀτάκτως φέρεται διαμαρτάνοντα τῶν εὐθυνόντων. ἥ, τε ψυχὴ πολλὰ σφάλλεται διαφθαρείσης τῆς διανοίας: *idem ei quod curribus evenit, è quib. aurigæ sunt excußi. Nam ut hi temere feruntur, carentes gubernatoribus: Sic animus in multa delicta impellitur, mente subversa. Accuratius etiam rem & magis theologice explicat Chrysostomus in Homil.* V. *ad Isaiam: Anima habenas laxans cupiditatibus extra rationem positis, quovis rapitur, nec aliter quàm equus ferociens, ubi frenum ore, sessorem tergo excußit, fertur quovis vento velocius, omnib. obviis intolerabilis. Timore itaq;* DEI, *quæ est vera ratio Christianorum, undiq; constringenda, & intra suos limites continenda. Pulcerr. igitur Claudianus in Paneg. Mallii:*

Diis proximus ille est,
Quem ratio, non ira movet.

Et eleganter Socrates ait, μόνῳ τῷ λόγῳ καθάπερ ἐπιτρόπῳ σώφρονι, παρακαταθετέον τὸν βίον: *Soli rationi tanquam consultißimo tutori vitam omnem credere convenit. Franciscus Tertius Bergomas in Genealogiis Serenißimæ Domus Austriacæ, cum iconibus Principum magna solertia in æs incisis, hoc Symbolum attribuit Luitfrido Comiti Habspurgensi Nono.*

XXXI.

HÆC VERA POTENTIA EST.



Affectus quisquis mentis moderatur habenis,
Fertur equo domito, qui vagus, ille fero.

APVD veteres maximæ commendationis fuerunt equi Thessalici, quibus bovilli capitis notam incolæ inurebant, à qua dictos volunt Bucephalos, non quod capite bovis essent præditi, ut Pomp. Festus voluit. Fuit autem κατ᾽ ἐξοχὴν ita nominatus equus Alexandri Magni & ipse Thessalicus, qui nullum alium quam Regem ipsum sessorem admittebat. Qui cum in prælio, quo Alexander Porum Indiæ Regem vicit, fuisset interfectus, in memoriam grati animi ad Hydaspim fluvium Indiæ, urbem Bucephalam ab ipso sic denominatam condi jussit, ut testãtur Stephanus de Vrbibus, Plinius, Strabo, & Iustinus. Quod exemplum nobis proponitur illustre, ut, secundum Senecam in libro de beneficiis, beneficiorum memoriam non sinamus ullo pacto senescere, immo gratitudinẽ quandoq; non solum ad homines, sed etiam ad animalia bene de nobis merita se debere extendere. Apud Dionem quidem & Iul. Capitolinum hoc etiam nomine Adrianus Cæsar, & Verus Imp. celebrãtur, quorum ille equo suo Borysthoni mortuo columnam inscripto epigrammate erexit, hic Volucri equo sepulcrum in Vaticano fieri curavit. Herodotus etiam equarum monumenta ob victorias Olympicas reportatas commemorat. Alii solo Bucephalo quasi ferociente utuntur, addito dicto: INDIGNOS INDIGNOR. Nam quemadmodum Alexander Magnus tantum fuit dignus habitus ab isto equo, ut eum reciperet sessorem, ita quoq; generosus animus omnia respuit præter virtutem & honestatem, nec unquam pravorum consuetudinem admittit. Quandoquidem (ut Xenophon ἀπομνημ. α. scripsit) ἡ μὲν τῶν χρηστῶν ὁμιλία, ἄσκησίς ἐστι τῆς ἀρετῆς, ἡ δὲ τῶν πονηρῶν, κατάλυσις: Bonorum quidem consuetudo virtutis exercitatio, pravorum autem, illius destructio atq; eversio est.

GRATO

GRATO SERVIISSE PATRONO.



Gratus equo ut fuerit, magnus docet ille Macedo,
Ornat honore novo, condidit huic tumulum.

LVPVM cervarium (quam appellationem hodie retinent Rheti, Sabaudi & Illyrii) vocamus illam feram, quam nostri Luchß nominant, quod vocabulum videtur cum lynce convenire, estq́; sic dictus, quod cervos soleat infestare, vel quod hinnulos (secundum alios) suis maculis imitetur. An θὼς sit Græcorum, adhuc disputatur: tametsi Gaza contra sententiam Gesneri ita lupum cervarium verterit. Plinius perhibet, quamvis in fame mandenti, si respexerit, oblivionem cibi subrepere, digressumq́; quærere alium, & ita, ut Solinus refert, immemor præsentis copiæ, it quæsitum quam reliquerat satietatem. Quod pariter avaris & ambitiosis sæpe contingere solet, qui dementati vana spe fortunæ uberioris præsentia commoda per stultitiam negligunt, perinde ut Canis carnis frustum per flumen ferens in Apologo, cui Phædrus Aug. Lib. hoc προμύθιον dedit:

Amittit meritò proprium, qui alienum appetit.

Hesiodi autem versus notus est:

νήπιος ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει.

Stultus est, qui certis relictis, sectatur incerta.

Itemq́; Sophoclea sententia in Thyeste.

τῶν ἀμηχάνων δ᾽ ἔρως
πολλοὺς ἔθηκε τοῦ παρόντος ἀμπλακεῖν.

Non possibilium cupiditas
Multos fecit præsentibus frustrari.

Tractat idem Emblema sive Symbolum (nam diverso respectu utriq; accommodari poterit) Alciatus quoq; in Emblem. Apud Scip. Amiratum Italicum scriptorem additur dictum: QVOD TIBI DEEST MIHI OBEST. *Et apud alium,* VTINAM SIC IPSE FOREM. *Quæ ad ea, quorum recordatio est molesta, & libenter vellemus oblivisci, recte applicari poterunt.*

DEMENS

XXXIII.

DEMENS ALIENA REQVIRIT.



Incertis inhiat, certißima spernit avarus.
Ceu præsente alium linx cupit ipsa cibum.

LYNCES *scribit in Aethiopia reperiri Plinius, Lupos verò cervarios in locis Septentrionalibus. Videntur tamen esse animalia cōgenera, & utriq; attribuunt scriptores visum acerrimum, pellisq; varietatem. Plutarchus in libello contra Stoicos scribit, creditum fuisse de Lynceo quodam, quod saxa quoq; & arbores oculorum acie penetraret: imò & per terram eum conspexisse, quæ agerentur apud inferos, Apollon. tradit in Argonaut. Meminit quoq; illius Pindarus hymno* x. *Neme. & Horatius* I. *epist. ad Mecænatem:*

Non possis oculo quantum contendere Lynceus.

Hæc nonnulli ad hanc feram transtulêre, quod tamē fabulosum pluribus & nimis ὑπερβολικὸν *esse videtur, nihilominus eleganter accommodari ad aciem mentis singularem, & ingenii acumen & perspicacitatem poterit, quæ Græcis est* ἀγχίνοια, *eximia & admodum utilis, si ad res laudabiles adhibeatur: è contrario verò plurimum nocens ac perniciosa, ubi tam egregio ac divino dono ad futilia homines perperam abutantur. Tribuit autem hanc quoq; laudem Cyro Xenophon lib.* I. *in ejus* παιδείᾳ, ὅσα αὐτὸς ὑπ᾽ ἄλλων ἐρωτῷτο, διὰ τὸ ἀγχίνους εἶναι, ταχὺ ἀπεκρίνετο, *Quæcunq; alii interrogassent, ad ea propter ingenii celeritatem promte respondit. Præposuit suis libris hoc Symbolum Ioannes Baptista à Porta Neapolitanus, tacite eo ostendēs, se præ aliis conari Naturæ arcana & maximè abscondita investigare atq; aliis communicare, de quo ipsius studio aliorum esto judicium. Illius autem inscriptionem leviter, sed ad Symbolum accommodatius, immutavimus.*

XXXIV.

INSPICIT ET PERSPICIT.



Et muros penetrant fulgentia lumina Lyncis,
Et secreta acies perspicit ingenii.

TIGRI-

TIGRIDEM *apud Hircanos & Indos ferunt animal esse miræ velocitatis, ac maculosum, teste Plinio. Autores rerum Indicarum, qui nostro sæculo floruerunt, inter quos Oviedus & Petrus Martyr non postremi habentur, hanc feram describunt, & leoni quoq; parem vel maiorem faciunt. Pausanias in Bœoticis suis lib.* IX. *putat Mantichoram Indorum esse. In nostris regionibus an sit visa dubitatur. Aelianus cum Plinio ait* φιλότεκνον, *id est, sobolis esse amantem in hoc genere fœminam, usq; adeo, ut ad naves usq; prosequatur venatores, eosq; cogat catulos interceptos rursum unum post alterum abjicere. Pierius verò in Hieroglyphicis memorat, venatorem conscensa navi vix duob. vel uno tantum catulo ablato aufugere, in cõtinenti post se equo relicto, in quem Tigris omnem ultionis sævitiam convertens eum totũ discerpat. Ex quo videmus, vindictæ cupiditatem minuere non solum in feris, sed in hominibus quoq; dolorem solere, præsertim in iracundis & vera pietate minime imbutis, quæ nos multo aliter instruit, ac* DEO *vindictam esse relinquendam monet. Quæ poëta Ethnicus Iuvenalis quoq; nonnihil intellexit, ubi inquit,*

At vindicta bonum vita jucundius ipsa est.

Et statim addit.

Nempe hæc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum aut levibus videas flagrantia caussis,
Quantulacunque adeo est occasio, sufficit iræ.

Tandemq; egregie concludit.

Semper & infirmi est animi exiguiq; voluptas
Vltio, continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quam fœmina.

MINVIT

XXXV.

MINVIT VINDICTA DOLOREM.



Persequitur sobolis raptorem concita Tigris,
Et sæpè est magnis ultio grata viris.

DE Tigride Ambrosius VI. *Hexaemero cap.* IV. *& Albertus de animalibus hæc quoq; litteris mandarunt. Venatores quidam sphæras vitreas insequentibus matribus catulorum, quos rapuerunt, objiciunt, quas illæ intuentes imagine quam ipsæ reddunt, ita decipiuntur. nam catulos subesse putãt, quod sphæra moveatur, ceu vivum animal in se continens. Sed cum tandem pedibus sphæram Tigris confringit, ut catulo potiri queat, delusam se videns pergit insequi. Illi alias subinde sphæras objiciunt, deludunté; feram, donec tuto ad urbes vel naves evadant. Ex quo Claudianus fecit,*

Vitreæ tardatur imagine formæ.

Atq; inter recentiores poëtas vir doctiss. Petrus Angelius Bargæus lib. III. *Cynegeticorum,*

Speculo persæpe eluditur, ut se
Inspexit, natosq; illic decepta putavit
Esse suis caveis & iniquo carcere clausos.

Sic nimis crebro in nostris rebus, secundum Simonidem, τὸ δοκεῖν καὶ τὴν ἀλήθειαν βιάζεται, *opinio etiam ipsi veritati vim facit, &, ut Theognis ait,*

πολλάκι τὴν γνώμην ἐξαπατῶσ᾽ ἰδέαι.
Et mentem species fallere sæpe solet.

Vel, ut præstantiss. Hospitalius in quodam carmine fecit,

Et veri specie nos ludit opinio falsa.

Quod inprimis in vera pietate & religione Christiana summopere est fugiendum, ut Basilius Magnus multis verbis monet in Homilia ἐν λακίζοις, *quæ hoc loco ascribere nimis longum foret. Alii addunt:* TE PIETAS, NOS FALLIT AMOR.

FALLIT

XXXVI.

FALLIT IMAGO SVI.



Ambigua ſplendens nos fallit imagine forma,
Fallitur ut vitreo Tigris acerba globo.

PANTHERA à Græcis secundum Varronem dicta est ab omnifaria feritate, cuius sexum quidã distinguunt, ut marem Pardum, fœminam Pardalim vocent. Panthera Latinis vocatur Varia, à pellis varietate. Africanæ quoq; nominantur, cum in hac regione inprimis reperiantur, nunquam in Europa. In picturis & sculpturis veterum Pantheras, Leopardos, Tigrides & Lynces, ut cognata animalia, non facile semper est invicem discernere. Nota autem nostris quoq; temporibus est Panthera, ad quam refertur Leopardus. Legitur apud Plutarchum in commentario de solertia animalium, ad Pantheram pleraq; accedere animalia, suavitate odoris illecta, & maxime Simias. Idemq; testantur Aristoteles, Solinus, Aelianus & Plinius, qui postremus hæc clarius exponit, ubi sic scribit: Ferunt odore earum mirè solicitari quadrupedes cunctas, sed capitis torvitate terreri, quamobrem eo occultato reliqua dulcedine eius corripiunt. Idem ferè scribunt Theophrastus quoq; lib. de Odoribus, & Philostrat. lib. II. Quare sapientes Aegyptii (ut Orus scribit) hominem sceleratum & malitiosum designaturi, qui animum suum subdole occultet, Pantheram alia animalia persequentem pingebant, vitium profecto ut max. detestandum, sic hodie nimis usitatum: de quo Cicero III. Verrina orat: Nullæ sunt, inquit, occultiores insidiæ quam hæ, quæ latent in simulatione officii: ac lib. I. de Off. rectè ait, Nulla est totius injusticiæ capitalior quam eorum, qui cum max. fallunt, hoc tamen agunt, ut boni viri esse videantur. Et extat Dionis Chrysostomi libellus περὶ ἀπιςίας. Alii generalius ad omnia genera voluptatis pravæ referunt: de quibus Silius Italicus:

nec ira deûm tantum, nec tela, nec hostis,
Quantum sola noces animis illapsa voluptas.

ALLI-

ALLICIT VT PERIMAT.



Luxuriem juvenes, malefidos spernite amores,
Nam necat illectas Pardus odore feras.

APVD S. Prophetam Hieremiam cap. XIII. graviss. legitur increpatio, ubi ait, *Si mutare potest Aethiops cutim suam, aut pardus maculas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Id quoq; Gregorius Nazianzenus breviter repetiit, πάρδαλις οὐκ ἀποτίθεται τὸ κατάστικτον, οὐδὲ αἴθιοψ τὸ μέλαν: *Pardalis non deponit maculosum istud, nec Aethiops nigredinem.* Notantur autem inprimis hac similitudine homines praeter modum perverse mali & improbi, quorum subdoli & fallaces mores plane in naturam (ut dici solet) abierunt, nec salutaribus admonitionibus locum ullum concedunt. Qui etsi τόπον, non tamen τρόπον μεταβάλλουσι, ut Aeschines in Ctesiph. loquitur. Nam ut Menander dixit:

Ανουθέτητόν ἐστιν ἡ πονηρία:

Audire monita non solent ulla improbi.

Definit autem Ambrosius in Hexaemero malitiam, id est, μοχθηρίαν, esse mentis atq; animi depravationem deviam à tramite veritatis. Ac Cicero III. lib. de Natura Deorum: vult esse versutam ac fallacem rationem nocendi. Quae etiam praeclare explicat idem Nazianzenus, ὄντως (inquiens) ἀσυλλόγιστόν τι καὶ πρόχειρον πρᾶγμα ἡ μοχθηρία, καὶ οὐδέν ἐστι ὃ τοὺς πονηροὺς βελτίους ποιήσειεν, id est, profecto res est rationis expers improbitas sive malitia, nec quicquam est, quod pravos efficere possit meliores. Quod de illis intelligitur, qui emendationem nullam volunt admittere, ac dati sunt, secundum S. Paulum, εἰς ἀδόκιμον νοῦν, id est, reprobam mentem, quae res profecto omnium quae cogitari potest, est miserrima: nam eiusmodi deplorati homines (teste S. Petro) ταχινὴν ἀπώλειαν, id est, velox exitium sibi accersunt.

XXXVIII.

HAVD MVTABITVR VNQVAM.



Callida si varios sibi Pardalis exuit orbes,
Exuet & mores mens scelerata malos.

GESNERUS & alii, qui de Animalibus scripserunt, annotarũt hæc duo vocabula, Pardi ac Leopardi, interdum ab autoribus promiscue accipi, cum quidem nomen Pardi ante Lucanum & Plinium vix in usu fuisse deprehendatur, sed Pardalis de utroq; sexu sumebatur. Leopardi verò denominatio adhuc est recentior, cuius antè Iulii Capitolini aut Aelii Spartiani tempora nemo (quod ego sciam) meminerit. Significat autem propriè feram natam ex Leæna & Pardali. Paulus Venetus lib. III. refert magnum Tartarorum Chan sive Imperatorem venationis esse studiosum, & equo insidentem secum ducere Leopardum cicuratum, quem in cervos & damas emittat. Estq; apud plures Principes & ipsum Imperatorem nostrũ hæc venatio adhuc quoq; usitata. Ac tale est ingenium Leopardi, ut nisi intra paucos saltus (aliqui ternos statuunt) feram vel leporem assequatur, ira efferatus recedat, quem venator haustu sanguinis ex lagena, vel frusto carnis placare solet. Vsurpavit hoc Symbolum Senator præcipuus Venetus Iacob. Superantius (cuius gentile insigne quoq; est Pardus) qui summis in sua Republ. honoribus perfunctus, tandem fortunam parum propitiam expertus est. Significare autem eo voluit, celeritatem & industriã in rebus arduis peragendis admodum esse necessariam, quæ si non habeat locum, quiescendum & optatiorem occasionem esse expectandam. Quod elegantiss. Heliodorus lib. IV. Aeth. dixit: τῆς ὥρας ἐνδόσιμον ἐπιτηρεῖν, temporis oportuni occasionem observare. Bargaglius Italicus scriptor addit, AVT CITO AVT NVNQVAM. Vel, AVT CITO, AVT SPERNO, eodem ferme cum priore sensu.

XXXIX.

AVT CAPIO AVT QVIESCO.



Advigila, prenſa, momento occaſio conſtat,
Elapſo hoc, fruſtra quod facis, omne facis.

CERVVM *dicunt nominari,* ἔλαφον *quasi* ἔλοφον διὰ τὸ ἕλκειν τοὺς ὄφεις, *quod attrahat serpentes, vel* ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τοὺς ὄφεις, *quod serpentes abigat. Plinius narium spiritu dicit extrahere renitentes, quod Aelianus quoq; asserit, addens eos etiam à cervis devorari. Idem Lucretius lib.* VI. *refert,*

Naribus alipedes ut cervi sæpe putantur
Ducere de latebris serpentia secla ferarum.

Nec aliter Nicander in Theriacis, & Basilius Magnus in Hexaemero. Ac secundum Oppianum II. *Cyneget. &* II. *Halieut. & alios, cervi & serpentes mutuo odio tantopere flagrāt, ut etiā cornu cervinum, secundum Dioscoridem Scholiastē Apollonii lib.* II. *& Aelianum, suo suffitu abigat serpentes. Potest autem primum intelligi generaliter hoc Symbolum, de hominib. fraudulentis, & perversis simulatoribus, qui tametsi aliquantisper tanquam in antris suis & cæcis recessibus latitent, tandem veritatis tamen vi ac potentia inde extrahuntur atq; ab illa conficiuntur. Sic Peregrinus dictus quidam Philosophus, teste Gellio lib.* XII. *cap.* IX. *dicere solebat, errare eos qui spe & fiducia latendi peccent, cum nulla sit perpetua peccati latebra, eorumque falsæ opinioni hos Sophoclis versus opponebat,*

πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν. ὡς ἅπανθ' ὁρῶν
καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.

Nihil occulta ad hæc: quando cuncta tuens,
Et cuncta audiens, omnia revelabit dies.

Posset quoq; particulatim princeps aliquis, scelerum vindex justissimus, & improborū hostis acerrimus, ad aliorum terrorem eiusmodi Symbolo uti, qui sit secundum Euripidem (citante hos versus Stobæo)

τοῖς μὲν δικαίοις ἔνδικος: τοῖς δ' αὖ κακοῖς
πάντων μέγιστος πολέμιος κατὰ χθόνα.

Iustis quidem æquus & justus: malis verò
Omnium maximus hostis in terra.

NVL-

NVLLIS FRAVS TVTA LATEBRIS.



Dispereat fraus ficta dolis, candorq́; triumphet,
Tandem illa opprimitur, ceu latebris coluber.

QVI animi æger & multis curis atq; ærumnis affectus, arbitratur non alia ratione se posse dolori mederi, atq; mentis inquietudini consulere, quam hinc inde vagando & discurrendo, interea vera & efficacia sui mali remedia negligens, similis est cervo,

Quem procul incautum nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis.
ille fuga silvas saltusq; peragrat.

Frustra, nam

hæret lateri letalis arundo,

ut Virg. cecinit: & doctiss. Emblemate expressit Hadr. Iunius. Chrysostomus autem hac ipsa similitudine utitur Serm. in Oziam: Quemadmodum cerva telum corpore fixum ferens, licet venatorum manus effugiat, perit tamen tandem: Sic & anima telo concupiscentiæ, ob intemperatum & curiosum visum saucia, tametsi discedat, perit tamē & corrumpitur. Quapropter tranquillitatis & rationis veræ norma in ejusmodi casib. semper nobis ante oculos proponenda. nam, ut Plutarch. in cōm. περὶ εὐθυμίας *disputat,* τοιαύτην ὁ λογισμὸς εὐκολίαν καὶ μεταβολὴν ἐγγενόμενος μεταποιεῖ πρὸς ἕκαστον βίον, *id est, Recta ratio si accedat ad quodvis genus vitæ, & quamvis mutationem, eam reddit facilem. Quod argumentum luculenter quoq; tractavit Horatius in Epist. ad Bullat. lib. 1.*

Nam si ratio & prudentia curas,
Non locus effusi late maris arbiter aufert,
Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia, navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere; quod petis, hîc est,
Est Vlubris, animus si te non deficit æquus.

Alibi legitur ascriptum: HÆRET VBIQVE. *Vel,* NIL FVGA COMITANTE MALO.

HINC

HINC DOLOR, INDE FVGA.



Omnem tolle metum, mentem nec anxius urge,
Læsus enim frustra spicula fixa fugis.

APPIANVS (*ut antea dictum est*) *quo in loco describit pluribus verbis odium inter cervos & serpentes, commemorat quoq; , in finibus Libyæ, ubi maxima sit serpentum copia, cervos humi stratos, & quiescentes ab illis peti, atq; universum ipsorum corpus hostiliter infestari. Quibus cruciatibus illi exagitati fugere tentant, & cōtra suos inimicos dentibus & cornibus pugnant, eosque conficere conantur. Cumq́; ita sese affectos sentiunt, Naturæ quodam instinctu fluvios petunt, frigidosq́; fontes, cum alioquin natura sint calidissimi, ibiq́; cancellos comedentes sibi medicinam faciunt, quo facto statim serpentum reliquiæ ex eorum cute excidunt, ac cicatricibus vulnera obducuntur. Alii præter Aristotelem cancrorum non meminerunt. Explicat hoc Symbolum prolixe Hieronymus Ruscellus, & Cardinal. Carolum Borromæum sibi id vindicasse scribit. Vult autem per cervum intelligi hominem, totum pietati & divino cultui deditum, in uno* DEO *opt. max. tanquam salutari fonte spem suam collocantem: quod ex Psalmo* XLII. *quoq; apparet, ubi S. Vates dicit: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te* DEVS. *Sitivit anima mea ad* DEVM *fontem vivum. Serpentes autem hoc loco, ut & alibi in sacris literis, peccata, & diabolum, & quicquid sanctis ac bonis conatibus adversatur, significant. Non male quoque huc quadrat dictum Salom. Proverb. cap.* XIV. φόβος κυρίου πηγὴ ζωῆς, ποιεῖ δὲ ἐκκλίνειν ἐκ παγίδος θανάτου. *Timor* DOMINI *fons vitæ, facit autem declinare à laqueo mortis. Ac notus est egregius versiculus,*

Sola salus servire Deo, sunt cætera fraudes.

VNA SALVS.



Vna ſalus DEVS *eſt, pia mens ſolam hanc cape preſſa*
Aerumnis, ſitiens cervus ut ardet aquas.

NON *multum abeſt à priore ſimilitudine hæc quoque ingenioſa & elegans inventio Symbolica, qua exprimitur cerva matutino tempore, Sole jam exoriente æſtivis menſibus, tam propter ſui corporis caliditatem, quam cœli æſtum, puriſſimum rorem hianti ore jucunde excipere atq; eo ſeſe reficere. Deſignat autem cerva hominem religioni ac pietati deditum, ac cupide rebus omnibus aliis ſpretis divinorum oraculorum ſuaviſſimis meditationibus, præſertim ſub aurora, quādo animus debet eſſe purioribus & ſanioribus cogitationibus intentus, vacantem, ut quibus tanquā ſaluberrimo pabulo & deſideratiſſ. rore mens noſtra cœlitus nutriatur & recreetur. Sic veteres ſancti Doctores quoq; per rorem ſignificari in ſacra Scriptura doctrinam cœleſtem tradunt, qua nos ſola ſuſtentamur ac proficimus. Quod abunde etiam oſtendit S. David in Pſalmo iſto pulcherrimo* CXVIII. *quem omnes pii ſemper meditari, & memoriæ mandare debent. Idq; inter alia infinita præclara dicta Gregorius Nazianzenus quoq; hoc diſticho nos monuit;*

δεῦρ' ἄγε κόσμον ἅπαντα κἀ ἄχθεα τῇ δ' ἀπολείψας,
ἴσιον ἐς ζωὴν οὐρανίην πέτασσον.

Eia age & hîc omnem mundumq; faſcesq; relinquens,
In cœlum curſu dirige vela tuo.

Et alter ejusdem Nazianz. verſiculus notus eſt:

Θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων ἐπιλήθεο πάντων:

Aſpice mens ſurſum, terrenas abjice curas.

Apud alios, eodem ferè ſenſu, magis ad omnia liberalia & honeſta ſtudia refertur, addito dicto, MENS INTENTA SERENIS. *Alii addunt:* NIL AMABILIVS.

MENS

MENS INTENTA DEO.



Ore capit patulo rorem vaga cerva cadentem,
Rore riges nobis torrida corda DEVS.

IN *Scythia latiss. campis animal quoddam reperitur, paucis (ut opinor) adhuc cognitum, Snhak ab incolis dictum, silvestræ Capræ simile, quod, ut à fide dignis viris accepimus (qui etiam veram eius iconem nobis communicarunt) quotannis ad fines Podoliæ usque adventare solet, miræ pernicitatis, nec minoris ferocitatis, cornibus præditum striatis, albicantibus, pellucidis, acutis & validis (qualia apud meum quendam amicum hic quoque ostenduntur.) Hoc se quasi ductorem præbet Capreolorum gregibus, ipsisque præire solet, acerrimo visu simul & auditu præditum. quare longe lateque circumspiciens & omnia observans, facile hominum persequentium insidias è longinquo deprehendit, & comitibus sibilo acuto signum dat fugæ, ut in loca tutiora se recipiant. Qui typus profecto est pulcherrimus principis soliciti ac solertis, rectorisque vigilantis, quem Homerus ideo* ποιμένα λαῶν, *id est, pastorem populorum vocat. Et Chrysanthas apud Xenoph.* VIII. κύρου παιδείας *ait*, ὅτι ἄρχων ἀγαθὸς οὐδὲν διαφέρει πατρὸς ἀγαθοῦ, *quod nullum sit discrimen inter bonum principem & patrem bonum. Quidam attribuunt huius Symboli inscriptionem Hadriano Imperat. Rom. qui etiam (ut Dion commemorat) in frequenti Senatu publice hæc verba protulit,* οὕτως διοικήσω τὴν ἀρχὴν, ὡς ἐγνωκὼς ὅτι οὐχὶ τῶν ἐμαυτοῦ πραγμάτων, ἀλλὰ τῶν ἀρχομένων ἐπιμελοῦμαι. *Ita imperium administrabo, ut sciam non mearum rerum, sed subditorum me cura affici debere. Sic legum quasi colophon, clausula hæc additur,* SALVS POPVLI SVPREMA LEX ESTO. *Et dignissima tanto Rege vox est illa apud Homer.* λ. α.

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι:

Volo ego populum salvum esse potius quam perire.

NON

XLIV.

NON MIHI, SED POPVLO.



Rex bonus est pastor populi, tutorq́; paterq́;,
Nec sua, sed populi commoda sola cupit.

DE Capreolo Moschum proferente, diversæ sunt apud recentiores sententiæ, cum Arabum potius quàm Græcorum sit inventum. Simeon Sethi non adeo antiquus autor Græcus illius meminit, sed satis cōfusè describit, cum maximū esse dicat animal (nisi sit mendum in græco textu) & unicornem faciat. quod utrumq; falsum esse constat. immo dentes quidem habet exertos instar verris, sed nulla cornua. Hanc Gazelam vult esse Scaliger Arabum exerc. CCXI. *contra Cardanum, & ἐκ τῆς αὐτοψίας eam describit. Circa umbilicum solet tempore novilunii huic capreolo sive capreæ Indicæ abscessus quidā protuberare, qui maturus vel sponte rumpitur, vel ob quendā pruritum terræ aut saxo affricatus, humorem saniosum emittit (hinc à quibusdam pus aromaticū vocatur) evacuataq; hac vomica rursum sanguinē quasi menstruum colligit, & iterum suo tempore emittit. Maximus verò Moschi proventus est in China, ut in eius historia recenset Hispanus scriptor Io. Mendozza. Existimant autē peritiores hunc tam pretiosum succum producere & tanquam liberalitate uberiore compensare quod accepit, propter pascua odoratiss. herbarum, quæ in sanguinem convertantur & hunc odorem illi concilient. Alii ad quandam potius hoc ἰδιοσυγκρασίαν referre malunt. Imago hæc est Principis, qui subditorum suorum opibus & sumtibus sustentatur, atq; ideo majora illis, vice versa, si fieri poßit, reddere cupit, ut scilicet eius opera contra aliorum iniurias semper poßint vitam trāquillam & felicem agere. De quibus accurate disputant, Plato lib.* I. *de Republ. & Xenophon lib.* I. *&* VIII. *κύρου παιδείας. Suntq; noti versiculi Claudiani ad Honorium,*

Tu civem patremq; geras, tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.

XLV.

PRAEMIA DIGNA FERAM.



Munera quæ dominis fuerint data, tempore fiunt
Vberiora, velut Moschus odore placens.

DE Alce tam veterum autorum quam recentium descriptiones non parum quoq; inter se discrepare videmus. Nam quam Iulius Cæsar lib. VI. *de bello Gallico Alcem describit, doctiorū judicio est Machlis Plinii, quam in Moscovia adhuc reperiri, sunt qui dicant. Prutenica autem & Suecica Alce, Germanice voçatur,* Ellend/ *quasi ipsa sit miseria, cum timidū sit animal admodum, statimq; homines olfaciens fugiat, ac præterea quovis vulnere parvo accepto moriatur. Aiunt etiam Epilepsia laborare crebro, & ungula posteriore auri apposita inde liberari, quod tamen apud incolas etiam quosdam nondum fidem reperit. Olaus Magnus nescio qua de caussa Onagrum falso vocat. Albertus melius Equicervum: Cardanus, & alii magnum animal. Scaliger verò in Exercitationibus cum Rangifero (ut & alii) videtur confundere. Iubatos Bisontes nominari à Plinio putat Apollonius Menabenus Medicus ante hoc tempus Ioannis Regis Sueciæ, qui etiam peculiarem de eo commentarium conscripsit. Dodoneus existimat Strabonem, Solinum, Pausaniam (quamvis plenam illius cognitionem non habuerint) de nostra Alce esse intelligendos. Facultatem autem Vngulæ singularem inesse asserunt, quamvis infimæ parti corporis, contra Epilepsiam, & Hysterica mala, non solum intra corpus, sed amuleti quoq; instar adhibitæ. De Cornibus idem alii affirmant, non pauci negant, tametsi contra venena instar cervini cornu usurpari posse, non dubitem. De quo alibi plenius disputabimus. Discere autem inde debemus, sæpe etiam humilia & abjecta atque contemta non exiguam in se utilitatem continere. Quare Plinius recte dicit lib.* XV. *cap.* XIV. *Nihil tam parvum est, quod non gloriam (& utilitatem) parere posit. Cuius rei exempla plurima afferri possent, nisi ubiq; essent illa nota & obvia, & brevitas argumenti hoc loco id non permitteret.*

ET INFIMA PROSVNT.



Vilior haud pars est Alci, nec dignior ungue:
Ergo etiam parvis gratia magna data est.

APER iratus ac frendens, nimiaque vindictæ cupiditate irritatus, magno impetu arborem etiã validam dejicere cupit, quo tamen conatu irrito nihil aliud consequitur, quàm quod dentes sibi ipsi confringat, seque frustra conficiat; atque ita declarat, quam detrimentosa & noxia sit iracundia, omnis rationis expers. Vnde Xenophon dicit, ὀργὴν εἶναι ἀπρονόητον, *id est, iram esse improvidam. Pulchrè Hierax in opere de Iustitia apud Stobæum:* πολλοὶ γοῦν ἀνεγείροντες τὴν ἐν αὐτοῖς χολὴν, ἐκ τῆς πρὸς ἀλλήλους ὀργῆς, αὐτοὶ προαπέθανον, πρὶν τοὺς ἐχθροὺς τιμωρήσασθαι: *Vnde multi cognatam sibi bilem excitantes, ex iracundia mutua prius obiere, quam hostes suos ulti sunt. Cicero autem longam & accuratam disputationẽ de ira in* IV. *Tuscul. tandem ita concludit: Non igitur desiderat advocatum fortitudo iracundiam; satis est instructa, parata, armata per sese. Sciendum tamen, non solum ab aliis iram dictam esse cotem fortitudinis, sed etiam Aristotelem* IV. *Ethic. Nicomach. scribere,* τὸν θυμὸν συνεργεῖν *fortitudini, ubi non accipi debet* ὀργιλότης, *id est, proprie dicta iracundia, quæ semper est in vitio, sed vis quædam acrior & ardentior animi, quamvis hæc nomina quandoque non adeo accurate distinguantur. Qui vero de his plura velit cognoscere, legat inter alia Plutarchi libellum* περὶ ἀοργησίας, *& Senecæ tres libros de ira. Ante omnia verò Basilius Magnus consulendus, qui luculentum de hoc perniciosiss. affectu commentarium nobis reliquit. Nostra inscriptio est ex Ovid. Heroid. ubi Medea ait:*

Quo feret ira, sequar: facti fortasse pigebit.

FACTI

XLVIII.

AVT MORS AVT VITA DECORA.



Dixeris hos fortes, quos nec formidine mortis,
Pro patria lætos occubuisse juvat.

SCIPIO *Bargaglius in Italicis Symbolis, quas propriè vocant Impresas vulgo, cõmemorat quendã suo tẽpore fuisse admodum senem pecuniosum, ac multa pretiosa supellectile ac prædiis locupletem, ita tamen avarum simul & sordidum in universos, ut nihil quicquam beneficii aut liberalitatis ab ipso ulli esset expectandum. Hunc igitur Euclionem quidam ipsius familiaris saginato sui cõparare solitus est, è quo nisi occiso, nihil commodi aut emolumenti capi potest, cum ex Chrysippi sententia sus præter escam nihil habeat; Et Cato dixerit, animã ei pro sale datam, ne carnes purescerent. Talem nempe secundum Horatium lib.* I. *Serm.* I.

Non uxor salvum vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis amorem?

Verè igitur ac rotundè P. Syrus dixit: Auarus nisi cum moritur, nil recte facit. *Vbi addunt rationem:* Etenim cum moritur, tum demum permittit alios frui suis opibus. *Rectè igitur existimemus cum S. Apostolo Paulo* I. *ad Timoth.* VI. *& ad Ephes.* V. *esse* ῥίζαν πάντων τῶν κακῶν, *id est, radicem omnium malorum avaritiam, atq; insuper cultum idololatricum, avaros autem ipsos* εἰδωλολάτρας, *& secundum Chrysostomum, fomitem omnis injustitiæ, vel, ut Phocylides fecit,*

ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητος ἁπάσης.

Omnium avaritia est mater nutrixq; malorum.

Alii hinc sumserunt imaginem tyranni. Nam ut porcus, cum contrectatur, semper grunnit quasi metuens, ne mactetur, cum sciat se nec lanam nec lac præbere homini, nulliq; rei esse utilem dum vivit: sic Tyrannus quicquid increpuerit timet, necem sibi paratam existimans.

HAVD

HAVD ALITER PRODEST.



Nec sus, ni mactes, poterit prodesse: nec ulli
Dum vivit, prodest, quicquid avarus habet.

Ægyptii *designare volentes (ut Orus refert) hominem impurum ventriq; & abdomini deditum, suem pingebant in luto se volutātem, rosasque conculcantem, per quas veteres vitæ puritatem & sensuum sinceritatem exprimebant; ut inde facilè sit colligere, cur Iudæis esus illius olim interdictus fuerit. Rosæ sane inprimis odor fertur huic animali natura esse contrarius. Unde elegantiss. Lucretius lib.* VI.

> Deniq; amaracinum fugitat sus & timet omne
> Vnguentum, &c.

Quos versus in priore quoq; centuria retulimus Symb. XCIII. *Inde etiã proverbium natum, quod Crateti Philosopho ascribitur,* ὗς διὰ ῥόδων, *id est, sus per rosas, quanquam Erasmus in Adag. potius legendum existimet,* διὰ ῥοιίδων, *ut sit diminutivũ* ἀπὸ τῆς ῥόιας, *id est, à malo punico. Sed cũ Suidas priorẽ lectionem retineat, haud scio an aliquid sit mutandum. Declarat autem hoc Symbolum, neutiquam* γαστριμαργίαν, *id est, insanam cupiditatẽ ventris cum studio virtutis & sobrietatis posse convenire. Vnde Rhadamanthus apud Claudianũ lib.* II. *in Ruffinũ, homines luxui & gulæ deditos in sues transformare dicitur:*

> At qui desidia semper vinoque gravatus
> Indulgens Veneri voluit torpescere luxu,
> Hunc suis immundæ pingues detrudit in artus.

Atq; ideo Vlysses apud Homerum à Circe non potuit in hanc bestiam commutari, ut quibusdam ex sociis ipsius contigerat, quia ex instructione Mercurii, id est, rectæ rationis contra stimulos luxuriæ temperantia & frugalitate se muniisset, herba Moly instar antidoti utens. Et graviter hæc quoq; protulit Cicero in libello de Senectute, ubi ait; Impedit consilium voluptas & rationi inimica est, ac mentis, ut ita dicam, perstringit oculos, neq; ullum habet cum virtute commercium.

NON BENE CONVENIVNT.



Quid subus atq; rosis? nunquam mens ebria luxu
Virtutis studiis esse dicata potest.

OPPIANUS *lib.* III. *de venatione quinque luporum genera enumerat, nimirum* τοξευτῆρα, *id est, sagittarium, harpagem sive circum,* χρύσεον, *id est, aureum, & duos acmones, quorum unum* ἴκτινον, *alterum sine peculiari nomine ita vocat. Tertium genus aureum pulchritudine ait esse cõspicuum, multis comarũ pilis, illisq́ resplendens (unde Gesnerus ad Hyænam proximè accedere conjicit) atq; incolere Tauri montes, Ciliciæ rupes & Amani juga. Hoc luporum genus, eodem Oppiano teste, Syrium orientem maxime metuit, & eo exorto in aliquod antrum aut terræ hiatum se abscondit, usq; dum Solis æstus abierit. Hac similitudine usus est magnus quidam Princeps, cum ad eius adventum quidam Reguli minus juste erga subditos sese gerentes, vehementiam & autoritatem illius metuentes, in alias regiones se subducere coacti fuissent. Testantur autem historiæ omnium temporum, injusta imperia non esse diuturna. Unde Seneca in Medea,*

Iniqua nunquam regna perpetuo manent.

Et idem in fine Thebaidos:

Invisa nunquam imperia retinentur diu.

Quem locum egregie explicat Demosthenes Olynthiaca II. *Et Herodotus breviter hoc lib.* III. *confirmat,* τυραννὶς *(inquit)* χρῆμα σφαλερὸν, *id est, Tyrannis est res fallax. Sic Seneca lib.* I. *de Clementia: Reges consenescunt ac nepotibus tradunt regna, Tyrannorum brevis & execrabilis potestas est. Qui verò plura & exactiora de Regis & Tyranni discrimine cognoscere tanquam in aliqua* ἀνακεφαλαιώσει *voluerit, legat Ioannem Bodinum lib.* II. *de Repub. cap.* IV.

HOC

HOC ORIENTE FVGOR.



Quis feret ardentis fumantia sceptra tyranni?
Sic fugat auratos Syrius ipse lupos.

PAVLVS *Iovius in Italico de hac materia libello, Symbolum hoc usurpatum fuisse scribit à Ioanne Scepusiense, qui Solimanni Imperatoris Turcici auxilio, & quorundam procerum opera regnũ Hũgariæ invasit, quod sumsit ex avitis sui stemmatis insignibus, in quibus lupa uberibus lacte plenis conspiciebatur, huicq́ picturæ Cancellarius ipsius Stephanus Brodericus, sententiam jam indicatam adjunxit, ea significans, quod non solum suæ fidei commendatos subditos juvare & tueri, sed etiam alios ab ipso antea alieniores in gratiam recipere, illisque benefacere constituisset, memor Salustiani dicti ad Cæsarem: Qui benignitate & clementia imperium temperavere, his candida ac læta omnia fuisse, etiam hostes æquiores quam aliis cives. Rectè enim de principe Democritus dixit:* οὐ γὰρ ἐπὶ τούτῳ ᾑρέθη, ὡς κακῶς ποιήσων, ἀλλ' ὡς εὖ: *non ideo creatus est, ut læderet, sed ut iuvaret. Sed CL. V. Ioannes Sambucus in Emblematibus de laudatiss. ac fortissimo Rege Vngariæ Matthia Corvino hæc commemorat, cuius aliquot versus hic apponere placuit,*

Vt lupa non proprios, alienos sed quoque fœtus
  Vbere nutrivit, Roma, tibi unde duces:
Sic Rex Matthias Hunnorum maximus auctor
  Dum superat cunctos, ingeniosa fovet.
Huius ad imperium concursus totius orbis,
  Et fuit invicto principe dignus honos.
Vndique cogebat veterum monumenta, superstes
  Quo foret autorum fama decensque labor.
Condidit indomitos vel solo nomine Thraces,
  Et pavidos multo sanguine fudit humo.

SVA ALIENA-QVE NVTRIT.



Non cives tantum princeps, sed nutrit & hostes,
Alterius fœtum ceu lupa cana feræ.

DE *Hyæna quoq; inter autores non omnino convenit, atq; ideo de illius cognitione nihil certi adhuc nostris temporibus constat. Bellonius lib.* II. *cap.* IX. *suarum observ. Cyvetam vulgo dictam esse Hyænam probare conatur. Iulius Capitolinus in vita Gordiani* III. *Belbos tum fuisse vocatos ait, & decem Romæ eo tempore conspectos, ac illos habere dentium solidam ac perpetuam seriem, cui Plinius quoque consentit, quod tamen in nostra Civetta non observatur. Idem Plinius ut & Herodotus, scribit Hyænam esse in Africa frequentem, ac multa habere cum Lupis communia, præsertim quo ad colorem, & quod, teste etiã Aristotele, uterq; noctu vagetur, sed hyænam insuper sepulchra inquisitione sua eruere, avidam carnis humanæ. Solinus & alii perhibent, vocem humanam quoq; imitari, & ita allectos interficere. Gesnerus vult (ut antea diximus) cum aureo lupo habere aliquid similitudinis ex Oppiano, apud quem plura de eo Cyneg. lib.* III. *legi possunt. Notantur autem hac similitudine homines maledici, qui nec vivis neq; mortuis virulenta sua rabie parcunt, sed semper aliorum famam arrodunt. Quod detestandum vitium uno ore omnium bonorum vehementer improbatur. Et hoc versus Moschionis recte prohibent,*

κενὸν θανόντος ἀνδρὸς αἰκίζειν σκιὰν,
ζῶντας κολάζειν οὐ θανόντας εὐσεβές.

Inane esse umbram hominis mortui affligere,
Vivos punire, non defunctos, decere. *Et Homerus inquit,*

οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Impiam esse gloriationem, quæ contra mortuos fiat.

Vnde Virgilius fecisse videtur, II. *Aen.*

Nullum cum victis certamen & æthere cassis.

Ac commendatur hac in parte inprimis Lycurgi quædã lex, qua hostiũ cadavera quoq; nudari interdixit. Nonnulli sententiã ex versu Virgiliano apponunt: PARCE PIAS SCELERARE MANVS.

IAM

IAM PARCE SEPVLTO.



Atro qui lacerat jam cassum lumine dente,
Defuncti tumulum turpis hyæna fodit.

ANIMAL *quoddam in Suecia & vicinis regionibus reperitur, quod Suecis* Jerff/ *aliis Rosomaca, Germanice* Vilfraß/ *ac inde Latine Gulo dicitur. Iul. Cæsar Scalig. in exerc. contra Cardanum, vulturem quadrupedem vocat. Gesnerus putat esse Hyænæ vel Crocutæ congenerem. Descripsit autem accurate illud Michouius lib.* II. *Sarmatiæ Europeæ in hunc modum: In Litvania & Moscovia animal voracißimum est, magnitudine canis, facie felis, colore nigro (Olaus Magnus Sept. hist. lib.* XVIII. *tribuit illi mustelinum nigricantem & nitentem, in pilis longis nec adeo mollibus, crura brevia, caudam vulpis, breviorem tamen) cadaveribus vescitur, quibus ita repletur, ut tympani instar extendatur, atque per angustiam aliquam inter duas arbores ingreditur, perq; vim ventrem exonerat: & sic extenuatum, rursus ad cadaver properat atq; iterum impletur. Ac forsitan natura tam insatiabile animal in illis regionibus produxit, ut homines simili voracitate laborātes redarguat. Hæc ille. Fugiamus itaq; nos quoq; hoc insigne exemplum ingluviei & helluationis nimis paßim consuetæ, quam sectantur omnes,*

Quibus in solo vivendi caussa palato est,

secundum Iuvenalem. Ac diligenter observemus Socraticum præceptum, edendum & bibendum ut vivamus, nō autem vivendum, ut ventri tantum ceu Deo inserviamus, quemadmodum de sese apud Euripidem gloriatur Cyclops. Ac noti sunt Horatii lib. II. *Saty.* II. *elegantiß. versus,*

Quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animum quoque prægravat una,
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Salvator quoq; noster ipse Lucæ XXI. *graviter monet, Cavete ne corda vestra graventur crapula & ebrietate.*

NESCIT GVLA MODVM.



Qui plenas lautasq; dapes sectatur & ambit,
Hunc similem brutis, vel superare reor.

VULPES *in Thracia, secundum Plinium lib.* VIII. *cap.* XXVIII. *locis rigentibus, animal alioqui solerti auditu, amnes gelatos lacusq; non, nisi ad eius itum reditumq; (sic enim legitur in correctioribus libris) transeunt. Observatum, eam aure ad glaciẽ apposita, conjectare craßitudinem gelu. Quod adhuc copiosius Plutarchus in comment. de solertia animalium exposuit hisce verbis: Thraces in hunc usq; diem, quando concretum gelu flumen volunt transire, vulpe utuntur ad soliditatem glaciei explorandam. Sensim enim accedens aurem admovet, & siquidem strepitu oblato sentiat aquam prope subterlabi, ratiocinatur non in profundum congelasse aquam, ideoq; subsistit, & nisi prohibeat aliquis, retro abit: Si nullum sonitum percipiat, jam audacter transit. Ex quo per universam vitam nostram præceptum utiliß. nobis est hauriendum, in omnibus rebus ut adhibeamus quandam singularem* εὐλάβειαν, *id est, cautionem convenientẽ (ut vocabant Stoici) quæ efficit ne temere cuivis vel homini vel rei fidem habeamus, neve è contrario obstinate omnibus diffidamus. Quo pertinet* Euripideum istud in Hecuba,

σώφρονος δ' ἀπιστίας
οὐκ ἔστιν, οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.

Prudenti diffidentia
Nil est melius, nil utilius mortalibus.

Ac notum est istud Ἐπιχάρμειον. νῆφε καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. *Quod in libello de petitione consulatus Cicero ita vertit: Nervos atq; artus esse sapientiæ, non temere credere. Idemq; etiam in Epistolis ad Atticum sæpe commendat. Extat quoque (ut antea dictum) Dionis Chrysostomi commentarius, De non temere credendo, quem olim in latinum transtulit pater meus, piæ memoriæ.*

LV.

FIDE ET DIF-FIDE.



Omnibus esto salutaris tibi cautio rebus,
Ni prius explores, aggrediare cave.

DOCTISS. *Italus Lucas Contilis in libro eleganti de Symbolis sive Impresis edito, testatur, approbante etiam experientia, vix ullam gravidam vulpem à canibus esse captam, quoniam tum maxime de suis refugiis ac foveis diligenter sibi prospicit, ut scilicet canum improvisos insultus tempestive cavere queat. Quod videtur esse desumtum ex Aristotele lib.* VI. *de histor. animalium, cap.* XXXIV. ὅταν ἢ μέλλῃ τίκτειν ἐκτοπίζει οὕτως, ὥστε σπάνιον εἶναι τὸ ληφθῆναι κύουσαν. *Gaza sic ista vertit. Pariuriens ita secedit, ut raro gravida capiatur. Vnde & versus proverbialis apud Græcos factus videtur:*

γέρων ἀλώπηξ οὐχ ἁλίσκεται πάγῃ.

Vetula vulpes laqueo haud capitur.

Non aliter homines circumspecti & prudentes mature sibi à fraudibus & insidiis malorum prospicere, & sanis consiliis sese præmunire debent, cum tela prævisa, secundum proverbium, minus noceant, & Seneca in Epistolis recte dicat: in ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, & contra injuriam fortunæ inter beneficia firmetur. Qui enim in ipsa re trepidare noluerit, ante rem exerceat. Quam in sententiam Cicero copiose disputat, lib. IV. *Tusculan. quæst. Sapientem præsumere ac præcipere oportere omnia, quæ homini acerba & gravia accidere possunt. Tali enim præmeditatione effici illa leviora & toleratu faciliora. Idq; autoritate Euripidis & Terentii comprobat. Et apud Virgilium Aeneas inquit,*

non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies, inopinave surgit,
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

Quem locum & Seneca Philosophus laudat, & Petrarcha in præfatione lib. I. *de remedio utriusq; fortunæ commendat.*

LVI.

INTREPIDA SECVRITAS.



Prudens insidiasq; fugit fraudesq; malorum:
Sic vulpes, uterum dum gerit, haud capitur.

MELES *sive melis (utrumq; enim reperitur) putatur ita nominari, quod sit mellis avidiss. idemque animal censetur esse cum Taxo, cuius apud Græcos nullum proprium nomen invenire Gesnerus annotat. Plinius lib.* VIII. *cap.* XXVIII. *scribit, eius in metu esse talem solertiam, ut sufflatæ cutis distentu ictus hominum & canum morsus arceat. At superatur à vulpecula alia astutia. nam hæc absente Taxo foveam illius occupat, suisq; incrementis ita inquinat, ut Taxus reversus ad eam propter fætorem cogatur illam relinquere, & insolenti hospiti inhabitandam concedere. Hoc exemplum nos admonet, vigilantia & diligentia opus esse, ut nostras res conservemus, & ab aliorum fraudibus tueamur, secundum tritum versum proverbialem Ovidii,*

Non minor est virtus quam quærere, parta tueri.

Ac idem nobis subjicit fabula Aesopica de serpente, qui in cavernæ suæ contubernium admiserat Erinaceum, à quo importuno hospite paulo post fuit vi expulsus. Non tamen ideo prohiberi existimandum est, virtutem pulcherrimam, & præsertim homini Christiano convenientissimam φιλοξενίαν, *id est, studium hospitalitatis, quam inprimis S. Paulus Epistol. ad Roman. cap.* XII. *studiose sectari jubet. Ac scimus apud Ethnicos & Romanos potiss. jus hospitii pro re admodum sacrosancta fuisse habitum, ut huius necessitudinis præsidem ac vindicem fecerint ipsum* DEUM, *indeq; Iovem Xenium appellarint. Et est apud Homerum,*

Ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε ξείνων τε.

Supplicum & hospitii vindex est Iuppiter ipse.

Est autem hoc hemistichium sumtum ex versu Ovidiano,

Spes tua vana fuit, quod petis alter habet.

QVOD PETIS ALTER HABET.



Quæ tua sunt serva, ne fors hæc occupet alter,
Nec temere excipias quemlibet hospitio.

SCRIPTORES *rerum Indicarum quoddã rarum animal describunt ac depingunt veteribus incognitum, Gesnerus simivulpem vel græce πιθηκαλώπεκα, Iul. Cæsar Scaliger ἀλωπεκοπίθηκον vocant. Hoc, ut scribit Gillius, ex Vincentii Pinzonii delineatione reperitur in regione Indiæ Pariensi, quod idem testatur Petrus Martyr Oceanicæ Decadis primæ lib.* IX. *Refert autem anteriore parte vulpem, posteriore Simiam, caudamq́ habet cercopitheci, aures ferme vespertilionis, ac subter ventrem usitatum aliud gestat receptaculum instar crumenæ latioris, in quod catulos suos recipit, ibidemq́ occultat, donec tuto per se hinc inde vagari, & sibi victum quærere possint. Ferdinand. autem Lopesius* II. *part. hist. Indicæ lib.* VI. *cap.* IX. *aliud describit animalculum, quod in Moluccis insulis zurzos appellent, sitq́ instar cuniculorum, infra ventrem habens crumenas aliquot, veluti sacculos, in quos recondat recens natos catulos, cumq́ illis currat, ac saltet ex una arbore in aliam. Et quidem de cane marino tradit Oppianus lib.* I. *de piscatione, quod periculo ingruente suos catulos intra ventrem recipiat, & iterum quasi pariat, ubi omnia videt esse tuta. Idemq́ de vitulo marino refert Basilius Magnus* VII. *Hexaem. & de Delphine Nazianzenus in carmine eruditiss. Nicobuli ad patrem. Indicant hæc omnia φιλοστοργίαν, id est, studium & solicitudinem parentum erga liberos, qui potiss. sub horum fideli custodia vitam agunt securam & felicem. Potest etiam isti dicto Biantis, unius ex septem Sapientibus, vel, ut alii, Stilponis accommodari,* OMNIA MEA MECVM PORTO. *Nonnulli addunt,* DVM LICET, *forsitan hoc intelligentes, quod sub parentum & aliorum, qui nobis bene volunt, custodia ac cura, quamdiu nobis fuerit concessum, perseverare, illaq́ grato animo frui debeamus.*

VNA SALVS AMBOBVS ERIT.



O tutos satis hos cives, populumq́; beatum,
Queis velut in patrio fas habitare sinu.

PLUTARCHUS *in Laconicis Apophtegmat. refert Lycurgum, ut cives suos ab usitata victus ratione nimis delicata ad sobriam magis ac temperatam traduceret, & hac ratione virtutis studiosiores redderet, catulos duos educasse iisdem natos canibus, horumq́ alterum domi desidentem ad voracitatem, alterum ad venationem assuefecisse. Tandem vero ambos in concionem produxisse, projectis ossibus aliisq; gulæ irritamẽtis, leporem simul etiã emisisse: utroq; ad id se incitante, ad quod erat assuefactus, cumq; leporem alter cœpisset, dixisse fertur, videtis, o cives, hos catulos, iisdem natos parentibus, educatione tamen admodum dissimiles redditos, & sic exercitatione magis quoque quam natura ad virtutem nos formari. Alii perhibent, domesticum canem ab eo fuisse venationi, venaticum autẽ voracitati assuefactum, utroq; ad id se proripiente, quod ei factum fuerat usu familiare, civibusq́ ostendisse, quantum ad meliora aut deteriora studia conferret educatio. Ex quibus apparet, quæ utilitas sit rectæ & liberalis institutionis in tenera ætate, ad universam reliquam vitam recte & laudabiliter absolvendam.*

Atq; idem Plutarchus in comment. de Educatione liberorum, ubi hæc quæ retulimus, repetiit, præclare hanc quoq; sententiam commemorat: φύσεως μὲν γὰρ ἀρετὴν διαφθείρει ῥαθυμία, φαυλότητα δ᾽ ἐπανορθοῖ διδαχή. *Naturæ enim bonitatem socordia corrumpit, pravitatem vero doctrinæ institutio corrigit. Et Aristoteles idem docet,* II. *Eth. cap.* I. οὐ μικρὸν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ παμπολύ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν, *id est, Non parũ refert, sed permultũ, sicne an sic à pueris assuescamus: immo vero totũ in eo positũ est. Quod Horatius quoque car. lib.* IV. *Ode* IV. *de laudibus Drusi his versibus declarat,*

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Quidam addunt, INTENTUS IN UNUM.

LIX.

A TENERIS AS-SVESCERE MVL-TVM.



Vincit naturam consuetudo atq; reformat,
Cui quisque assuevit, dedi tus esse solet.

CICERO *in paradoxo isto, quo probare studet, omnes sapientes esse liberos, stultos autem servos, de vera libertate ita disserit. Quid est enim libertas? Potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata ac provisa est, qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur atq; colit &c. Quæ Horatius imitatus est lib.* II. *Serm. Saty.* VII.

> Quisnam igitur liber? ſapiens ſibique imperioſus,
> Quem neque pauperies, nec mors, nec vincula terrent,
> Reſponſare cupidinibus, contemnere honores,
> Fortis, & in ſeipſo totus teres atque rotundus.

Sed licentia, qua omnes (secũdum Comicum) deteriores simus, sub libertatis specie multis imponit, & cupiditatibus suis indulgentes à virtutis actione avocat, de quo Lucan. lib. VIII.

> Libertatis amor, miſerum quid decipis orbem?

Sic canis abruptis vinculis, quibus tamen implicatus adhuc est, seipsum rursum intricat, & in novam servitutem trahit. Præclare itaq; Plato hoc etiam docuit in VIII. *Epistola ad Dionis propinquos & familiares scripta:* τοῖς δὲ δὴ ἐλεύθερα διώκουσιν ἤθη, καὶ φεύγουσι τὸν δούλειον ζυγὸν, ὡς ὂν κακὸν, εὐλαβεῖσθαι ξυμβουλεύοιμ᾽ ἂν, μήποτε ἀπληστίᾳ ἐλευθερίας ἀκαίρου τινὸς εἰς τὸ τῶν προγόνων νόσημα ἐμπέσωσιν, ὃ διὰ τὴν ἄγαν ἀναρχίαν οἱ τότε ἔπαθον, ἀμέτρῳ ἐλευθερίας χρώμενοι ἔρωτι, *id est, Iis autem qui liberum vivendi genus persequuntur, jugum vero servile ut vere malum fugiunt, etiam atq; etiam sum autor, ut caveant ne insatiabili importunæ libertatis cupiditate, in eundem majorũ suorum morbum incidant, quo quidem illi laboraverunt, quod immoderato libertatis amore perciti, imperiorum ordine proculcato in vagam confusamq; perturbationem inciderint.*

LIBER-

LIBERTAS NON LIBERA.



Quid juvat abruptis in libertate morari
Vinclis, si maneant & tibi colla premant?

QVO *pacto contra aliorum quorundam opinionem Emblema transferre possimus ad Symbolum, vel ab Italis vulgo dictam Impresam, doctiss. vir Iulius Cæsar Cappaccius Neapolitanus in* III. *libro Italico accurate docet. Quare & hoc non dubitavimus ex Alciati Emblemate* CLXIV. *mutuare: cuius hi sunt versus,*

Lunarem noctu, ut speculum, canis inspicit orbem,
Seque videns alium credit inesse canem.
Et latrat: sed frustra, agitur vox irrita ventis,
Et peragit cursus surda Diana suos.

Monemur autem hac imagine, inanes minas & obtrectationes eorum, quibus est, secundum Plautum, uberrimus quæstus in lingua positus, omnino esse contemnendas. Commendantur autem inprimis in hoc genere versus Philemonis Comici sequẽtes,

ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον
ἔστ' ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.
ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖτ' ὁ λοιδορῶν.

Quos Gregorius Bersmannus eodem genere carminum ita vertit:

Haud auribus concentus est jucundior,
Quam devorare criminantis jurgia.
Nam mussitando si quis hæc redarguat,
Ipsum refutant criminantem crimina.

Seneca lib. II. *de ira cap.* XXXII. *inter alias plurimas similes sententias hanc quoque affert: Magni animi est injurias despicere. Vltionis contumeliosissimum genus est, nõ esse visum dignũ, ex quo petatur ultio. Multi leves injurias altius demisere, dũ vindicant. Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit. Est autem huic argumento simile id, quod in priore Centuria nostra posuimus* XXIV.

DESPICIT ALTA CANES.



Irrita vaniloquæ quid curas ſpicula linguæ?
Latrantem curatne alta Diana canem?

FIDELISSIMI *ante omnia (inquit Plinius lib.* VIII. *cap.* LX.) *homini canis & equus: Ac de canis fidelitate plura exempla apud Plutarchum, Oppianum, Solinum, Aelianũ, & inter recentiores apud Cælium Rhodiginum & Alexandrum ab Alexandro, leguntur. Plura etiã cognitione digna frater meus in horis succisivis sive meditationibus historicis collegit. Apud Platonem in Phædone & alibi, Socrates* νὴ τὸν κύνα, *id est, per canem tanquam fidei tesseram jurat. De anseribus vero Plinius lib.* X. *cap.* XXII. *scriptum reliquit: Est & anseri vigil cura, Capitolio testata defenso. Quæ historia extat apud Livium lib.* V. *& Plutarchum in vita Camilli. Sic etiam* τὸν χῆνα, *per anserem Socrates jurabat, tanquam vigilantiæ autorem. Ex hac conjunctione duorum animalium istorum Iulius Delphinus Medicus Ticinensis celebris (ut refert Ludovicus Contilis) ostendere voluit, sibi in omnibus actionibus suis fidem simul & vigilantiam esse propositam, nec unum sine altero posse consistere. Ac profecto quid magis decet bonum Medicum quam indubitata fides & integritas una cum assiduitate & diligentia indefessa? Quare Hippocrates (ut solet) graviter & breviter in* VI. *Epidem. monet,* μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾶν, *id est, Nil temere, nihil negligenter esse agendum. Quod utiliss. præceptum ad omnes totius vitæ partes recte poterit transferri. Pausanias in Corinthiacis perhibet, à Thrasimede Pario fuisse exsculptum Aesculapium in solio sedentem, cum baculo in una manu, altera vero caput draconis mulcentem, cui canis accubat. Quæ omnia admodum erudite explicat doctiss. Adrianus Iunius in Emblemat.* XXV. *ad quem locum lectorem remitto.*

LXII.

NEVTER SOLVS.



Quid vis fida canis? quid vult ſibi candidus anſer?
Sit monet integritas, ſit vigilaxque fides.

ÆLIA-

AElianvs *lib.* viii. *de Animal.cap.*ii. *de canibus hæc commemorat: Omnem canẽ venaticum, ex eo quod ceperit feram, nõ mediocri voluptate affici, & tanquam præmio, si dominus ei permittat, ea capta uti: sin vero hoc illi non concedatur, bestiam servare integram, donec venator adventarit, deque illa capta pro arbitrio statuerit. Quod si in aprum vel leporem jam mortuum inciderit, non attingere quidem, nec alienorum laborũ se facere participem, ne quicquam quod ad ipsum non pertineat, sibi vindicare velle videatur. Ex quo, inquit idem autor, apparet* φιλοτιμίας, *id est, cupiditatis gloriæ non esse expertem. Non enim carnes, sed victoriam amare videtur. Plutarchus in libello sæpius allegato, de solertia animalium, paulo aliter hæc recitat, leporem nimirum, si se mortuum simulet, relinqui à cane, qui astans & caudam movens, quasi indicare vult, se non carnis sed victoriæ caussa certasse. Vnde Ovidius,*

Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

Est autem Gloria *laudabilium factorum approbatio conjuncta cum judicio recte sentientium: sicuti* Ambitio *sive* κενοδοξία *vanam gloriam ex applausu imperitæ multitudinis vel etiam obtrectationibus aliorum captat. Aristoteles* iv. *Eth. Nicomach. inquit,* τῆς ἀρετῆς γὰρ ἆθλον ἡ τιμὴ καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς, *id est, virtutis præmium est honor, & attribuitur bonis viris. Vnde Romæ quoq;, ut Livius Decad.* iii. *lib.* vii. *scribit. Bina templa inter se quasi contigua, virtutis & honoris cõspiciebantur, quorum in hoc non nisi per illud aditus cuiquam pateret. Quidam ascribunt ex Virgilio,* Tangit honos animvm. *Vel,* Finis non pvgna coronat.

GLORIA FINIS.



Cuncta facis bene, dum finit tua gloria facta,
Laudem veneris, ceu canis hic leporem.

QVAMVIS *Medici Arabes, & inprimis Serapion ac Rhasis lapidis Bezar sive Bezoar, cuius magna vis contra venena esse perhibetur, mentionem fecerint, nō tamen exacte vel hunc vel ipsum animal, unde eximi solet, descripserunt, quemadmodum præstiterunt recentiores, potiss. Garzias de Horto, & Nicolaus Monardes; quorum de rebus Indicis scripta, utili admodum opera doctiss. Caroli Clusii latina leguntur. Scribunt autem hi duo, eum lapidem reperiri in ventriculo, vel potius in receptaculo quodam fasciæ modo formato & ventriculo parte interiore adhærente. Animal dicitur esse figura hirci vel capræ, Clusius cervicaprā nominat, propter similitudinem quā habet cum utroq; animante. Præfertur autem lapis ex montanis eiusmodi capris ablatus, cum sit ob pabulum odoratiss. plantarum aliis multo præstātior. Addunt nonnulli hoc animal serpentibus quoq; vesci, partimque in succum & sanguinem, partim in hunc lapidem eos convertere. Quo declaratur ab iis vitiis, vel rebus etiam adversis, quibus alii succumbere, aut omnino perire solent, viro forti ac virtute prædito nihil periculi esse metuendum, sed insuper inde propter constantiam & recti judicii robur magis confirmari, & spiritus alacriores conquirere. De quibus Gregorius Naziãzenus hos versiculos fecit,*

μέγιστος ἄκμων οὐ πτοεῖται τοὺς ψόφους,
καὶ νοῦς ἐχέφρων πᾶσαν ἐκκρούει βλάβην, *id est,*
Gravibus nihil movetur incus pulsibus,
Infracta casus mens repellit anxios.

VIRES ANIMOSQVE MINISTRANT.



Nulla venena probis vitii sortisq; malignæ
Obsunt; quin potius robora dant animis.

SYMBOLVM *hoc quoq; ex Alciati Emblemate* LXIV. *huc transferre placuit, quod ipse sumsit ex græco Epigrammate lib.* I. *Anthologiæ. tit.* εἰς εὐχαρίστους καὶ ἀχαρίστους.

τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω οὐκ ἐθέλουσα,
ἀλλά μ' ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.
αὐξηθεὶς δ' ὑπ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ πάλι θηρίον ἔσται.
ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

Capra lupum non sponte meo nunc ubere lacto,
Quod male pastoris provida cura jubet.
Creverit ille simul, mea me post ubera pascet,
Improbitas nullo flectitur obsequio.

Apologus similis quoq; extat apud Theocritum in Hodæporis, & proverbium apud Erasmum Chiliad. II. *Centur.* I. *proverb.* LXXXVI. *Ale luporum catulos. Convenit autem in homines ingratos, qui nullis officiis aut meritis à sua perversitate flecti possunt, immo loco gratitudinis benefactores, si possunt, in extremam perniciem adducũt: quo pessimo* τῆς ἀχαριστίας *vitio nullum detestabilius reperiri potest, adeo ut scribat Salomon in proverbiis, à domo eius, qui malum rependit pro bono, nunquã recessurum malum. Cappacius Neapolitanus in Italico suo libro aliam sententiam illi adjungit:* MORTEM DABIT IPSA VOLVPTAS, *quod hemistichium legitur apud Claudianum in Epigram. de Sirenibus. Nec multum differt explicatio à priore, quod nimirum viri humani & benefici sæpe aliis ingratis cum voluptate inserviant, non sine max. tamen ipsorum incommodo & aliquando extremo exitio. Intelligi etiam poterit de quibusvis aliis detrimẽtosis voluptatibus, quæ tandem suos sectatores evertere ac præcipitare in mortem soleant.*

LXV.

NVLLO FLECTITVR OBSEQVIO.



Præda lupo fit capra, ſuo quem lacte cibarat:
Sic cedunt homini quæ benefacta malo.

IBEX, quem hodie quoq; in Insubria ac vicinis locis Steinbuccum germanica voce nominant, & cuius Plinius & alii meminere, in Alpium præruptis & altis rupib. præsertim in Helvetia & vicinis montibus frequens reperitur, in quibus nives raro vel nunquam liquescunt. Nam calidissimum est animal, pernicitatis mirandæ, cornibus sese fulciens, quorum adminiculo ex altis montibus desilit, & cavet hoc modo ne saxis allidatur. Vivit autem continuo in locis asperis & inaccessis, nec facile in conspectum hominum venit. Ex quo legimus in Iob. cap. XXXIX. Nunquid nosti partus ibicum in petris? Ob has proprietates huius animalis, quidam nobilis juvenis, hoc Symbolū excogitavit, quo designare studuit, sibi eundem ad modum esse propositum, à consuetudine & consortio vulgi remotum, nihil aliud quærere ac desiderare, quam virtutē ipsam quamvis arduam, nec ullis illecebris aut voluptatib. persuasum ab hac sententia sua discessurum. Clemens Alexandrinus Stromat. lib. IV. huius argumenti laudat Simonidis poetæ lyrici versum,

τὰν ἀρετὰν ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις, id est,

Virtutem habitare in rupibus accessu difficilibus.

Quem imitatus est Silius Italicus lib. XV.

Ardua saxoso perducit semita clivo
Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur labor ad nitendum intrare volenti.

Cuius generis sunt tātopere commendati à Cicerone versus Hesiodei,

Virtutem posuere dii sudore parandam &c.

Quos in priore centuria quoq; adduximus. Musæ etiam dicuntur in monte Parnasso versari, propter secessum & tranquillitatem, qua studia gaudent plurimumq; adjuvantur, & antiquitas Palladem μουνίαν quasi solitariam eandem ob causam nominavit.

INSVE-

INSVETVM PER ITER.



Rupis inaccessæ Virtus habet ardua culmen,
Huc tendis? Sudor multus ad alta levat.

CAPRA *magno conatu ſeſe erigens, & lauri ſurculos teneriores depaſcens, ac inde tanquam ex nutrimento convenientiſſ. alimentum corpori & incremẽtũ præbens, robuſtiorque inde exiſtens, ſymbolũ habetur Iulii Capræ patricii Mediolanẽſis, quo demõſtrare voluit, ſe magno artis poëticæ (laurus enim Apollini erat dicata, & inde poëtæ coronabantur) & omniũ liberalium artium ſtudio teneri, ceu quarum auxilio ſperaret ſe famam ac celebritatẽ nominis perpetuam eſſe conſecuturũ, cum ſecundũ Horatiũ quoq;,*

Dignum laude virum Muſa vetet mori,
Cœlo Muſa beet.

Cuius generis plurima præclara dicta paſſim ſunt apud bonos autores obvia, & hic omnia recenſere, inſtituti operis brevitas non patitur. Alter vero eiusdem familiæ Iurisconſultus excellens Hieronymus, ſimiliter Capram ſalicum & aliorum amariorum virgultorum ſummitates, neglectis humi naſcentibus etiam ſuavioribus herbis, carpentem, cum dicto, MIHI DVLCE, *pro Symbolo uſurpavit, oſtendens ſibi nullos labores nec moleſtias eſſe graves vel ingratos, immo illi videri jucundiſſimos & ſuaviſſimos ob virtutis & aliarum rerum laudabilium cognitionem & acquiſitionem. Quod Phocylides poëta quoque teſtatur hisce verſibus:*

οὐδὲν ἄνου καμάτου πέλει ἄνδρασιν εὐπετὲς ἔργον,
οὐδ᾽ αὐτοῖς μακάρεσσι. πόνος δ᾽ ἀρετὴν μέγ᾽ ὀφέλλει. id eſt,
Nullum ſine labore eſt hominibus facile opus,
Nec ipſis diis. labor autem virtutem valde adjuvat.

Et Manilius lib. IV.

Pro pretio labor eſt: nec ſunt immunia tanta.
Ac niſi perfoſſis fugiet te montibus aurum.
Impendendus homo eſt, Deus eſſe ut poſſit in ipſo.

Eſt autẽ utraq; hæc inventio eo ingenioſior, quod deſumta fuit ex inſignibus familiæ avitæ, in quib. capra depingitur, cũ inde nomen quoq; habuerint.

LXVII.

ERIGOR VT ERIGAR.



Ardua secteris scansurus culmen honorum,
Vt lauri capræ summa petunt folia.

RVPICAPRA, *quod nomen inter veteres scriptores latinos (quantum sciam) apud solum Pliniũ legitur, Græcis forsitan est αἴγαγρος, quasi αἲξ ἄγριος, id est, fera capra, secũdum latinæ linguæ quoque usum. Hæc à canibus agitata in præcipitia montis, alioquin effugia illis tutissima, non satis cautè sese confert, atque ibidem à canibus undique obsessa, tandem nullum exitũ fugæ prospiciens à canibus capitur. Quod etiã sæpenumero ibicibus accidere perhibent. Idque sane in illos recte potest convenire, qui suis consiliis atque actionibus nimis callidis & astutis, quibus se fore tutissimos opinantur, ac ideo temere & audacter omnia aggrediuntur, non raro seipsos evertunt, vel in ea conjiciunt pericula, unde vix sese possint extricare, cujus rei historica exempla plurima sese offerunt, quæ hîc commemorare nimis esset longum. Sic festive ludit Plautus in Captivis,*

> Qui cavet ne decipiatur, vix cavet cum etiam cavet,
> Etiam cum cavisse ratus, sæpe is cautor captus est.

Qua in parte cujusdam veteris autoris (cujus nomen modo nõ succurrit) egregiam sententiam me aliquando annotasse memini: Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an quod inchoatur, Reipub. utile, ipsis gloriosum, aut promtum effectu, aut certe non arduum sit. Simul ipse qui suadet considerandus est, adjiciatne consilio periculum suum, & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur. Consiliis enim non semper respondet eventus, & sæpè quæ rectè instituta videbantur, turpiter in contrarium relapsa sunt. πλείω τὰ καλῶς δοκοῦντα βουλευθῆναι, ἐς τοὐναντίον αἰσχρῶς περιέστη.

EFFV-

EFFVGIA PERDVNT.



Astus sæpe nocet: qui cavit ne caperetur,
Hoc ipso captum commemini citius.

DE *Capris sylvestribus dictamno tela ex corpore educentibus extat locus apud Aristotelem lib.* IX. *de historia animalium talis:* πολλὰ δὲ τῶν ἄλλων ζώων τῶν τετραπόδων ποιεῖ πρὸς βοήθειαν ἑαυτοῖς φρονίμως, ἐπεὶ καὶ ἐν κρήτῃ φασὶ τὰς αἶγας τὰς ἀγρίας, ὅταν τοξευθῶσι, ζητεῖν τὸν δίκταμνον. δοκεῖ γὰρ τοῦτο ἐκβλητικὸν εἶναι τῶν τοξευμάτων ἐν τῷ σώματι. *Quæ Gaza ita vertit: Sed ex cæteris quoque quadrupedibus multa sibi prudenter opitulari videntur. Nam & in Creta insula capras sylvestres sagittis transfixas dictamnum herbam quærere aiunt. hoc enim spicula ex corpore ejici. Idem tradunt Theophrastus, Dioscorid. Plutarchus, Aelianus, & inter latinos Cicero. Solus Plinius hinc proprietatem cervis ascribit, quod tamen videtur esse aut erratum* γραφικὸν *librarii, aut scriptoris* μνημονικὸν, *quemadmodum etiam Gesnerus existimavit. Hieronymus Ruscellus hoc Symbolum attribuit Ferdinãdo Caraffæ Comiti Neapolitano, & quamvis dicat esse satis difficilem & intricatam eius interpretationem, conjectura tamen ducitur, propter amorem quendam honestum, qui non fuerit expers alicuius rivalis, hoc ab eo fuisse excogitatum. Vt scilicet vulnus à sagitta Capræ inflictum declaret animum ipsius rei desideratæ stimulis vehementer affectum. Salus vero referenda sit ad Dictamnum, cuius auxilio speret se sanitatem esse recepturum. Vmbra autem sub arbore palmæ indicet spe victoriæ, cui est dicata, tandem superatis cunctis difficultatibus, se omnia mala esse superaturum. Potest similiter transferri ad aliquem, qui magnis conflictatus calamitatibus, se tandem insperato aliquo auxilio superiorem & voti compotem fore confidit.*

VVLNVS, SALVS ET VMBRA.



Ejicit è capræ dictamnus vulnere telum,
Sic fugat ex animo spesq; salusq; metum.

QVIS, *pecus alioquin imbelle, quod tamẽ instar validi arietis sceptrum & coronam regiam dejicit, typus est illius, qui à potentiore non levi affectus injuria, fert quidem ad certum tempus patienter se contemni, interea tamen observans occasionem aliquam, ut se tandem quoq; virum ostendat, & adversarium suum prosternat. Nam ut ait P. Syrus,*

Furor fit læsa sæpius patientia.

Est autẽ hoc desumtum ex Tragœdia Accii antiqui poëtæ, Bruto, cujus versus exponit Cicero lib. I. de divinatione, quibus introducitur Tarquinius somnium quoddam recitans, ubi inquit,

Visus est in somnis pastor ad me appellere,
Pecus lanigerum eximia pulchritudine,
Duos consanguineos arietes inde eligi,
Præclarioremque alterum immolare me:
Deinde eius germanum cornibus connitier
In me arietare, eoque ictu me ad casum dari, &c.

Vbi additur, à conjectoribus somniorum hanc interpretationem esse factam de Bruto illum expulsuro Roma.

Proin vide, ne quẽ tu esse hebetem deputes æque ac pecus,
Is sapientia munitum pectus egregie gerat,
Teque regno expellat.

Nota autẽ est historia de L. Tarquinii superbi filio, vim inferente Lucretiæ, quomodo Brutus antea se stolidum esse simulans, patrem una cum filiis, ob tam nefandũ facinus, regno exuerit, quæ prolixe describitur à Livio lib. I. Decad. I. Nullum itaq; hostem quantumvis infirmum & despectum esse contemnendum, admonemur, cum secundum proverbialem versum,

Sæpe aquilam ad pœnas vel scarabeus agit.

Et Pausanias in Arcadicis sive lib. VIII. *recte ait: At enim vilioribus & abjectioribus plerumq; rebus vim eã indidit* DEVS, *ut ea superarent, quæ max. essent inter homines existimationis; quo in loco plura hujus rei exẽpla cõmemorat.*

NVNC

NVNC NOSCI-TO VIRES.



Hostem quid spernis? Quamvis abjectior ille,
Sæpe irritatus maxima damna dedit.

OVIS græce πρόβατον quasi πρόβασις, secundum Hesychium, quod proventum eorum quæ ad vitæ sustentationem requiruntur, significet, animal simplex est, innocens, & generi humano utile (unde in sacris litteris multæ præclaræ similitudines sumuntur) nam propter lanã, lac, carnes atque ipsam fœturã plurimum commodare potest. Quare ex hoc pecore omnibus tẽporibus & locis, apud plurimas gentes divitiarũ non exigua pars conquisita, atque ideo vita pastoralis olim in magno pretio habita fuit. In lege quoque Mosaica, inter mundas & innocentes pecudes primum locum obtinet. Quapropter hoc symbolum optime quadrat in hominem pium, innocentem, qui quamvis sit destitutus aliorum auxilio atque subsidio, nihilominus omnibus inservire & gratum facere studeat, quemque innocẽtia sæpe inter medios hostes tutum & incolumem servet. Vnde Nazianzenus præclare hoc quoque scripsit: ἀφύλακτον ἡ ἁπλότης, καὶ ἥκιστα κακίαν ὑφορᾶται τὸ κακίας ἐλεύθερον, id est, Expers custodiæ est simplicitas, & minime mali quicquam suspicatur is, qui à malo est immunis. Quali in sua simplicitate & innocentia acquiescenti semper esse debet ante oculos sententia versuum horum,

Hic scopus unus erit, cunctis prodesse, nocere
Nulli, & amare bonos ac tolerare malos.

Itemque hoc alterum,

Iuvare cunctos, at nocere nemini,
Est summa vitæ Christianæ regula.

Quemadmodum & Cicero lib. I. de Offic. Virum bonum esse dicit eum qui prosit omnibus, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. Alibi additur ex Claudiano in Epistola ad Hadrianum,

MENS IGNARA NOCENDI.

VNDIQVE INERMIS.



Commoda plurima ovis præbet, nocumentaq́ nulla:
Sic benefac cunctis, nemini obesse velis.

LEPORES inter dormiendum apertos oculos tenere tanquam vigilantes, vel statim evigilaturi, constat, unde in proverbium abiit, leporinus somnus, cuius usus est creber etiam in nostra lingua. Hinc, secundum nonnullos, λαγὼς græce dicitur ἀπὸ τοῦ λάειν, quod est videre, quia oculos non claudit in somno; Quod Plinius & Suidas quoque annotarunt. Et Aegyptii ideo in suis Hieroglyphicis, ut Orus habet, & eius interpres Pierius, per leporem hominem vigilantem significare voluerunt. Quod ad mentis vigilantiam & attentionem transferre recte possumus. idque argumentum tractavimus quoque in priore centuria Emblemat. XC. Sic Cicero in orat. pro Plancio, Vigilandum est, inquit, semper, multæ insidiæ fiunt bonis. Potest similiter hæc vigilantia de Demosthenica intelligi, qui antelucanas opificum operas prævenire solitus est, qua & alii plurimi viri celebres laudem & gloriam perpetuam sibi acquisiverunt. Est & elegans admodum sententia Platonis III. de Legibus hæc: ὕπνος γὰρ δὴ πολὺς, οὔτε τοῖς σώμασιν, οὔτε ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν, οὐδ' αὖ ταῖς πράξεσι ταῖς περὶ ταῦτα πάντα ἁρμόττων ἐστὶ κατὰ φύσιν. καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, οὐδὲν μᾶλλον μὴ ζῶντος. ἀλλ' ὅστις τοῦ ζῆν ἡμῶν καὶ τοῦ φρονεῖν μάλιστα ἐστὶ κηδεμὼν, ἐγρήγορε χρόνον ὡς πλεῖστον, τὸ πρὸς ὑγιείαν αὐτοῦ μόνον φυλάττων χρήσιμον. ἔστι δὲ τοῦτ' οὐ πολὺ καλῶς εἰς ἔθος ἰόν, id est, Somnus enim multus neque corporibus nec animis nec rebus gerendis ex natura aptus est. Nemo enim profecto dum dormit, ullius est pretii, nihilo magis quam qui non vivit. Qui igitur vitæ & sapientiæ curam gerit, plurimo tempore vigilat, id solum providens atque observans, ut somni tantum capiat, quantum ad sanitatem potest pertinere. Ad cuius quidem conservationem non multo somno opus est, dummodo recte sit constitutus somni capiendi modus.

VIGILANDVM.



Luminibus dormit patulis lepus. Advigilandum est:
Insidiis quoniam cingimur innumeris.

DE *naturali inimicitia inter asinum & acanthidem avem, quam Spinum & Ligurinum vertit Gaza, & quæ differre censetur à nostra carduele, utq; Gesnerus conjicit, potius pro nostra luteola vulgari sumenda, hæc leguntur apud Aristotelē lib.* IX. *de hist. anim. cap.* I. ὄνος καὶ ἀκανθίδες πολέμιοι. αἱ μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν βιοτεύουσιν, ὁ δ᾽ ἁπαλὰς οὔσας ἐσθίει τὰς ἀκάνθας, *id est, Asinus & Spini inter se sunt inimici. Victus enim Spinis è vepribus, quas asinus tenellas adhuc depascit. Quod Plinius iisdem ferme verbis expreßit lib.* X. *cap.* LXXIV. *De quo Achilles Bochius lib.* III. *symbol. quæst. hos versus composuit,*

Cur tantula asinum tantum acanthis oderit,
Obscura non est caussa, spinis affricat
Sese ille acutis, in quibus cubilia
Texens avicula nidulatur, eius &
Depascitur flores. Acanthis usque eo
Terretur, ut procul rudentem si audiat,
Dejiciat ova, decidant pulli metu
E nidulo. nec fert inultum hoc. nam illius
Qua fustibus, qua sarcinis facta ulcera
Parvo fodit rostro, atque pungit narium
Mollissimas partes. Id omnes admonet,
Ne humillimis quidem inferendam injuriam,
In parvulis vim sæpe inesse maximam.

Brasidas, auctore Plut. cum manum in caricas temerè immisisset, & à mure inibi fortè latente morderetur, Papæ, inquit, ut nullum est animal tam pusillum, neq; tam invalidum, quod lacessitum non cupiat ulcisci se. Pertinet huc proverb. Formicæ etiam est sua bilis.

LXXV.

ET PARVIS SVAVIS.



Parvula, quæ de asino vindictam sumit acanthis,
Vim magnam & parvis rebus inesse monet.

INTER *varia genera Simiarum apud Aristotelem & alios habentur quoque Cynocephali, quos Gaza canicipites interpretatus est. Sunt tamen ex sententia Plinii, Solini, Gellii, atque etiam B. Augustini & homines monstrosi, qui capita instar canum habere dicuntur, de quibus hic non loquimur. Cynocephalus vero noster putatur illa esse bestia, quæ Italicè & à nostris quoque vulgo Babion nominatur, & interdum apud magnates conspicitur. Est autem animal admodum irritabile & iracundum, quod Aristoteles etiam de hist. animal. lib.* II. *cap.* VIII. *annotavit. quare Hieroglyphicè, teste Oro, iracundiæ typus est. Proprietas autem illi hæc inesse peculiaris perhibetur, quod luna silente tristetur & insuper cæcutiat, ac rursum ad illius ortū exultans, & visum recipiens, eam quasi veneretur & lætabundus adoret. Vnde Aegyptii aliquid divini illi inesse arbitrantes cum aliis animalibus nonnullis in suis templis coluerunt. Quo symbolo vir quidam nobilis, & suæ conjugis, nomine Dianæ, quæ apud poëtas est Luna, admodum amans, declarare voluit, amorem erga ipsam ita singularem esse, ut illius non aliter tam in secūdis quam adversis rebus afficiatur, ac si ad ipsum proprie pertineret. Quod Euripides quoque in Andromacha breviter retulit,*

ὅσοι γὰρ εἰς ἔρωτα πίπτουσι βροτῶν,
ἐσθλῶν ὅταν τύχωσι τῶν ἐρωμένων,
οὐκ ἔστι ποίας λείπεται τοῖσδ᾽ ἡδονῆς, *id est,*
Quicunque homines amore capti fuerint,
Si commodos nanciscantur amores,
Nullum his abest voluptatis genus.

Plura qui volet de hoc legere poterit apud Plutarchum in præceptis conjugalibus, & consolatione ad uxorem.

PENDET AB ILLA.



Cum lunâ Caniceps visum perditq́; capitq́;.
Sunt & conjugibus mutua fata bonis.

SIMIARVM *generi, inquit Plinius lib.* VIII. *cap.* LIV. *præcipua erga fœtum affectio. Gestãt catulos, quos mansuefactæ intra domos peperere, omnibus demõstrant, tractariq; gaudent, similes gratulationẽ intelligentis. Itaq; magna ex parte complectendo necãt. Oppian. lib.* II. *Cyneget. paulo aliter hæc exponit. Simias enim ait ex duobus, quos pariunt, alterũ amare, atq; alterum odisse, & hũc statim arctiore complexu necare; quæ Solinus quoq; in hunc modum commemorat: Immoderatè fœtus amant, adeo ut catulos facilius amittant quos impendio diligũt, & ante se gestant, quoniam neglecti pone matri semper hærent. Quod & Orus Niliacus tradit, & lepidè, quãvis paulo diversè, describit Avianus in fabulis. Icon hæc est cõveniẽtissima nimiæ indulgentiæ parentũ erga liberos, quæ sæpe illis detrimẽtosa vel etiam exitiosa esse solet, ut recte monet græcus versiculus,*

τὸ πρᾶον πατέρων διαφθείρειν τέκνα πέφυκεν.

Quem eruditiss. vir Gabriel Faernus in fabulis sic vertit:

Exitium natis parit indulgentia patrum.

Et ante eum Baptista Mantuanus fecerat,

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Nam, ut Plato V. *de legibus dicit*, τυφλοῦται πᾶς ὁ φιλῶν περὶ τὸ φιλούμενον, *id est, Amãs omnis fit cæcus circa rẽ amatam. Cuius indulgentiæ plurima mala & incommoda post Solonem, multis in locis Syracides enumerat, & exẽpla eius rei tam ex sacris quã profanis historiis non pauca afferre possemus, etiam nostrorum temporum, nisi ea ubiq; essent in promtu. Inter quæ illustre admodum est illud pontificis Iudaici Heli, qui ob nimiam erga suos filios indulgentiam, divinitus gravissimè fuit punitus. Alibi legitur ascriptum*, PERDIT AMANDO. *Vel*, SIT MODVS IN REBVS.

CÆCVS

CÆCVS AMOR SOBOLIS.



Sæpè & amare nocet. Suffocat ſimia amando
Simiolum. Exemplum hoc o fugitote patres.

FELEM dici Catum quasi cautum vulgo, quo nomine Palladius quoq; usus est, αἴλουρον vero gratis & Varino quoq; κάτλαν, nemini est dubium. Varro tamen & Columella felem videtur de marte vel ictide intellexisse, ut Augustinus Niphus quoque observavit. Apud Philostratum putatur esse γαλεώτης. Gaza γαλῆν non semper etiam mustelam, sed interdum felem interpretatur, cum tamen Plinius ubique αἴλουρον felem, & γαλῆν mustelam verterit. Huic animali innatum ac proprium est, ut sit libertatis cupidum admodum, & propterea carceris impatientissimum. Quapropter, Methodio teste (ut refert in symbolis Heroicis Guilhelmus Paradinus) antiquis Alanis, Burgundionibus & Suevis insigne militare fuit felis libere excurrentis delineatio, quo innuebant, se pro libertate defendenda animis paratis ac totis viribus semper pugnaturos esse, quod vere Germanicum & heroicum propositum firmiter multis sæculis continuarunt. Præclarè apud Salustiū C. Manlii Legati ad Martium Regem: Nos non imperium, neq; divitias petimus, quarum rerum caussa, bella atq; certamina inter mortales omnia sunt: Sed libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit. Nam etiam secundum Plautum in Captivis:

> Omnes profecto liberi lubentius
> Sumus quam servimus.

Sic qui dicebantur olim milites Augustales sub magistro peditum, idem procul dubio significantes, felem in vexillo prasini coloris, & alii, qui Felices nominabantur, in rubro eandem: Milites vero Alpini appellati, in vexillo punicei coloris gestabant. De quibus omnibus qui plura velit cognoscere, legat inter alios Pierium Valerianum in Hieroglyphicis de fele.

ARBI-

ARBITRII MIHI IVRA MEI.



Invicta letum pro libertate pacisci,
Gentis erat quondam gloria Teutonicæ.

MVSTELARVM *non unum genus habetur, inter quas ea quæ minima est, & Plinio vulgaris ac domestica dicitur, ubique est nota. De hac & testudine apud Aristotelem lib.* IX. *hist. animal. cap.* VI. *naturalis tam* φρονήσεως, *quam* ἀντιπαθείας *exẽpla leguntur memorabilia, quæ cum Græce eleganter sint exposita, placuit hoc loco referre.* ἡ δὲ χελώνη, ὅταν ἔχεως φάγῃ, ἐπεσθίει τὸν ὀρίγανον, καὶ τοῦτο ὦπται. καὶ ἤδη κατιδών τις τοῦτο πολλάκις ποιοῦσαν αὐτήν, καὶ ἐπειδὴ γευσαμένη τῆς ὀριγάνου πάλιν ἐπὶ τὴν ἔχιν πορευομένην, ἐξέτιλλε τὸ ὀρίγανον. τούτου δὲ συμβάντος, ἀπέθανεν ἡ χελώνη. ἡ δὲ γαλῆ, ὅταν ὄφει μάχηται, ἐπεσθίει τὸ πήγανον. πολέμια γὰρ ἡ ὀσμὴ τοῖς ὄφεσιν. *Gaza hæc ita transtulit. Testudo cum viperam ederit, mox cunilam edit (Plinius bubulam cunilam origanum vocat) quod cum ita sæpe factum animadvertisset quidam, ut gustata cunila viperam testudo repeteret, herbam evulsit, quo facto testudo interiit. Mustela vero quoties dimicatura cum serpente est, rutam comedit. Odor enim eius herbæ infestus serpentibus. Hoc symbolum egregio Polemarcho Sfortiæ Palavicino contra Turcas sub Imperatore Ferdinãdo militanti, Iovius obtulit, monens illum simul, prudentiam cum fortitudine esse cõjungendam, de quo & supra aliquid dictum est. Sereniss. Dux magnus Hetruriæ Franciscus addit busonem, qui minatur se mustelam devoraturum, & ascribi curavit,* AMAT VICTORIA CVRAM. *Nam buso quoque similiter ut serpens rutam ferre nequit. Estque hemistichium hoc sumtum ex Catullo in carmine nuptiali,*

Iure igitur vincemur, amat victoria curam.

Non absimile huic est, quod posuimus in priore nostra Centuria num. LXXXVI.

CAVTIVS VT PVGNET.



Obfirmet fortis prudentia pectus in hostem,
Mustelæ veluti ruta dat antidotum.

DE *inimicitia mustelæ cum serpente & bufone, & ipsius cũ ruta munimento jam dictum est. Nihilominus perhibent hoc cautum & astutum alioqui animalculum (in quod propterea Galanthidem, quia partum Alcmenæ invita Lucina callide procurasset, transformatam fuisse fingit Ovid. lib.* IX. *Metamorphos.) perhibent nescio quo errore vel temeritate inductũ, sponte sua interdum in os bufonis inimici sui irruere atq; ita nonnũquam perire, haud aliter quam viperam caput maris ori suo insertum præmordere quidam aiunt. Camillus de Camillis, & Ioannes Baptista Pittonus in Italicis suis scriptis de Impresis vulgo dictis, hoc quidem ita se habere affirmant, sed apud veteres rerum Naturalium autores (quod memini) nusquam reperitur annotatum. Quadrat autem hæc similitudo in illos, qui in aliis suis rebus satis caute ac prudenter versantes, interdum tamen per cæcum impetum & impotentiam animi, vel ab aliis voluptatibus, vel inprimis amorum illecebris sinunt se à virtutis tramite abduci, ac ita sæpe in manifestam perniciem abripiuntur. Quem affectum admodum impetuosum Seneca poëta in duobus locis egregie describit, quorum prior extat in Tragœdia Hippolyto:*

Furor cogit sequi
Peiora: vadit animus in præceps sciens
Remeatque, frustra sana consilia appetens.

Alter est in Medea,

Cœcus est ignis stimulatus ira,
Nec regi curat, patiturque frenos,
Haud timet mortem, cupit ire in ipsos
Obvius enses.

Ipsa Medea apud Ovid. Heroid. similiter ait:

Quo feret ira sequar: facti fortasse pigebit.

VER-

VERSVTIOR ERRAT.



Cætera qui vincis, tibi cur dominata voluptas
Te haud improvisum mergit in exitium?

PUTAT *Pierius lib.* XIII. *Hieroglyphicorum, Aelianum & alios per album murem intellexisse eũ, quem Albertus Armenium & vulgo Armelinum nominant, quem videtur quoque sequi Georgius Agricola, atque idem existimat apud Plinium in sæpius allegato lib.* VIII. *cap.* XXXVII. *murem ponticum esse eũ, quem album duntaxat conspici ait, murem autem Fennicũ vel Venetum potius, aut varium vocant, qui Agricolæ est Sciurus Fennicus. Sed Armelini proprietas fertur esse sane mira, quod nimirum fame aut siti prius moriatur, aut à venatoribus sese capi ferat, quam luto aut simili re immunda, quib. circumdata sit, suam pellem candidam & elegantem patiatur defædari. Quod ingeniosiß. symbolum usurpavit Ferdinandus filius Alphonsi Regis* I. *Arragoniæ & Neapolis, propter Marinum de Marciano Ducem Suessæ ac Principem Rossani (ut Iovius memorat, & sculptura supra portam Castelli novi Neapolitani hoc confirmat) qui tametsi ejus esset propinquus, ad partes tamen sui hostis Ioannis Andegavensis se contulit, & insuper per insidias conatus est Regem è medio tollere. Sed Rex sibi cavens Marinum paulo post cepit, & suadentibus amicis, ut illum interfici curaret, non est illis obsecutus, dictitans quamvis in se proditoriè egisset, propter sanguinis tamen cognationem omnino nolle hoc facere. Quidam ingeniose rythmis hisce germanicis descripsit,*

Eh ich wider mein gwissen thett/
Vil lieber sterb ich an der stett.

Sic Claudianus,

Nempe mori satius, vitæ quam ferre pudorem.

Et Pindarus in Olympiis, Hymno VIII.

ἀΐδα τοι λάθεται, ἄρμενα πράξαις ἀνήρ:
Orci obliviscitur, qui facit ea quæ conveniunt.

MALO

MALO MORI QVAM FOEDARI.



Omnibus antistat recti mens conscia rebus:
Hoc bene emi vita tu quoq; crede decus.

QVAMVIS multæ regiones abundent cuniculis, cũ sint admodum fœcundi, maximus tamen eorum in Hispania semper fuit proventus, unde Catullus vocat cuniculosam Celtiberiã. Quin etiam Balearici auxilium militare ab Augusto Imperatore olim contra eos petierunt, teste Plinio lib. VIII. cap. LV. & Strabone lib. III. atq; etiam oppidum ab iis esse subversum narrat Varro, quem adducit Plinius eodem libro cap. XXIX. Et Strabo quidem in Turditania (quæ putatur esse Hispania ulterior sive Bætica) contra illorum copiam nimiam, plures esse modos inventos eos venandi & capiendi scribit, quorum unus fuit, quod γάλας ἀγρίας Africæ, id est, mustelas sylvestres, quas viverras esse putant (quamvis interpretes feles feras habeant) studiose adhibeant, ac ore obligato in foramina cuniculorũ immittant, quæ eos unguibus extrahant aut expellant, ut ab astantibus capiantur, quod Plinius quoq; commemorat. Atq; hoc venationis genus adhuc in Anglia & alibi est usitatum. Nam venator viverras funiculo tenens in cavernas immittit, quæ ubi cuniculum apprehenderint, ita mordicus tenent, ut una cum ipsis extrahantur. Admonemur autem hoc Emblemate, quantopere clandestinæ insidiæ nobis sint cavendæ, quod quidem inprimis de calumnia pessimo & valde occulto malo est intelligendum. Vnde proverbium dicit: Non esse remedium contra sycophantæ & calumniatoris morsum, desumtũ ex Aristophanis Pluto, ubi cuidam jactanti annulum se habere magicum, efficacem contra omne malorum genus, addit alter,

ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος,

scilicet φάρμακον, id est, Non illi inest remedium contra sycophantæ morsum.

LXXXII.

VNDIQVE INSIDIÆ.



Protrahit abstrusis mustela cuniculum ab antris.
Et quis se tutum speret ab insidiis?

INDICARVM *rerum scriptores, Gomara, Monardes, Lerius & alii plures, atq; Bellonius quoq; in Observationibus Hodæporicis describunt depinguntq; animal quoddam veteribus forsitan incognitum, cuius binas etiam exuvias, quæ inter se non parum differunt, in nostro rerum naturalium penu habemus. Hispani nominant Armadillo, id est, armatum sive cataphractum, quod quasi panoplia vel armatura quadam loricata à capite usq; ad pedes sit cõtectum. Inde Mexicani & Guinenses, apud quos copiose reperitur, & subterraneum animal esse dicitur magnitudine erinacei, sed longius; appellant in sua lingua Tatou. Quemadmodum itaq; hoc rarum animal munitur naturalibus armis, quibus sese defendit, nec externis indiget subsidiis: sic quoq; virtus instar loricæ in se munita tuta consistit, & insultus adversæ fortunæ facile superat ac contẽnit. Quæ Claudianus in Panegyri de cõsulatu Mallii Theodori his versibus pulchre exposuit:*

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuque petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Nec minus eleganter Horatius lib. III. *Ode* II.

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Menander: ὅπλον μέγιστόν ἐστιν ἡ ἀρετὴ βροτοῖσι: *Armatura maxima virtus est mortalibus.*

VIR-

VIRTVS LORI-CA FIDELIS.



Virtus ipsa suis firmissima nititur armis,
Sævam hiemem sortis spernere docta malæ.

HISTRIX, *qui vulgo porcus ſpinoſus nominatur, ſicuti apud Suidam* ἀκανθόχοιρος, *cū quo germanicum quoq; vocabulum,* Stachelſchwein / *convenit, è genere Erinaceorum eſt, ſed multo longioribus & acutioribus aculeis armata, atq; iis quidem (ut Plinius & Aelianus narrant,) cum cutim intendit, miſſilibus: unde nō ſolum pungit illis & ſauciat ora canum, ſed longius quoq; in eos ejaculatur. Quod Ariſtot. quoq;, Athenæus & Suidas referunt. Hoc animal eruditi quidam arbitrantur apud Plautum in Pœnulo, nomine muris Africani notari, cum ſit in Africæ & Indiæ regionib. frequens, quod interdum hodie quoq; ſpectandi cauſſa in Germania circumfertur, nec eſt* ἀμφίβιον, *ſed terreſtre tantum, ut Oppianus quoq;* III. *Cyneget. affirmat. Extat autem apud Claudianum integrum poema de Hiſtrice, ex quo nonnullos verſus huc transferre placuit:*

Ecce brevis propriis munitur beſtia telis,
Externam nec quærit opem, fert omnia ſecum,
Se pharetra, ſeſe jaculo, ſeſe utitur arcu.
Vnum animal cunctas bellorum poſſidet artes.
Quod ſi omnis noſtræ paullatim induſtria vitæ
Fluxit ab exemplis, quicquid procul appetit hoſtem,
Hinc reor inventum.

Similia ferè de Mantichora, Indiæ fera, Phile in Iambis ſcribit, eam videlicet è cauda ſpiculis armata ſagittas emittere, quibus ſe perſequentes feriat. Gratum hoc & familiare fuit ſymbolū Ludovici XI. *Regis Galliæ (unde corona illi additur) qui eo oſtēdere voluit, arma ipſi talia eſſe in promtu, quibus & in propinquo, & longius, ſi opus ſit, hoſtem ſuum poſſit petere,* ἀγχέμαχος *nimirum pariter atq;* τηλέμαχος. *Quidam ex verſibus Claud. addunt:* FERT OMNIA SECVM. *Bene igitur Seneca in Medea dixit:*

Nemo potentes aggredi tutus poteſt.
Gravis *enim, ut ibid. ait,* ira regum eſt ſemper.

LXXXIV.

COMINVS ET EMINVS.



Cominus ut pugnat jaculis, atq; eminus histrix,
Rex bonus esto armis consiliisque potens.

ERINACEVS, *vel secundum Pliniũ Herinaceus, forsitan quia infixa spinis illius inhæreant, dicitur quoq; Ericius, & apud Plautum in Menechmis, ac Nemesianum in Cyneget. Eres, græcis est* ἐχῖνος. *De quo apud Plutarchum in comment. de solertia animal. extat hæc jucunda narratio. Elegantior tamen est Erinacei pro catulis procuratio. Autumni enim tempore sub vites obrepens uvarum acinos pedibus in terram decutit, eosq; circumvolutans se spinis suis excipit, ac nobis aliquando omnibus hoc spectantib. speciem exhibuit ambulantis uvæ, deinde in cavernam suam discedens, catulis eas à se decerpendas præbet. Est autem dictum hoc, Non solũ nobis &c. ex Ciceron. lib.* I. *de Officiis nota omnib. sententia desumpta, quam ille transtulit ex epistola Platonis ad Archytam Tarentinum, quæ omnia huc transferre nimis esset longum futurum. De amore vero erga liberos parentum eruditus commentar. Plutarchi* περὶ φιλοστοργίας *legi poterit. Ac Menander unico versiculo id est complexus,*

τοῦτ' ἐστὶ τὸ ζῆν, οὐχ ἑαυτῷ ζῆν μόνον.

Hoc vivere est, haud sibi uni vivere.

Guilhelmus Paradinus in symbolis heroicis addit, MAGNVM VECTIGAL, *ex Cicerone in Paradoxis: O dii immortales, non intelligunt homines, quam magnum sit vectigal parsimonia. Apud Plinium lib.* VIII. *cap.* XXXVII. *habetur, præparare hieme Erinaceos sibi cibos, & volutatos supra jacentia poma affixa spinis, unum non amplius tenentes ore, portare ea in cavas arbores. Quod etiam Aelianus refert. Sic Plutarchus in comment.* περὶ φιλοπλουτίας, *id est, de cupiditate divitiarum (quamvis ibi ab avaro in alium sensum detorquentur) ait,* ταῦτα γάρ ἐστιν, ἃ παραινοῦσι καὶ διδάσκουσι: κέρδαινε καὶ φείδου, καὶ τοσούτου νόμιζε σεαυτὸν ἄξιον, ὅσον ἂν ἔχῃς, *id est, Hæc enim sunt quæ monent atq; docent: Lucrare & parce, & tanti te esse crede, quantum est quod possides.*

NON

NON SOLVM NOBIS.



Ericium hic qui ceu gradientem conſpicis uvam,
Frugi ſis, & opes tu quoque linque tuis.

ECHINVS *non sine vafricie quadam naturali, quando sentit canes in se impetum facere, convolvit se in formam pilæ, ut tantum in aculeos vim suam exerceant. Plutarchus in commentario toties adducto, de solertia animalium, paulo aliter de vulpe hæc commemorat, & inde proverbium natum dicit,*

Scit multa vulpes, magnum echinus unum habet.
Nam accedente, ut aiunt, vulpe,
Corpus convolvens pineæ in morem nucis
Spinas riget horrens, ne vel morderi queat,
Vel tangier.

Estq; prior senarius, secundum Xenodotum Archilochi,

πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα.

Posteriores verò versus legũtur quoq; apud Athenæum Dipnosophi. lib. III.

στρόφιλος ἀμφ' ἄκανθαν εἱλίξας δέμας
κεῖται, δακεῖν τε καὶ θιγεῖν ἀμήχανος.

Significat autem hominem virtute ac integritate sua fretum, fraudes & obtrectationes malevolorum facile cõtemnere & ab illis se conservare posse: ac attribuitur hoc symbolum à CL. V. *Ioan. Sambuco illustri Baroni Carinthiaco Ioanni Kevenhülero. Academici Brixienses occulti, solum Echinũ pingunt in globum convolutum cum dicto,* VNDIQVE TVTVS: *quod cũ priore explicatione congruit. Scipio autem Amiratus in libello suo Italico attribuit hãc inventionem fortiss. Duci militari Vespasiano Gonzagæ, una cum parte versus Virgiliani Aeneid.* V. DECVS ET TVTAMEN IN ARMIS, *quod præstantes & fortes milites constantia & animositate in pugnando, non fugiendo turpiter, & seipsos salvos ac incolumes conservare, & veram gloriam bellicam conquirere studeant, quibus convenit istud Catulli in Argonaut.*

Expers terroris Achilles
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.

NIL MOROR ICTVS.



Integritas, virtusque suo munimine tuta,
Non patet adversæ morsibus invidiæ.

SCIVRVS *castaneam, quamvis aspero & spinoso cortice circumdatam, tam diu versat & laboriose tractat, donec aperiat, fructuq; illius interiore frui ad vescendum queat. Quo indicatur, sine labore ac sudore (ut sæpe jam dictũ) ad res laudabiles nullum aditum nobis patere. Estq; hac similitudine quoq; Plautus usus in Curculione,*

Qui è nuce nucleum esse vult, frangat nucem,

Figura nimirum proverbiali monens eum, qui commodũ quærit, laborem quoque non subterfugere debere. Quod B. Hieronymus ad diligentem lectionem sacrarum litterarum accõmodavit. Cicero quoque ex Attio vetere poëta refert hos versus in orat. pro P. Sestio.

Sed te id quod multi invideant, multique expetant,
Inscitia sit postulare, si tu laborẽ summa cũ cura efferas nullum.

Idq; de sapientiæ adeptione peculiariter pronunciat Turpilius Comicus referente Nonio in verbo spissum,

Ita est: verũ haud facile est venire illo, ubi ipsa est sapientia,
Spissum est iter, adipisci haud possis nisi cũ magna miseria.

Et Pindarus (qui ubiq; ejusmodi sententiis plenus est) Pyth. Ode ult.

εἰ δέ τις ὄλβος ἐν ἀνθρώποισιν, ἄνευ καμάτου οὐ φαίνεται.

Si vero aliqua est inter homines felicitas, ea non sine labore existit.

Cui similis est Epicharmi sententia, πρεπόντων πόνων πωλοῦσιν πάντα τ᾽ ἀγαθὰ οἱ θεοί: *Convenientibus laboribus vendunt omnia bona dii. Totum vero hoc symbolũ eleganter explicat Philo de vita Mosis lib.* III. *Alius quidam ascripsit,* VIRTVTE ET SAPIENTIA, *quibus duobus omnia laudabilia & præclara cõparare sibi homines possunt. Ac Claudianus inter alias laudes Stiliconis lib.* II. *eadẽ quoq; refert,*

Durum patientia corpus
Instruit, ut nulli cupiat cessisse labori.

LA-

LXXXVII.

LATET AB-DITA.



Nucleus arridet? Spinoſa putamina rumpe;
Non vult felices absque labore DEVS.

De eodem Sciuro, quem græci quoque καμψίουρον appellabant, Olaus Magnus lib. XVIII. *cap.* XVIII. *Historiæ Septentrionalis hæc literis mandavit. Tranat bestiola ista per amnes exiguo ligno, caudam habens pro velo expansam. Non enim natura alium concessit natandi modum, propter exiguum corpus & nimiam pilorum densitatem in cauda villosa, qua cito imbuta aqua mergeretur in fundum. Quam rem Oppianus longe ante ipsum elegantibus versibus descripsit græcis, & Sciurum cum pavone caudam explicante confert. Nec absimilis est natatio piscis Nautili ab eodem copiose descripta in Halieut. lib.* I. *de qua,* DEO *volente, plura in* IV. *nostra Centuria de Aquatilibus & reptilibus dicemus. Est autem symboli huius cum aliis nonnullis commune argumentum hoc, quod sæpe ingenio & solertia in reb. difficilibus & admodum impeditis plus obtineatur, quam magnis viribus. In quam sententiam præclara extat oratio gravissimi historici græci Polybii, ubi loquitur de Xanthippo Lacedæmonio. nam inquit,* καὶ μὴν τὸ παρ' Εὐριπίδῃ πάλαι καλῶς εἰρῆσθαι δοκοῦν, ὡς ἓν σοφὸν βούλευμα τὰς πολλὰς χεῖρας νικᾷ, τότε δι' αὐτῶν ἔργων ἔλαβε τὴν πίστιν. εἷς γὰρ ἄνθρωπος καὶ μία γνώμη τὰ μὲν ἀήττητα πλήθη καὶ πραγματικὰ δοκοῦντα εἶναι, καθεῖλε. τὸ δὲ προφανῶς πεπτωκὸς ἄρδην πολίτευμα καὶ τὰς ἀπηλγηκυίας ψυχὰς τῶν δυνάμεων ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἤγαγεν, *id est, interprete Nic. Perotto: Præterea quod olim ab Euripide sapientissime dictum fertur, unicum rectum consilium multorum manus vincere, hoc tempore ex iisdem operibus fidem accepit. Siquidem unus homo atque una sententia multitudinem, quæ antea invicta & insuperabilis fuerat, vicit ac profligatam urbem (Carthaginensem) & collapsos tot virorum animos instauravit atque erexit. Quidam addunt,*

VIRIBVS INGENIVM POTIVS.

VINCIT

LXXXVIII.

VINCIT SOLERTIA VIRES.



Exiguus tranat ceu flumina magna sciurus.
Res gerimus magnas viribus ingenii.

FELIS, *muscipulæ inclusa, circa quam captam saltant undiq; mures, & suo adversario petulanter insultant, donec tandem illa effractis repagulis liberata, meritas pœnas insolentiæ sumat, symbolum est, quod etiam Suidas & Adrianus Iunius in Emblemat. notarunt, nimiæ insolentiæ ex summa impunitate ortæ, qua homines plusquam oportet superbire, & ferociores fieri solet. Maxima enim est illecebra, Cicerone in oratione Miloniana teste, peccandi, impunitatis spes. Idq; etiam Arithmologica sententia non improbanda declarat, quæ dicit à quatuor bonis matribus totidem pessimos libros procreari, nimirum, à veritate odium, prosperitate superbiam, securitate periculum, & familiaritate contemtum. Quod sane inprimis de vulgi moribus intelligendum. Hæc enim, ut ait Livius lib.* XXIV. *natura multitudinis est; aut servit humiliter, aut superbe dominatur; libertatem, quæ media est, nec spernere modice, nec habere sciunt; & nō desunt magistri, qui intemperantes animos irritent. Quapropter necesse fuit, ut respectu legum & suppliciorum homines petulantes & scelerati in officio severe continerentur, ne licentia ipsorum crescente impune in alios quidvis tentare auderent. Itaque Horatius quoq; ait,* I. *Serm. Sat.* III.


Iura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.

Et Isidorus II. *Etymol. Factæ sunt leges, inquit, ut earum metu humana coherceatur audacia, tutaq; sit inter improbos innocentia. Contra verò, ut in Paradoxis Cicero præclare docet, sapiens vir nonnisi recta sequitur atq; colit, quia id salutare maxime esse judicat. Itemq;* II. *de legibus. Constat profecto ad salutem civium, civitatumq; incolumitatem, vitamq; hominum & quietam & beatam, inventas esse leges.*

CAPTI-

LXXXIX.

CAPTIVAM IMPVNE LACESSVNT.



Hoſtem qui captum rides, fuge robur habentem;
Perrumpet felis carcere clauſa diu.

CHAMÆLEON (*cuius accurata descriptio est Aristot.* II. *de hist. anim. cap.* XI. *animalculũ Africanum est, nec infreques Indiæ, magnitudine Lacertæ grandioris, crura tamẽ sunt magis recta & alta, quod in varios colores mutari proverbiũ indicat, quo dicitur aliquis esse Chamæleõte mutabilior. Estq́; satis apposite typus hypocritæ & assentatoris. Quod Plutarchus in erudito cõmentario de dignoscendo amico ab adulatore sic explicavit: Adulatori evenit quod Chamæleonti. hic enim omni colori se potest similem præstare demto albo, & adulator in iis quæ operæ pretiũ habent simile se præstare non valens, nihil nisi turpe imitando exprimit. Idẽ autor alibi in comment. de solertia animaliũ, ex Theoph. & Aristot. rationem conatur reddere, quod sit natura admodũ meticulosus Chamæleon. Cum enim parum absit, quin totũ eius corpus pulmone impleatur, is spiritu plenus ob raritatẽ & pellucidam cutim ita distenditur, ac aptam ad mutationẽ reddit superficiem corporis. Plinius verò paulo aliter lib.* VIII. *cap.* XXXIII. *hæc de eo recenset. Ipse celsus hianti ore solus animaliũ nec cibo nec potu alitur, (notandum tamẽ, interdum muscis, formicis, & aliis insectis vesci) nec alio quã aëris alimento. Et coloris natura mirabilior. mutat namq́; eũ subinde, & oculis & cauda & toto corpore, redditq́; semper quẽcunq́; prox. attingit præter rubrum candidumq́;. Quæ profecto assentatorib. opt. conveniunt, quorum scopus præcipuus est, omnia imitari, & assensum cunctis præbere, præterquã iis, à quorũ ingenio longè absunt, qui scilicet cãdido simplicitatis & innocẽtiæ decore, ac pudoris verecũdiæq́; rubore sunt prædit. Quare Seneca Epist.* XLIV. *recte disserit, veritas in omnẽ partẽ sui semper est eadem. Quæ decipiunt, nihil habẽt solidi. Tenue est mendacium, perlucet si diligenter inspexeris. Tractavit autẽ idem argumentum quoq́; Alciatus, quod lector poterit cum his conferre. Additum etiã alibi legitur,* NON DVRAT HYPOCRISIS.

XC.

NIL SOLIDI.



Turpis adulator formas se vertit in omnes,
At verax similis mens manet usque sui.

Ex

EX apologo Aesopico symbolum hoc originẽ duxit. Cum enim (ut est in fabula) Iuppiter ad Iunonis nuptias animantes universas invitasset, aliis omnibus tempestive advenientibus, sola testudo nimium cessavit. De qua cum moræ caussam suscitaretur, respondisse fertur, οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, *domus amica, domus optima. Et Euripidis versus in hanc sententiam adducitur à Clemente Alexandrino* στρωματ. ς.

μακάριος ὅστις εὐτυχῶν οἴκοι μένει, *id est,*

Beatus est, domi qui agit feliciter.

Atq; vetus est verbum Hesiodeum, οἴκοι βέλτερον εἶναι: *quia nusquam aliquis commodius ac liberius vivit quam domi suæ, & addit idem poeta,* ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι, *i. quia molestum & noxiũ est foris versari. Quod tamen ita simpliciter non accipiendum, quasi etiam liberales & utiles peregrinationes non sæpe haberent suum locum, sed proprie ad* αὐτάρκειαν *quãdam & animi tranquillitatem ab omni curiositate alienam & remotam referendum est, non ad ignaviam & negligentiam inutilem. Nam Pythagoram, Lycurgum, Solonem, Platonem & alios plurimos, doctrinæ liberalis caussa, suo tempore, etiã longinquas & difficiles profectiones suscepisse historiæ testantur. Et Plutarchus in libello* περὶ εὐθυμίας *nimiam* οἰκουρίαν καὶ ἀπραξίαν, *id est, propriæ domus custodiã & inertiã plane improbat, sicut etiam in altero cõmentario, quem scripsit contra* τὸ λάθε βιώσας, *id est, latenter esse vivẽdum, idem testatur. Referendi etiam huc sunt versus Ennii apud Cicer. in Ep. ad Trebatium, desumpti ex Medea Euripidis. Quidam ascribunt,* INTRA ME MANEO: *conveniens maxime virgini vel matronæ honestæ, domi se libenter continentis: atq; ideo secundum Plutarchum in præceptis conjugalibus traditur, Phidiam pinxisse Venerem insistentem testudini.*

DOMVS

DOMVS OPTIMA.



Est sua cuiq; domus tutißimus usq; receptus,
Hanc ceu testudo fœmina casta colat.

CYGNI *in vertice montis Parnaßi Phœbo & Musis sacri commorantes, animi candorem ac integritatem designant, quæ propria & peculiaris inprimis verè doctis viris esse consuevit, qui suavi suo cantu, & dulcedine doctrinæ omnibus grati atq; fructuosi sunt. An verò Cygni ante mortem tam suaviter canant, quemadmodum multi ex Poëtis & Philosophis, atq; ipse Plato in Phædone sive animæ immortalitate, meminerunt, & Eustathius græcus interpres Homeri in Il. β. scribit, experientia esse cognitum, Cygnos esse canoros, cum Plinius, Aelianus, Athenæus aliiq; non pauci hoc negent, adhuc dubitatur, quāvis apud Græcos & Latinos* κύκνειον ᾆσμα, *id est, Cygnæa cantio in proverbium abierit. Ad montis verò huius fastigium testudo tardigrada suo lento at sedulo gressu ascendere, eoq́; tandem perveni-re nititur. Quo indicatur, nonnullos, quamvis ingenii tarditas vel alia eos non parum remorentur, aßiduitate tamen & diligentia id omne compensare, ac tandem ad sapientiæ & doctrinæ veram possesßionem ascendere, cum etiam Cato dicat (qua sentētia B. Hieronymus quoq; usus est) sat cito, si sat, bene. Quod breviter Aristoteles* III. *Ethic. dixit,* βραδέως ἐγχειρεῖν τοῖς πραττομένοις, ὅδ᾽ ἂν ἕλῃ, βεβαίως διαμένειν, *id est, Negocia quidem aggredienda cunctanter, sed in susceptis constanter inhærendum. Ac Periandro uni è septem sapientibus ascribitur,* μελέτη τὸ πᾶν. *In cura & diligentia consistunt omnia. Alibi legimus,* PEDETENTIM. *Vel,* AD LOCVM TANDEM. *Pertinet inprimis huc Homeri illud:*

κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν:

Nonnunquam assequitur tardus celerem citumq́;.

XCII.

ÆQVE TANDEM.



Tardigrada assequitur Cygnos testudo volucres,
Assiduus quo non scit penetrare labor?

QVANQVAM *ex veteribus tàm Græcis quàm Latinis quidam, interq́; hos Aelianus, & Orus Niliacus, tradiderint, Fibrum sive Castorem, urgentibus venatoribus & canibus, sibi ipsi partes genitales amputare, gnarum se propter ipsas peti: contrarium tamen Dioscorides, & Sextius quidam antiquus autor apud Plinium scribunt, & plures etiam recentiores hoc nō posse fieri ostendunt, propter testes ipsius spinæ admodum inhærentes. Ad receptam tamen vulgo opinionem respiciens Tertullianus argutè dixit lib. I. adversus Marcionem: Quis enim tam castrator carnis Castor, quam qui nuptias abstulit? Et sanè cùm Alciatus, Iovius, Garzonius & alii hoc ad Symbola & Emblemata sua accommodaverint, ac Marcellus Virgilius Florentinus in comment. ad Dioscoridem lib. II. de Castore, talia scribat fuisse olim excogitata, quò aliqua autoritate munitæ ejusmodi subjectiones facilius vulgo possent imprimi, nos quoq́; hic ipsi locum cōcedamus, cum doctrinam perutilem in se contineat, quæ cognosci potest ex brevi* ἐπιμυθίῳ, *huic apologo Aesopico addito,* ὅτι τῶν ἀνθρώπων οἱ φρόνιμοι ὑπὲρ τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας οὐδένα λόγον τῶν χρημάτων ποιοῦνται, *id est, homines prudentes propter suam salutem nullam habere rationem pecuniæ. Quæ admonitio ad alia omnia impedimenta vel famæ bonæ vel etiam vitæ caussa, abjicienda tempore necessitatis referri potest. Cuius rei tum aliæ tum præclaræ expositiones extant apud Ammianū Marcellinum lib.* XVII. *& Constātinum Manassem, quem autorem nobilis & doctus vir Ioannes Leunclavius in latinam linguam ex Græca erudite convertit. Paulus Iovius adhuc juvenis unica addita dictione,* ΑΝΑΓΚΗ, *hoc symbolum ipse usurpavit, quod ex Euripide in Hecuba forsitan sumsit, ubi ait,* στερρὰ γὰρ ἀνάγκη: *Dura est necessitas.*

MODO

MODO VITA SVPERSIT.



Vt vivat Castor sibi testes amputat ipse,
Tu quoq; si qua nocent, abjice, tutus eris.

DE Talpa ex Aristotele hæc Plinius, eius hac in re interpres, lib. IX. cap. XXXVII. cõmemorat: *Quadrupedum talpis visus non est, oculorum effigies inest, si quis prætensam detrahit membranã: atq; non levia etiam rudimenta pupillæ & albi circuli apparere in illis, sciunt qui diligenter per anatomen inspexerũt.* Et secundum eundem Plinium, quamvis semper in terra defossa vivat, liquidius audit obruta terra tam denso elemento. Oppianus lib. III. Cyneget. vocat αὐτόχθονα φῦλα, quod ex terra & pluvia credantur gigni. Apud Suidam proverbium legitur, ἀσπάλακος τυφλότερος, Talpa cæcior: Quo Cleomedes in Epicurum utitur lib. II. Et Aegyptii, teste Oro, hominem cæcum per eam denotabant, & apud Hesychium, ut Pierius refert, hieroglyphicum est ignorantiæ. Hinc nobis discendum, quam cæca sit mortalitas, nisi aliunde cœlesti luce illustretur. Vnde Socrates apud Platonem conqueritur, homines pauca scire vel potius nihil. Ac notum est Aristotelis dictum non quidem de talpis sed vespertilionibus, Metaphys. lib. II. cap. I. ὥσπερ καὶ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ᾽ ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων, id est, *Quemadmodum oculi vespertilionum sese habẽt ad meridianam lucem, sic animi nostri mens ad ea quæ sui natura omniũ manifestißima sunt.* Similesq; querelæ extant multæ apud Pindarum, Lucretium, Persium & alios poëtas. Quibus tamen approbari Scepticorum & Pyrrhoniorum ἀκαταληψίαν, id est, nullius rei veram & certam apprehensionem, minime est censendum; sed potius illis incitari debemus, ut eo accuratius veritati indagandæ & rerum causarumq; investigationi operã dare studeamus. Inscriptio est ex Symphosii Aenig.

ATRIS OBSCVRA TENEBRIS.



Heu mortale genus ceu talpæ, lumine captum,
Cœlesti donec restituatur ope.

VISUM est in fine horum Symbolorum & Emblematum, quædam etiam ἀμφίβια & ἀμφοτεροζῶα, id est, animalia ancipitia (ut Cicero vocat) quæ promiscue in aqua & terra vivunt, ad nostrũ institutum transferre, qualia sunt lutra, fiber, & crocodilus. Lutram quidem græci vocant ἐνυδρὶν, vel secundum Varinum, ἐνυδρὸν, notam omnibus, præsertim illis qui piscinas habent uberiores, in quibus interdum magnas strages edit. Aelianus videtur caniculam fluviatilem nominare, quam nos cicuratam etiam vidimus. In piscibus & quidem meliorib. capiendis mira illi agilitas, & tanta sagacitas, ut dicatur ex aqua per rivulum effluente, longe admodum piscium odorem ex vivariis percipere, quæ ubi invaserit, in omnes sævit, quamvis non universos poßit devorando absumere. Quæ profecto imago est admodum evidens tyrannicæ crudelitatis, quæ nil nisi cruentum & nefarium spirans omnibus est infesta, inprimis verò bonos & virtute præstantes viros è medio tollit. Nam, secundum Claudianum de IV. Consulatu Honorii,

Sors ista tyrannis
Convenit, invideant claris fortesq; trucident,
Munitique gladiis vivant, septique venenis
Ancipites habeant artes, trepidiq; minentur.

Et Cicero in libello de amicitia ait: Hæc est tyrannorum vita, nimirũ in qua nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis benevolentiæ potest esse fiducia, omnia semper suspecta atq; solicita sunt, nullus locus est amicitiæ. Nam, secundum Sophoclem in Oedipo,

ὕβρις φυτεύει τύραννον.
Injuria creat tyrannum.

Quare Antisthenes Philosophus, ut est in Stobæo, carnifices tyrannis in pietate præferebat, cuius caussam interroganti cuidam respondit: A carnifice quidem homines injusti interimuntur, à tyranno autem etiam innocentes.

XCV.

SÆVIT IN O-MNES.



Plures lutra necat pisces, quam condat in alvum:
Sic rabie tumidus sæva tyrannus agit.

CASTOR *Festo fiber quasi fimber dicitur, quod in extremis fluminum oris ac tanquam fimbriis degat, horrendi, quemadmodum Plinius loquitur, morsus, ut arborem ceu ferro cedat, adeo constãs in suo proposito atq; solers, ut quã ad ripas delegit primam dissecandam, eã non mutet, etiamsi diutius huic labori sit insistendum. Vnde Plautus: sic me subes cotidie, quasi fiber salicem. Quod si hominis partẽ aliquam apprehenderit, nisi fracta concrepuerint ossa, nõ desistit. Quod tamen Aristoteles lib.* VIII *de histor. animal. cap.* V. *de lutra retulit, sicuti alterum de arborib. lataci, quã vulgo Noerzam vocãt, ascribit. Nos hoc symbolo admonemur ad constantiam & perseverantiam in laboribus perferendis, secundum Virgilii* II. *Georgic. tritam* γνώμην,

Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Et sunt praeclari hi versus Lucretii quoq; merito discendi, lib. I *& in fine lib.* IV.

Nam leviter quamvis quod crebro tunditur ictu,
Vincitur in longo spatio tamen atq; labascit.
Nonne vides etiam guttas in saxa cadentes
Humoris longo in spatio pertundere saxum?

Atq; Ovidianum quoq; distichum omnibus est notum.

Quid magis est durum saxo? quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

Hinc Charili versus proverbialis graecus apud Galenum lib. III. *de Temperament.*

πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείη, *id est,*
Gutta cavat lapidem non vi sed saepe cadendo.

Ac Seneca VI. *Epist. ad Lucil. Nihil est quod non expugnet pertinax opera & intenta ac diligẽs cura. Item Epist.* XVI. *Perseverandum est & assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est.*

PERSE

XCVI.

PERSEVERANDO.



Quid non perficiat labor improbus? aſpicis, arbor
Vt cadat à morſu Caſtoris aßiduo.

CROCODILVS *Aegypti & Indiæ inquilinum animal est, & de eo Plutarchus in comment. de solertia animalium hæc tradit: Divinationi, non rationi imputetur hujus animalis prænotio. Nam neque infra nec ultra illud spatium, ad quod Nilus sua annua eluvie perventurus est, progressus ova ponit, ut quicunq; agricola in ea incidat, cum ipse intelligere tum aliis prænarrare queat, quousque sit effluxurus amnis, adeo scite dimensus est, ne humidus ipse humido incubet. Plura idem autor in altero comment. de Iside commemorat. Plinius lib.* VIII. *ca.* XXV. *parit ova, inquit, quanta anseres, eaq; extra eum locum semper incubat prædivinatione quadam, ad quem summo auctu eo anno egressurus est Nilus. Huc etiam pertinet proverbium sive præceptum Pittaci, unius ex septem Sapientibus,* γνῶθι καιρὸν, *id est, Tempus nosce. Et Hesiodus monet,*

μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.
Observato modum, nam rebus in omnibus illud
Optimum erit, si quis tempus spectaverit aptum.

Et Pindarus Olymp. XIII. ἕπεται δ' ἐν ἑκάστῳ μέτρον, νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος, *id est, consentaneus autem unaquaq; in re est modus, quem intelligere, opportunitas est optima. Quæ providentia quàm sit utilis, Sophocles in Electra demonstrat,*

προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ
κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, οὐδὲ νοῦ σοφοῦ:

Id est,

Providentia nullum hominibus aptum natum est
Lucrum capere melius, neque mente sapiente.

Et breviter Pindarus in Pythiis:

ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν,
Tempus pariter in omni re fastigium obtinet.

TEM-

XCVII.

TEMPORE ET LOCO.



Nosse modum tempusq́; doces, Crocodile magister,
Et ventura diu tempora prospicere.

ARISTOTELES *lib. IX. de hist. animal. cap. VI. ubi loquitur de nonnullis animalibus, quæ ipsa natura quadam instruxit quasi prudentia, ait, Crocodilis hiantib. aves trochilos involantes depurgare dentes, quo munere & ipsi aluntur, & Crocodilus sentiens commode secum agi, nihil ei nocet, sed cum egredi avem vult, cervices movet ne cõprimat. Quidam hirudinibus, quib. os refertum Crocodilus habeat, ipsum à Trochilo liberari scribunt, ut Orus, (ex Phasianini versione). Herodot. in Euterpe, Apuleius Apol. I. Amm. Marcellin. & Phile in Iamb. Plutar. in libello sæpius indicato paulo aliter hæc exponit: Trochilum nimirũ avem ex earũ genere, quæ circa lacus & fluvios versantur (quare de alio trochilo, quem ad regulum referũt, hic locus vix erit intelligendus) Crocodilum custodire, nõ proprio victu, sed eius reliquiis enutritã. Cum enim sentit Ichneumonẽ luto, sicut athletæ pulvere solent, oppletũ crocodilo dormiẽti insidiari, vociferans & tundens rostro hunc excitat. Crocodilus vicissim ita se huic cicurẽ præbet, ut eũ aperto ore intromittat, gaudeatq; eo tenues carniũ particulas, quæ dentib. suis inhæserant, rostro sensim legente & deradente auferre, ac ubi jã os claudere vult, leniter mandibulũ inclinans id significet, neq; etiã prius demittat, quam trochilũ evolasse senserit. Est hoc insigne exẽplum gratitudinis, quod semper ante oculos nobis obversari debet,* ἀγαθοὶ γὰρ *(ait Xenophon)* μεγάλα ἀντὶ μικρῶν εὐεργετεῖν εἰώθασι, *id est, Boni pro parvis magna beneficia cõferre solent. Ac Cic. in orat. pro Cn. Plancio summopere hanc virtutẽ plurib. verbis cõmendãs, Hæc, inquit, est mater omniũ virtutũ reliquarũ. & paulo post: Equidẽ nihil tam proprium hominis esse existimo, quã non modo beneficio, sed etiam benevolentiæ significatione alligari, nihil tam inhumanum, tam immane, tam sævum, quam committere, ut beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare.*

ACCEPTVM RED-DITVR OFFICIVM.



Vel trochili meritis Crocodili gratia constat,
Præclare meritis tu quoq; redde vicem.

ICHNEV-

ICHNEVMON *Hesychio & Nicandro in Theriacis est ἰχνεύτης, magnitudine felis, vel, secundum Aristotelem, ictidis, lutræ colore & pilo, cuius species esse putatur, vulgò vocãt murem Pharaonis, qualem ante paucos annos vivum Francofurti ostenderunt. Plutarchus hæc de illo refert. Parum differt ab induto thoracem ad prælium milite, tantum sibi circumdat cæni, tamque densam sibi circumlinit tunicam, aggressurus Crocodilum. Quod Isidorus etiam scribit lib.* XII. *cap.* VI. *Plinius addit, saturum Crocodilum in littore se supinum abjicere, ibi tum trochilum aviculam eius os purgare, in qua voluptate somno pressum eum Ichneumon conspicatus per eius fauces, ut telum aliquod immissus erodat alvũ, & sic bestiam illam conficiat. Idem ferme scribunt Strabo, Diodorus Siculus & Oppianus, atq; hic quidem* III. *Cyneg. eleganter admodum & copiose. Et extat de eadem hac re ænigma apud Athæneum, eiq; subiecta λύσις ex Eubulo Comico. Aristoteles & alii Ichneumonis ita armati, etiam cum serpentibus pugnantis mentionem faciunt. Est autem icon tyranni, qui ut Crocodilus in Nilo injustum imperiũ exercens hominibus & animantibus non parcit, attamen à parvo & contemtibili Ichneumone interficitur, ita quoq; non raro à viliss. homine tyrãnus è medio tollitur. Vnde Iuvenalis Saty.* X.

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges & sicca morte tyranni.

Qui vero huius argumenti plura cognoscere cupit, legat inprimis Xenophontis scriptum admodum eruditum, cui titulus Hiero, *in quo tyrannum plane graphice depingit.*

NVS-

NVSQVAM TVTA TYRANNIS.




Quem minime credas properabit fata tyranno:
Exitio Ichneumon sic crocodile tibi est.

QVIDAM eruditus vir Cæsar Trevisanus integrum commentarium edidit Italicum, de quodā Symbolo sive Emblemate, quod ipse vel Impresam vulgari nomine, vel Insigne, vel saltem quādam ingeniosam & amœnam inventionem appellare voluit. Ex hoc scripto nos præcipua quædam capita tantum, paulo tamem verbosius quam in aliis factum est, enarrare, & illo huic nostræ secundæ Centuriæ finē imponere constituimus. Curavit autem autor depingi quatuor diversi generis animalia, eo modo ut unum alterum respiceret. Inter illa aquila & leo è regione superius, & inferius Siren cum Dracone conspiciebantur. His autem animalibus, amorum quatuor genera voluit repræsentare, nimirum desiderium & amorem veræ gloriæ & famæ, secundum virtutis & præstantiæ animi, tertium pulchri, quartum divitiarum; quibus eorum proprietates accommodat. Nam ad primū quod omnia inferiora in altum ducit, & famæ ac gloriæ rebus præclaris & laudabilibus conquisitæ incumbit, aquila pertinet, quæ inter omnes alias aves volatu suo partes superiores cœli petit, & acie præterea oculorum singulari prædita est, unde veteres poëtæ Iovis esse ministrum fabulati sunt. Soli autem aquilæ corona in capite est addita, quæ amorem sanctum & divinum circa res cœlestes designat. Leo secundo generi accommodatur, qui robore & quasi fortitudine quadam cæteris universis animalibus dominari dicitur, adeo generosi animi, & timiditatis atque ignaviæ expers, ut autores rerum naturalium scribant, quod hominibus dormientibus, vel in terram, quasi mortui essent, prostratis, vel etiam infantibus parcat, nec illis ullam noxam inferat, ac præterea in campis apricis & latentibus securus, spretis venatoribus, non mutato consueto ingressu, procedat: quod virtutis & magnanimitatis conveniens est exemplum. Ad tertium

genus

AMOR CAVSSA OMNIVM.



Si rerum quæras fuerit quis finis & ortus,
Desine. nam caussa est unica solus amor.

genus amoris, quod in vera rerum pulchritudine appetenda consistit, Siren additur, cui, ut fingunt poëtæ, tam suavis vox est, ut omnes qui audiant ita demulceat, quod etiam somno inde corripiantur. (Alibi tamen ad ad illicitum amorem hanc similitudinem transferri, non est ignotum.) Draco ultimo generi comparatur, quod versatur circa divitias & opes mundanas; nam his illum præsidere ac custodire eas perhibent, & oculis quoque utitur acutissimis, quæ omnia divitiis conquirendis non male possunt applicari. Quod si cum μικροκόσμῳ quoque, id est, parvo mundo sive homine hoc conferre voluerimus, Aquilæ semper in altis locis viventi, & prædæ inhianti caput respondet, in quo est intellectus in perpetua rerum inveniendarum meditatione occupatus, deinde os quoque illi ad cibum ingerendum inest; Leoni cum pectore conveniet, in quo consistit fortitudo; Sireni tanquam voluptuariæ & in aquis degenti inferior venter; & tandem Draconi per terram repenti pedes & crura attribuentur. Circum hæc vero animalia undiquaque flamma mollis & lucida conspicitur, qua nobilitas & excellentia amoris denotatur. nam inter alia elementa ignis præcipuum locum obtinet, tanquam magis efficax reliquis. Occupat autem hæc flamma universum spacium circa quatuor animalia, quoniam ipsius vis & potentia per cunctas res penetrat atque sese diffundit. Quod etiam catena indicat, quibus animalia invicem colligantur, & sæpe unum ad alterum pertrahitur. Est autem illa in superiore parte aurea circa Aquilam & Leonem, cum amor divinus & universalis sit præstantiss. circa inferiora autem animalia plumbea humanum atque etiam bestialem significans. Huic μυθολογικῷ figmento autor addidit inscriptionem Græcam hanc, ὁ ἔρως ἁπάντων αἴτιον, καὶ πρὸς αὐτὸν ἅπαντα, id est, Amor caussa omnium, & ad ipsum omnia: quod nimirum ex amore vero omnes res originem ducant primumque rerum sit

princi-

principium, & sic tandem in ipsum universa quoque revertatur. Ingeniose hæc sane & eleganter excogitata fateor, quæ tamen in schola pietatis Christianæ multo melius & rectius explicantur. Nam, ut taceam de Amore DEI *erga genus humanum (cuius vim & præstantiam nulla unquam lingua humana satis exprimere vel laudare potest) primum est Amor sive dilectio, quo* DEUS *diligitur propter se, & proximus propter* DEUM, *ut docet B. Augustinus de doctrina Christiana: qui lib.* VIII. *de Civitate* DEI *quoque ait, Platonem non dubitare hoc esse philosophari, scilicet* DEUM *amare, de quo habemus præcepta sacrarum literarum plurima, quæ nunquam ex animis nostris sunt deponenda. Est deinde amor erga proximum, qui proprie Charitas dicitur, qui ex priore quasi uberrimo fonte promanat. qui enim* DEUM *amare negligit, diligere proximum nescit, ut veterum quidam dixit. Et secundum S. Paulum, 1. ad Timoth. 1. Finis præcepti est charitas ex corde puro, conscientia bona ac fide non ficta. Et* SALVATOR *noster, Ioan.* XIII. *certum ac indubitatum signum suorum discipulorum dicit esse mutuam dilectionem. Huc etiam referri debet amor patriæ. nam quid illa nobis potest esse proximior? quam Ethnici etiam adeo magni fecere, ut pro illa mortem sæpe obierint. Et Seneca dicat,*

Præferre patriam liberis regem decet.

Maxime autem charitati adversatur amor sui, cum quo congruit amor huius seculi, quæ græcis est φιλαυτία, *quæ omnium vituperabilium affectionum dicitur esse principium, sicut superbia est finis. Hunc stultum & improbum merito appellat Horatius, & Aristoteles* VI. *Ethic. infamem, alii cæcum: à quo vitio omnes quam longiss. abesse debemus. Est denique amor honestus & laudabilis in rem aliquam vel animatam vel inanimatam (quem Plato etiam videtur describere in dialogo, quem Symposium sive de amore inscripsit) qui longe lateque sese extendit,*

ea tamen conditione, ne ullo modo limites honesti excedat. Atq́; extat egregium dictum apud Dionysium (ut fertur) Areopagitam in libro de divinis nominibus. Amorem sive divinum sive angelicum, sive spiritualem, sive animalem aut naturalem dicas, insitam quandam intellige & connascentem virtutem, quæ superiora quidem ad inferiorum Providentiam prolicit, æqualia rursum ad socialem sui invicem communionem conciliat, ac postremo infima quæq́; incitat, ut ad sublimiora potioraq́; convertantur, immo veluti fomite quodam igneo amplius succensa resiliant. Hæc ille. Postremo loco est inhonestus & voluptarius amor, priori plane contrarius, præsertim ille impudicus & ἐρωτικὸς, qui belluarum similes homines reddit, atq́; ideo θηριότητα quandam Aristoteles vocat. Quantum vero libidines vagæ nocuerint omni tempore, & quo pacto propter illas non solum privati homines à DEO *puniti graviss. sed etiam ideo sæpenumero integra regna funditus eversa fuerint, tam sacræ quam profanæ historia plurimæ testantur.*

ERRA-

ERRATA TYPOGRAPHICA CENTVRIÆ SECVNDÆ EMBLEMATVM.

Emblem. I. lin. II. lege Elephas vincit *& lin. VII.* ἢ ἄρα γε. *Embl. IV. a fine. lege* ἀδοξογνησίαι. *Embl. XVI. v. XV. lege* ὀλίγον. *Embl. XLIV. lin. III. lege* Silvestri. *Embl. LXXII. lin. VII. a fin.* ὀδόντων. *& XCII. lin. X. a fin.* sat bene. *Embl. XCVII. lin. XII.* auferri.

SYMBOLORVM & EMBLEMATVM EX VOLATILIBVS ET INSECTIS DESVMTORVM CENTVRIA TERTIA COLLECTA

A

IOACHIMO CAMERARIO MEDICO NORIMBERG.

IN QVA MVLTÆ RARIORES PROPRIETATES AC HISTORIÆ ET SENTENTIÆ MEMORABILES EXPONVNTVR.

AN. SALVT. CIↃ. IↃ. XCVI:

ASPIRANTIBVS ZEPHYRIS

IN TERTIAM IOACH. CAMERARII, V. CL.

EMBLEMATVM ET SYMBOLORVM CENTVRIAM, AD LECTOREM.

HActenus in terris, Lector studiose, moratur
Auctor, & è sylvis symbola lecta dedit.
Nunc simul accrescunt vires, crescente libello
Artifici dum se librat in astra gradu
Exiguam pertæsus humum, stirpesq́; ferasq́;
Linquit, & ad volucrum facta notanda venit.
Hei mihi doctarum quanta hîc est copia rerum!
Hei mihi quàm multis symbola cara modis!
Cernite Romanas Aquilas, & bellica signa:
Cæsaris hoc nunc est, quod Iovis ante fuit.
Cernite uti radiis solaribus explicet alas,
Pignoraq́; in cœli vertice vera probet!
Principibus res digna viris, non illa movetur
Imbribus, insano nec cadit acta Noto.
Quod petit, insequitur per tot discrimina rerum,
Nec nisi jam voti compos abire solet.
Candor inest cygnis plumarum: candida doctos
Pectora & ingenii candida dona decent.
Explicat hîc varias ales Iunonia pennas,
Contrahit at, proprios si videt illa pedes.
Est avis ad terram quæ nullis volvitur Austris,
Semper habet cœli regna cupita sui.
Quin sequimur! cœlum maturè qui petit, ille
In terris cœlum dicit adire suum.

HELIAS PVTSCHIVS.

CVM *Aquila* οἰωνῶν βασιλεὺς, *regina auium Pindaro dicatur, & huic alitum, secundum Plinium, maximus honor, & max. vis insit, recte, ut opinor, huic centuriæ tertiæ ab ea exordium sumere licet. Eius genera sex recenset Aristoteles lib.* IX. *cap.* XXXII. *quorum hæc sunt nomina.* I. πύγαργος, *id est, albicilla, ab albicāte cauda, vel* νεβροφόνος, *id est, hinnularia.* II. μορφνὸς, *Nævia, vel* νηττοφόνος *anataria, vel* πλάγγος, *id est, planga vel clanga, Homero* περκνὸς. III. μελανάετος *fulva,* λαγωφόνος *leporaria.* IV. περκνόπτερος *ab alarum notis, aut* γυπαίετος, *à vulturis specie, item* ὀρειπέλαργος, *id est, Ciconia montana, degenerans ab aliis.* V. ἁλιαίετος, *marina aquila.* VI. γνήσιος ἀετὸς. *Vera germanaq; Aquila, quæ Aeliano videtur esse* χρυσάετος *sive stellaris. At paulo aliter Plinius lib.* X. *cap.* III. *hæc enumerat, de quibus hic disputandi locus non est. Constat autem tàm ex profanis quàm sacris litteris, Aquilam semper insigne fuisse alicuius Imperii, ut apparet quoq; ex cap.* XVII. *Prophetæ Ezechielis, quo in loco per eam regnum Babylonicum & Aegyptium designatur. Xenophon lib.* VII. *de Cyri disciplina & Q. Curtius lib.* III. *præcipuum signū exercitus Persici auream Aquilam fuisse scribit. Idemq; Romani longa serie ab Hetruscis acceptum observarunt, secundum Dionys. Halicar. lib.* III. *& Dionem lib.* XL. *Atque nunc etiam Imperatores Romani felici auspicio eam gestant. Extant quoq; antiqui aliquot nummi, in quibus aquila fulmini insidens addito oleæ ramo conspicitur, tam pacem quā bellum repræsentans. Quod symbolum ab invictiss. & nūquam satis laudato Imperatore* CAROLO V. *multo rectius fuit usurpatu cum inscriptione,* CVIQVE SVVM, *simul ita & potentiā, & clementiā suam declarante. Opt. verò Imp.* MAXIMILIANVS II. *idē cum græco dicto usurpavit,* ΕΝ ΚΑΙΡΩ ἙΚΑΤΕΡΟΝ, *id est, tempore opportuno utrumq;, eadem significatione.*

CVIQVE

CVIQVE SVVM.



Læva tenet fulmen, sed olivæ dextera ramum,
Vt pace & bello sim memor officii.

IN Traiani Imp. antiquo nummo exprimitur fœmina quædam, statura erecta, stola amicta, sceptrum una manu tenens, ad alterā globum ad eius pedes devolutum ostendens, quo significatur, universum mundum ab ipsa providētia Imperatoris, tanquam opt. matrefamilias, gubernari. Sed piiss. & laudatiss. Imperator MAXIMILIANVS *aquilam mundo insidentem potius alterius loco usurpare voluit, cum admodum pia inscriptione,* DOMINVS PROVIDEBIT, *ex historia immolandi Isaaci desumta, Gen. cap.* XXII. *Non enim de sua prudentia, ut Imperatores isti Ethnici jactitabant, multum gloriari, sed potius divinæ providentiæ, tanquā veræ & stabili, omnia tribuere voluit. Ac poterit lector luculentam huius symboli explicationem cognoscere ex oratione funebri summi viri D. Iohannis Cratonis à Crafftheim Archiatri Cæsarei, quæ publice extat. Respexit autem procul dubio Sacratiss. Imperator ad dictum Salomonis: Proverb.* XXI. *Cor regis in manu* DEI *est: &, Non est sapientia, non prudentia, non consilium contra* DOMINVM. *Sic in oratione de providentia, ex D. Basilii scriptis collecta per Simeonem Logothetam legitur:* οὐδὲν γὰρ ἀπρονόητον οὐδὲ ἠμελημένον παρὰ τῷ θεῷ, πάντα σκοπεύει ὁ ἀκοίμητος ὀφθαλμός, πᾶσι πάρεστι, σκορπίζων ἑκάστῳ τὴν σωτηρίαν, *id est, nihil non cognitum, nihil neglectum apud* DEUM, *omnia perspicit ipsius oculus nunquam dormiens, universis adest, singulis distribuens salutem. Præclare igitur dixit quispiam veterum, cujus nomen jam non succurrit (quanquam Ioan. Damascenus quoque hujus distinctionis mentionem faciat, lib.* II. *cap* XLVI. *aliique græci patres) providentiam esse actionem* DEI *vel generalem* κατ' οἰκονομίαν *cum caussis secundis, vel peculiarem, eamque* κατ' εὐδοκίαν ἢ κατὰ συγχώρησιν, *idque sine caussis secundis.*

DOMI-

II.

DOMINVS PRO-VIDEBIT.



Et latæ simul & tristis provisio sortis,
Inprimis Virtus principe digna viro est.

ARISTO-

III.

ARISTOTELES *lib.* IX. *de Histor. animal. cap.* XXXII. *Aquilæ, inquit, volant sublimes & perquam procul aspiciunt, quapropter homines solam avium omniũ Aquilam esse divinam perhibent. Hinc etiã Romani suorum Imperatorum* ἀποθέωσιν, *id est, in deorum numerũ posituram indicare volentes, Aquilam ex rogo evolantem in nummis expresserunt, de qua consecratione Herodianus lib.* IV. *cap.* VII. *prolixe agit. Aquilam etiam Aelianus lib.* I. *cap.* XII. *nominat* ὀρνίθων ὀξυωπέστερον, *quod ex avibus maxime habeat acres & acutos oculos: additq; idem autor in fine, quod Aquila non solum sibi ipsi, sed etiam hominum oculis utilis habeatur. Nam fel eius melle Attico exceptum, & hebescentibus illitum, visum acutißimum efficere aiunt. Libro verò* II. *cap.* XXVI. *inquit, Aquila sublime fertur, sursumq; in cœlesti loco volans, maximè procul ab alto æthere acutiß. inferiora videt. Vnde Horatius lib.* I. *serm. Satyr.* III.

—tam cernis acutum
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Sic in Iobo cap. XXXIX. *legimus: In longinquum prospiciunt oculi eius. Potest autem huius symboli (quod Invictiß. Imperat.* RVDOLPHO II. *rectiß. Bargaglius Senensis diligens & accuratus scriptor in hoc argumẽto Italicus dedicavit) explicatio ex Pindaro sumi, qui tũ alibi tũ potiß. in Næmeis ingenii promptitudinem & velocitatem mentis ab Aquilæ similitudine accepit. Huc pertinet Aristophanicum proverbiũ in Nubib.* αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι, *id est, Aquila in nubibus fies. Quemadmodum enim Aquila in nubibus aliis avibus universis sublimior simul ac perspicacior esse consuevit, ita quoq; Imperatores ac magni Principes sua tam potentia & autoritate, quam sapientia & vigilantia omnes alios superare ac anteire solent.*

III.

ET PROFVNDISSIMA QVÆQVE.



Sublimis volat, ima videt, regina volucrum.
Nonne vides, ſit ut hæc regis imago boni?

 ANTI-

ANTIQVA *admodum ac celebris familia Fregosia Genuensis, ex qua plures Duces istius Reipub. & alii clari viri prodierunt, in gentilitiis suis insignibus aquilam quoq; gestare solet, cuius occasione Galeacius Fregosius triremium Magni Ducis Florentini generalis Vicarius, sive, ut jam usitato nomine nuncupantur, locum tenens, Aquilam (referente hoc Hieronymo Ruscello) Symboli loco usurpavit, magno impetu contendentem suo volatu adversus montem, circa quem cœlum existit admodum turbidum, plenum pluviis, grandine, fulminibus & aliis sævis tempestatibus, contra quæ universa Aquila nihilominus illis omnibus spretis alacriter contendit, aciem oculorum ad Solem supra montem apparentem semper dirigens, atq; eo tandem per tot pericula pertingens. cui inventioni Hispanicum dictum adjunxit,* NI MATARMI, NI SPANTARMI, *id est, nec occidere me, nec terrere, scilicet, potest. Quo iste fortiss. heros indicare voluit, nullum periculum, nullam rem quantumlibet terribilem, nec ipsam deniq; mortem sibi extimescendam proposuisse, respectu mandati muneris, & propter res ab eo laude dignas suscipiendas. Quandoquidem in omnibus suis actionibus nihil aliud cogitet, nec ante oculos habeat, quam solidam virtutem & veram gloriam, ad quæ per multos labores & varias difficultates, tanquam ad montem altum & aditu difficilem (nam secundum Ovid.* IV. *Trist.*

Ardua per præceps gloria vadit iter)

animo intrepido & constanti aspiret, à quorum accessu quamvis multiplicia genera tempestatum, id est, fortunæ incursiones variæ & plurima alia discrimina illum retrahere & avertere conentur, se tamen ad solem, id est, veram rationem & mentis aciem oculos dirigere, & tandem superatis omnibus difficultatibus ad optatum finem pervenire.

PER TELA, PER IGNES.



Nec me prærupti montes, nec fulgura terrent,
Quo minus in summo vertice conspiciar.

AQVILAM *ſæpius à cornicibus fruſtra irritari atq; impune provocari Aelianus annotavit lib.* XV. *cap.* XXII. *unde proverbium quoq; extitit*, ἀετὸν κορώνη ἐρεσχελεῖ, *id est, Aquilam cornix provocat. Atq; idem de aliis quoq; avibus dici poteſt. Quemadmodum verò generoſa avis hoſce inſultus inanes & vanam ac maledicam petulantiam deridet, (quod etiam de moloßis importunos canicularum latratus contemnentibus dici ſolet) ita quoq; animus excelſus & fortis leviuſculorum & abjectorum hominum, qui neq; prodeſſe nec lædere quicquam poſſunt, conatus & inſultus ne dignatur quidem ulciſci, & minoris facit (ut in altero proverbio dicitur) quam Elephas culicem. Sapienter Plutarch. lib. Quomodo quis ab hoſtibus juvetur, ait, Silentium in aliorū conviciis eſſe egregium, Socraticum, aut potius Herculeum. ſiquidem Hercules,*

οὐδ᾽ ὅσσον μυίας συγερῶν ἐμπάζετο μύθων,

Non quantum muſcam, odioſa verba curabat.

Sic Demoſthenes à quodam conviciis laceßitus, dixit: Nolim tecum in hoc genus certaminis deſcendere, in quo qui vincitur, ipſo victore eſt melior: οὐ συγκαταβαίνω εἰς ἀγῶνα ἐν ᾧ ὁ ἡττώμενος τοῦ νικῶντός ἐστι κρείττων. *Nonnunquam tamen, ubi hæc malitia & inſignis conviciandi libido modum excedit, & ſuæ importunitatis curſum nimis effrenem proſequitur, tandem ſecundum Publ. Mimum,*

Furor fit læſa ſæpius patientia.

Aſcribitur autem hoc ſymbolum Alberto Comiti Habspurgenſi XVI. *qui Dives fuit cognomento dictus, cuius magnanimitatem, ſimul & bonitatem ac ſapientiam ſingularem Hiſtorici magnis laudibus ubiq; extollunt.*

V.

ERGO MOVEBOR?



Nunquam Aquila imbelles cornices celsa fatigat,
Nec generosum animum lingua maligna movet.

REGVLVM *Aristoteles, Plinius & alii nominant quoque Regem & Senatorem avium, eumque cum Aquila pugnare ferunt: ac esse hunc alium à passere Troglodyte, quem Aetius lib.* XI. *cap.* XV. *tanquam efficax remedium contra calculum tam renum quam vesicæ cōmendat, facile probari posset, si brevitas nostri instituti operis pateretur. Quamvis verò & à germanis nomina hæc confundantur, putant tamen rerum naturalium periti Regulum sive Trochilum esse* ein Königlin/ *passerem verò Troglodytem (pro quo quidam recentiores perperam Motacillam, sive græcis σεισοπυγίδα accipiunt)* ein Zaunschlüpferlein/ *vel* Höltzhänlin. *Notus autem est Apologus, Regulum cum Aquila de celeritate volandi, qua hæc alias aves antecellit, contendisse, ac instituto certamine, clanculum supra dorsum huius regulum consedisse, & ad præfinitum locum delatum subito inde evolasse, & ita victoriam obtinuisse: atque ideo aiunt ab eo tempore inter ipsos inimicitiam extare. Non aliter cum multi suo ingenio vel natura parum præstare possint, sæpenumero tamen adjumenta ab aliis sibi asciscunt, quibus facile emergere, & non raro ad majora ascendere queant. Idque si fieri concedatur absque injuria & detrimento ac supplantatione aliorum, non adeo est improbandum. Alioquin præceptum Plutarchi, in libello de gerenda Republ. expositum, cui etiā hæc fabula eleganter est inserta, hac in parte locum habebit. Sic enim ille inquit: Tales igitur viri sunt tenendi, iisque adhærendum (nimirum de quibus est maxima opinio virtutis & autoritatis) nec quomodo Aesopi regulus humeris aquilæ vectus subito evolavit, & sic antevertit; ita eorum suffuranda gloria, sed ab iis amice & cum benevolentia accipienda. Lucas Contilis ascribit:* NEC VSITATA NEC TENVI FEROR, *ex Horatio lib.* III. *oda* XX.

Non usitata nec tenui feror
Penna.——

VI.

NON VSITATA VEHOR.



Regulus en Aquilæ auxilio defertur in auras:
Sic quisquis docti nititur ingenio.

HORA-

HORAPOLLO *tradit Aegyptiacos pinxisse Aquilam gestantem lapidem, pro homine qui tuto urbem quampiam incolat. Nam scribunt eam, vel è mari vel terra sublatum lapidem in nidum suum referre, quo tutior ac firmior esse possit. Hunc verò plerique Aetiten esse putant, cuius meminit Plinius lib.* X. *cap.* III *quamvis cum gagate videatur confundere: cuius quatuor genera enumerat, lib.* XXXVI. *cap.* XXI. *Dioscorides quoque & Galenus eius faciunt mentionem. Oppianus verò in Ixeuticis ad partum accelerandum hunc Aquilam nido imponere scribit. Aelianus lib.* I. *cap.* XXXV. *existimat id fieri ut sit contra fascinationis injuriam quoddam amuletum. Georgius Agricola lib.* V. *de natura fossilium prolixe de eo tractat, & ostendit in Saxonia & Misnia quoque Aetiten reperiri, quamvis frequentior & præstantior ex Gargano monte afferatur. Sunt autem omnes cavi & lapide alio vel arena quasi prægnantes & inde sonitum edentes. Nec multum ab illis distat Geodes, quem Diosc. seorsim describit, terramque in se continet. Intelligi autem debet per nidum (ut Scipio Bargaglius interpretatur) lapide ingesto stabilitum, animus juvenilis bene institutus, cui nihil prius nec antiquius est, quam se summo studio munire contra omnes affectus effrenes & vehementiores affectuum impetus, contraque rerum caducarum vanas & quandoque perniciosas cupiditates, idque auxilio Timoris erga* DEVM, *& veræ rationis, tanquam lapidibus admodum firmis & stabilibus, quibus imperare nobismet ipsis & modum statuere immoderatæ libidini possimus. De quo præclaro regnandi modo Horatius lib.* II. *od.* II. *ita cecinit.*

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

IN

IN TEMPORE MVNIT.



Non bene firmum animum abripient vanißima rerum,
Quare hunc doctrina constabilito gravi.

AQVILA serpentem in ore tenens, ac in alto monte ex omni parte conspicuo sedens, ex quo imbres & tempestates horribiles imminentes undique respicit, pro symbolo fuit usurpata ab excellentiss. viro Andrea Canutio Medico Aulico sacratissimi Imperatoris MAXIMILIANI II. laudatissimæ memoriæ, quo innuere dubio procul voluit, se instar Aquilæ reginæ avium suis oculis perspicacibus, in omnes partes hujus mundi, unde aliquid adversi vel incommodi oriri posset, intentum, constituisse omnino vera ratione ac solerti prudentia omnia mala diligenter observare, & quasi è longinquo præcavere ac vitare, à quibus lædi forsitan posset, inprimis verò à se in tempore amovere omnes machinationes invidiæ plenas & obtrectationes maledicorum hominum, sibiq; de loco tutiore tempestive prospicere. Serpentem autem Aquila in ore detinet, non ad devorandum (quod alioquin fieri scribitur) sed ut admoneat, caute & circumspecte esse agendum, cum sciamus tam in sacris quam profanis litteris prudentiæ iconem esse serpentem. Sperat autem ipse quoq; autor hujus symboli, se in aliquo loco securo & à vulgi turba remoto placide meliora tempora esse expectaturum, & interea ocio honesto & literato operam daturum. Hinc Cicero quoq; in epistola quadam ad Brutum graviter paucis verbis monuit: Tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum. quam sententiam Phocylides uno versu nobis proposuit,

καιρῷ λατρεύειν, μήτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι.

Temporibus servire, nec Euro velle reflare.

DVM

VIII.

DVM DETONET IMBER.



Nubila si fuerint, sapienter comprime linguam;
Tunc loquere, illuxit si qua serena dies.

FESTVS ait Aquilam ab acute videndo dictam, vel ab acumine oculorum, ut Isidorus vult. Nam, inquit, contra radium solis fertur obtutum nō flectere, unde & pullos suos ungue suspensos radiis solis objicit, & quos viderit immobilē tenere aciē, ut dignos genere conservat, si quos verò flectere obtutum, quasi degeneres abjicit. Idem cōmemorat Aristrteles lib. IX. c. XXXIV. de historia Animal. & Aelianus lib. II. cap. XXVI. itemq; Oppianus & Scholiastes in Homerum λ. ϱ. & alii tradunt, & elegātiß. expreßit Claudian. in præf. in III. Consul. Honorii. Hinc factum existimant sacrarum litterarū interpretes, quod S. Iohanni Euangelistæ Aquila fuerit attributa, quæ sicuti intendit oculos immotos in Solem, ita hunc sanctum Scriptorem divinitatis Solem contemplando, aciem mentis ad cœlestia tantum direxisse constat. Est autem huius symboli hemistichium desumtum ex Lucano lib. IX. ubi integra similitudo exponitur.

> Vtq; Iovis volucer, calido dum protulit ovo
> Implumes natos, solis convertit ad ortus,
> Qui potuere pati radios, & lumine recto
> Sustinuere diem, cœli servantur in usus,
> Qui Phœbo cessere, jacent ——

Potest autē universaliter hoc intelligi de illis, qui suammet virtutem, & industriam conjungunt cum splendore nobilitatis ac opulentiæ, & ex illis perpetuis bonis, non his fluxis & instabilibus apud alios nomē præclarum & autoritatem singularē obtinent. nā secundum Boetium splendidum aliquē, si non suam habet, aliena claritudo non efficit. nec minus quoq; peculiariter de fide & constantia amicorū in reb. maxime adversis accipi recte solet. D. Chrysost. Homil. 49. in cap. XXII. Matthæi ad filios Dei accommodat, qui pleno corde verba justitiæ suscipiuat. Aliàs additur, MEI NON DEGENERANT. Vel: SIC CREDE. item: PROBATOS FOVET. aut: DEGENERES LVX ARGVIT.

SVSTI-

SVSTINVERE DIEM.



Vt sobolem ingenuam ad Solem Iovis æstimat ales,
Cernitur adversis rebus amica fides.

DE pugna aquilarum cum cervis Plinius lib. x. *cap.* III. *hæc habet. Multum pulverem volutata (Aquila) collectum, insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes. Qua icone indicatur, multo labore, animo constanti ac industria singulari opus esse ad magna facinora subeunda, & res difficiles ac arduas tã aggrediendas quam consequendas. Quod idem Pindarus præclare quoq; Olymp.* v. *cecinit.*

> αἰεὶ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπά-
> νατε μάρναται, πρὸς
> ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον, *id est,*

Semper autem circa virtutes labor sumtusq; pugnant, adversus opus periculo tectum. Ac Sophocles in Tragœdia Euryphile, quæ non extat, apud Stobæum ait:

> ἀνδρῶν γὰρ ἐσθλῶν στερνὸν οὐ μαλάσσεται,
> Pectus virorum fortium haud fit languidum.

Cujus rei exemplum memorabile legitur apud Pausaniam lib. VIII. *in Achaicis de Philopæmene, qui in prælio fortiss. pugnans, atq; hasta trajectus circa utrumque femur, in genua se dimisit, tantisper impediente telo progredi conatus, dum infringeretur hastile inter femora medium. Victis deinde hostibus, eo in castra reportato, ex altero femore spiculum, ex altero missilis fragmentum extractum est. Cujus viri ingentem animositatem, virtutem ac fortitudinem eximiam summopere admiratus Antigonus, omni studio in Macedoniam eum ad se allicere conatus est, ad quem tamen ille se conferre noluit. Atq; hic inter alias sententias hujus argumẽti præclaras, dictum Senecæ in epistola* XXII. *ad Lucilium videtur non habere postremum locum: Non vir fortis est & strenuus, qui perterritus laborem fugit, sed cui crescat animus in ipsa rerum difficultate, cũ turpe sit cedere oneri, luctariq; cum officio, quod semel accepisti. In Paradino ascriptũ legitur.* ARDVA DETVRBANS *vis animosa quatit.*

INSTANTI VICTORIA.



Aspicis ut torquet volucris Saturnia cervum,
Nempe docet, vigili cuncta labore dari.

AETON ἀπὸ τοῦ ἀΐσσειν, *id est, ab impetu volandi deducunt Etymologi, vel* παρὰ τὸ ἀεὶ ἔτυμον εἶναι, *id est, quod semper sit vera & genuina. Hanc nidificare in locis non planis, sed excelsis, & quidem præcipue in arduis saxis & præcipitibus, nonnunquam tamē quoq; in arboribus, Aristoteles scribit lib.* IX. *de Hist. animal. cap.* XXXII. *Dicitur autem Aquila paulatim quoq; suos pullos ad volandum assuefacere, atq; adeo provocare. Cuius etiam Deuter. cap.* XXXII. *in cantico suo Moses meminit,* DEI *bonitatem erga nos conferens cum Aquilarum* φιλοστοργίᾳ *erga pullos. Sicuti Aquila, inquit, excludit pullos suos & eosdem fovet calore vitali, & expandens pennas suas assumit eos & gestat ipsos super alas suas: ita* DOMINVS *solus duxit eum (Israëlem) & non erat cum eo Deus alienus. Sed similitudo hæc recte etiā de omnibus istis, qui juventutem ad virtutem & omnia laudabilia facta assuefacere student, & illos paulatim ad vitam meliorem, quasi attollere docent, accipi poterit, sicuti Horatius quoq; epist.* II. *lib. puerum instruit,*

——nunc adbibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer,
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.——

Et Aeneas ad Ascanium ult. Aeneid.

Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem.

Sic legimus apud Suidam de Apollonio, cuius rei etiam facit mentionem Philostratus in vitia ipsius; Quemadmodum Aquilarum pulli teneras adhuc pennas sortiti juxta parentes volitant, iisq; magistris ad volatum sese exercent, cum verò sese efferre possunt, parentes antevertunt: sic Apollonius Euxenum puer audiebat, eiq; auscultabat, sed anno decimosexto ad vitam Pythagoricam se contulit.

COELO VT SE PERMITTANT.



Vos virtutis iter gnatis monstrate parentes,
Ipsa Aquila ut pullos fida volare docet.

LVCAS *Contilus in Italicis suis symbolis sive impresis, de gruibus Taurum montem prætervolantibus, scribit eos propter Aquilarum metum, ne scilicet clangore suo illis prodantur, ora lapillis obturare, quod tamen veteres plærique de anseribus sylvestribus memoriæ prodiderunt. Sic enim Plutarchus in Commentario de solertia animalium. Similes sunt Cretensium apum, & anserum in Cilicia artes. Illæ enim ventosum aliquod circumvolaturæ promontorium, ne disjiciantur, seipsas exiguis lapillis in os sumtis quasi saburrant: hi quando Taurum trajiciunt, animalia alioqui vocalia & obstrepera, tum metu aquilarum in os justæ magnitudinis lapide sumto taciturnitatem sibi imperant, ut fallere in transitu eas possint. Atq; hoc copiosius quoq; Ammianus Marcellinus lib.* XVIII. *sed de gruibus exposuit, exponens Barbationem pedestris militiæ rectorem ob linguæ petulantiam tandem esse interfectum, quem ait ignorasse profecto notum Aristotelis sapiens dictum, qui Callisthenem sectatorem & propinquum suum ad Regem Alexandrum mittens, ei sæpe mandabat, ut quam rarissime & jucunda apud hominem loqueretur, vitæ potestatem & necis in acie linguæ portantem. & addit idem autor, Ne sit hoc mirum, homines profutura discernere nonnunquam & decentia, quorum mentes cognatas cœlestibus arbitramur; animalia carentia ratione salutem suam interdum alto tueri silentio solent, ut exemplum est hoc per quam notum, linquentes orientem grues ob calorem plagamq; petentes occiduam, cum montem penetrare cupiunt Taurum Aquilis abundantem, timentes fortissimas volucres, rostra lapillis occludūt, ne illis eliciat vel extrema necessitas clangorē, iisdemq; collibus agiliore volatu transcursis projiciunt calculos, & ita securi pergunt.* ἐστι καὶ τὸ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας, *silentii præmium periculo vacat, ut Chares dixit, eoq; respexit fortè Horatius, loco, ex quo nostra inscriptio desumpta est.* TVTA

TVTA SILEN-TIO MERCES.



Ne pereant clangore grues lapide ora ſaburrant,
Obſtrue ſic linguam garrule, ne pereas.

AQVILAM, *quæ sagittis de suismet pennis concinnatis, configitur, emblema fuisse Iuliani Imp. Apostatæ, Io. Bodinus scribit lib.* IV. *&* V. *de Rep. quo significare voluerit, commune esse ferè omnibus imperiis, ut ab iis, quibus nimiam & infinitã potentiam concesserunt, penitus tandem evertantur. Pertinet autem huc omnino ille apud Gabriam Aesopicus apologus:*

Βλέπει τὸ στῆθος αἰετὸς τρωθὲν πάλαι
Αλγῶν δὲ λοιπὸν ἦσο πολλὰ δακρύων.
Βλέπων δ' ὀϊστὸν εἶπεν ἐπτερωμένον,
Βαβαὶ, πτερόν με τὸν πτερωτὸν ὀλλύει. *id est:*
Quondam icta pectus aquila vulnus inspicit,
Multumque lacrimans, præ dolore constitit.
Pennatum ut autem spiculum cernit, Papæ,
Ait, ala me aligeram gravi exitio dedit.

Nota etiam est Ovidii exclamatio:

Hei patior telis vulnera facta meis!

Et P. Syri illud:

Bis interimitur, qui suis armis perit.

Videndum etiam Adag. Nostris ipsorum alis capimur: Et, Capra contra se cornua, cum similibus. Vsus autem est hoc symbolo quidam vir magnus, qui alios plane neglectos studiose promovere & ad magnas dignitates evehere conatus est, à quib. postea ingratissimo animo non solum contemtus, sed insuper quoque multis injuriis affectus, & tandem de suo gradu dejectus fuit. Sic apud Val. Maximum legitur de Cn. Popilio Lenate, quem rogatu M. Cœlii cum Cicero non minore cura quam eloquentia in judicio defendisset, tamen hic flagitiose ingratus homo, nec verbo nec re unquam à Cicerone læsus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad eum proscriptum persequendum & jugulandum mitteretur, quo facinore detestando perpetrato, caput ipsius Romam tanquam opima spolia retulit, quod antea pro illius capite tam præclare peroraverat.

XIII.

BIS PEREO.



Ipsa suis pennis aquila interit icta: refertur
Scilicet hæc hodie gratia pro meritis.

SYMBOLVM *fuit Ioannis Baptistæ Rasarii (viri doctiss. & nostro seculo celeberrimi, sicuti ipsius scripta abunde testantur) Aquila nigra supra nubes volare contendens, quod Lucas Contilis scriptor Italicus explicat, cujus verba in hunc modũ convertere in linguam latinam volui. Est opinio græcorũ quorundam autorum, quod species quædam Aquilæ nigræ sit, quæ quando timet ne quid damni illi inferatur, neve per insidias capiatur, ad nubes usq; & ulterius, evitandi periculi caussa suo volatu ascendere conetur, neq; cesset donec se in tuto fore existimet. Verisimilius tamen est, Aquilam tanquam reginam aviũ ista proprietate admiratione digna esse præditam, quod ad Solem fixis oculis propter visus acumen, & absolutam huius sensus perfectionem sese convertens, facile illum eximium splendorem ferre queat. Alii existimant, Aquilam beneficio istius luminis incomparabilis non solum vitæ longitudinem sibi conquirere, sed simul etiam pennas & vires renovare ac instaurare: quare aiunt, tempore potissimum autumnali, quando per plures dies cælum nubilum & obscurum nobis Solis conspectum adimit, aquilam ad superiora loca se conferre, intentisq; oculis solares radios intueri, ac illis foveri ac sustentari. Hinc clariss. iste vir ostendere voluit, se animo constanti & obfirmato, unicum hoc semper desiderasse ac expetiisse, atq; omnes eò suas cogitationes direxisse, ut nimirũ superatis omnibus rebus adversis, & quocunq; discrimine contemto, tandem ad certum portum & asylũ, ac veluti ad verum lumen ac splendorem perpetuum, bonarum scilicet artium ac laudabilium scientiarum cognitionem ac possessionem perveniret, quarum ope & auxilio tuto & sine impedimento acquiescere, ac sese quasi sua virtute involvere posset.*

NON

XIV.

NON CAPTV FACILIS.



Nubibus, ecce, Iovis volat altior omnibus ales:
Tu quoq; ad alta animum, si sapis, astra leva.

DIPSAS *ex genere viperarum serpens est, qui secundum Diosc. lib.* VI. *cap.* L. *vocatur quoq; πρηστὴρ & καύσων, propter continuam sitim, qua illos, quos morsu læsit, afficere ac veluti urere soleat. Idẽ Galen. lib.* IX. *de Simpl. Medicam. facultatib. tradit, easq; in Libya non Italia reperiri ait. Aetius vero lib.* XIII. *prolixius insuper describit, ac dicit esse magnitudine cubitali, ex crassa in tenuem desinentem, cum notis fulvis & nigris per totum corpus, capite autem angustiore. Sitis vero, secundum eũdem, est intolerabilis ex ipsorum veneno, ut si etiam multus potus exhibeatur, ea non sedetur, nec tamen per urinas vel vomitum aut sudorem quicquam excernatur. Duobus igitur pereunt modis, aut ob multam sitim exusti, si potum non sumant, aut ob eiusdem repletionem nimiam venter rumpitur, idq; infra circa inguina, vel imum ventrem, ut in aqua intercute sæpe evenit. Eadem Aelianus lib.* VI. *cap.* LI. *& Lucianus in dissertatiuncula, περὶ τῶν διψάδων, copiose describunt. Notatur autem hoc loco per Aquilam tanquam invictam avem à dipsade in pectore ictam (quemadmodum Hieronymus Ruscellus exponit in Italicis Impresis) vis & ardor nimius amoris, qui secundum Plautum in Mercatore, in pectore & in corde facit incendium, & ex conspectu & consuetudine mulieris adamatæ, semper majores vires, & desiderium ardentius sumere consuevit. Cui tam venenatæ bestiæ, & rabioso animali, omni ratione & cura statim in principio obviam eundum, ac totis viribus resistendum est, illiq; priusquam vulnus immedicabile infligat, præsentibus ac efficacibus remediis sobrietatis occurrendum, & animus vera ratione, & salutarib. præceptis instructus ad meliora convertẽdus. Quod Ovidius quoq;* I. *lib. de remedio amoris recte monet,*

Opprime dum nova sunt subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora dat vires

SEMPER

XV.

SEMPER AR-DENTIVS.



Reginam volucrum dipsas necat, ardor amoris
Sic animum accendens te dabit exitio.

ARISTOTELES *lib.* IX. *cap.* III. *refert, Aquilis senescentibus rostrum superius accrescere & semper incurvari, ut tandem fame pereant. Quod Plinius quoq; lib.* X. *cap.* I. *confirmat, unde (ut in Horapolline lib.* II. *cap.* XCVI. *habetur) veteres senem fame pereuntem exprimere volentes, pinxerunt aquilam cum adunco rostro. Sed D. Epiphanius in physiologo addit, oculis jam caligantibus & rostro nimis incurvato, aquilam in sublime sese attollentem ad altam rupem conferre, & ibidem rostrum allidere, ac deniq; frigidis aquis immergere, quo facto se postea solaribus radiis exponere, & sic quasi rejuvenescere. Quod idem D. Augustinus quoque exponit in explicatione dicti ad Psalmum* CIII. *Renovabitur ut Aquilæ juventus tua. D. Hieronymus tamen & alii in Psalmi hujus expositione, renovationem hanc tantum de oculis & pennis ipsius intelligendam esse perhibent. Cum quo etiā dictum Isaiæ, cap.* XL. *convenire videtur, ubi ait, Sustinentes* DOMINUM *mutabunt vires, & renascētur eis pennæ in modum Aquilarum. Quod etiam aquilæ cum accipitre, ut postea audiemus, est commune. Sed quocunq; modo accipiatur, potissimum quædam ex Epiphanio, quæ hujus symboli piam interpretationem complectuntur, ascribenda duximus. Ait enim, si quis multitudine criminum fuerit oppressus, in altum debet ascendere, id est, in propriam conscientiam, & ad petram, hoc est, fidem orthodoxam se projicere, & deflere peccatorum multitudinem perpetuis aquis, id est, lachrymis ea abstergere, denique solis radiis incalescere, id est, in cœtu fidelium & in Spiritu sancto ad calorem pœnitentiæ properare, squammas, peccata nimirum, abjicere. Statim etiam renovabitur ut aquilæ juventus tua, & justus vocaberis apud* DEUM. *Hæc ille. Clemens etiam Alexandr. docet, quomodo debeamus* ἀνανεάζειν *& rejuvenescere.* III. *Pædag.* III.

VE-

XVI.

VETVSTATE RELICTA.



Inveterata tuæ jam tandem crimina culpæ
Exue, si rediet læta juventa tibi.

STRVTHIOCAMELI, *vel secundum græcã derivationem, & quorundam eruditorum sententiam Struthocameli, appellatio apud veteres latinos non fuit usitata, legitur tamen apud Plinium. Festus autem, Ausonius & alii passerem marinum nominant. Aristoteles* στρουθὸν λιβυκὸν καὶ μέγαν. *Herodotus lib.* IV. κατάγαιον στρουθὸν *vocat, non quod subterraneus sit, sed quia à terra non attollitur in aerem, unde Luciano quoque* χαμαιπετὴς *dicitur. Aristoteles lib.* IV. *de part. Animal. cap. ult. Struthio, inquit, etiam Africus eodem modo partim avem, partim quadrupedem refert, quippe qui ut non quadrupes pennas habet, ut non avis, sublimis non volat. Sed Plinius lib.* X. *addit, pennas ei ad hoc datas, ut currentem adjuvent. Idem Aelianus (quemadmodum etiam Diodorus Siculus lib.* III.*) scribit lib.* II. *cap.* XXVII. *his verbis: At celerrime duabus alis explicatis graditur, quas ventus quasi vela implens propellit. Iovius hoc symbolum pro magno illo bellico Duce Marchione Vastio, se excogitasse perhibet, cum illi indignabundo à pontifice Clemente* VII. *Antonius de Leva in quibusdam dignitatibus militaribus præferretur. Innuebat autem per id, se nihilo tamen minus in suo munere, quamvis non adeo sublimi, ita progressurum, ut merito alios antecelluisse videretur: quod profecto illum plenissimè præstitisse plures historiæ de illo conscriptæ abunde testantur. Paradinus addit,* NIL PENNA, SED VSVS: *atque explicationem aliam affert ex Gregorio Magno: qui ait, Sicuti hæc avis plumarum ostentatione volatum præclarum videtur conari expedire, nec tamen unquam è solo levatur, sic hypocritis est proprium, ostendere quidem splendidam foris sanctimoniam, præter simulationem tamen, si diligenter observentur, nihil solidi, sed ficta & humi nitentia omnia apparent.*

CVRSV PRÆTER-VEHOR OMNES.



Quantumvis humilis, cursu tamen anteit omnes
Struthio: Sic virtus quolibet alta loco est.

HORATIVS *Epod.* II. *Struthocamelum vocat Afram avem, quia in desertis Africæ plurimi reperiantur. Romani in suis nummis Arabiam per eam notarunt, ut apparet ex nummo Trajani æneo, cum inscriptione,* ARABIA ADQVISITA. *De quo Dion in hujus Imperatoris vita plura. Volunt autem nonnulli, inter quos etiam est Cælius Rhodiginus lib.* XX. *cap.* V. *locis fervidis ova in arena fovere, & radiis suis halituq́ tandem vivificare. Ac in Iobo cap.* XXXIX. *legitur. Quando dereliquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? Isidorus tamen lib.* XII. *Originum scribit ova negligenter fovere, quæ projecta fotu pulveris animentur. Observatione quoq; dignum videtur, quod Aelianus lib.* IX. *de Animal. cap.* LVIII. *tradit, nimirum, ex tribus minimis animalia maxima generari, Crocodilū inter aquatilia, Struthiocamelum ex avibus, & Elephantum ex quadrupedibus. Est autem & hujus Symboli autor Iovius, in gratiam Petri Navarei celebris admodum* CAROLI V. *Polemarchi excogitati, cum ille inventor esset peculiarium quarūdam machinarum antea non cognitarum, quas singulari industria, & inaudita ingenii dexteritate ad expugnanda atq; evertenda etiam munitissima propugnacula primus in usum protulisset. Quod pariter aliis quoq; rari alicujus & ingeniosi operis inventoribus attribui poterit. Quidam ascripserunt,* SIC DIVA LVX MIHI. *Vel etiam brevius,* LVX VITAM *scilicet præbet. Quod etsi ad amores referri solet, multo tamen rectius & melius dici debet de hominibus piis & divinitus illuminatis, qui vitam omniaq́ bona ac sibi salutaria à cœlestibus radiis, quod est* ἀγαθοῖς φῶς λαμπρότατον, *ut quidam veterum Theologorum dixit, unice expetunt, & studiose conquirunt.*

DIVERSA AB ALIIS VIRTVTE VALEMVS.



Passer ut ova fovet flatu vegetante marinus:
Sic animat mentes gratia dia pias.

EST inter alia hæc quoq; mira Struthocameli proprietas, qua (ut testatur Plinius) sine delectu concoquit devorata: & Alexander Aphrod. in præfat. problemat. στρουθοκάμηλον σίδηρον πέττειν ἰδιότητι τινι perhibet: itemq; Aelianus hunc lapides concoquere diu in omaso prope ventriculum asservatos ait. Sed Albertus asserit, à se ferrum plurib. huius generis avibus objectum fuisse, quod tamen illi devorare noluerint, ossa vero magna & lapides avide comedisse. Convenit autem optime symbolum viris fortibus, ad duriss. ac adversiss. quæq; sua virtute superanda paratis. Quare Valerius Max. lib. III. recte ait, Aequaliter se in adversis gerere, quid aliud est, quam sævientem fortunam in adjutorium sui pudore victam convertere? Quod si insuper hoc ad fortitudinem & animi constantiam, quam pii & vera religione imbuti in rebus adversis & omnibus periculis evincendis usurpare debent, transferre voluerimus, latissimus campus tot martyrum sanctorum nobis sese obtulerit, de quibus aliorum scripta & exempla sunt in medio. Quod etiam B. Basilius in ὁμιλίᾳ ῥηθείσῃ ἐν αὐχμῷ καὶ λιμῷ præclare probat hisce verbis: κυβερνήτην μὲν γὰρ ὁ χειμὼν, καὶ τὸν ἀθλητὴν τὸ στάδιον, τὸν στράτηγον παράταξις, τὸν μεγαλόψυχον ἡ συμφορὰ, τὸν χριστιανὸν ὁ πειρασμὸς δοκιμάζει καὶ βασανίζει. καὶ αἱ λῦπαι τὴν ψυχὴν ὡς τὸ πῦρ τὸν χρυσὸν ἀπελέγχουσι, id est, Gubernatorem quidem tempestas, & athletam stadium, imperatorem acies, magnanimum calamitas: at Christianum tentatio probat & explorat: atq; ægritudines animam ut ignis aurum arguunt. A quibus non abludunt illa Sidon. Apollinaris in Epist. Medicus in desperatione, gubernator in tempestate cognoscitur. Horum omniũ famam præcedentia pericula extollunt: quæ profecto delitescit, nisi ubi probetur, invenerit. Posset etiam ascribi, DVRA PLACENT FORTIBVS.

SPIRI-

XIX.

SPIRITVS DVRISSIMA COQVIT.



Magno animo fortis perferre pericula suevit,
Vllo nec facile frangitur ille metu.

PAVO, *vel secundum Gellium Pavus, à sono vocis, ut opinatur Isidorus, sic dictus, græcis est ταὼς, vel ταὼν, ἀπὸ τῆς τάσεως τῶν πτερῶν (quemadmodũ placet Athenæo) ab extensione pennarum; Quas instar gemmarum vel oculorum (unde Argum, qui secundum Plautum totus oculeus fuit, in hanc avem transmutatum fingunt Poëtæ, ut apparet ex Ovidio Metam.* I. *) variis coloribus adversus solem expandit, idq; potissimũ quando laudatur, quare Aristoteles vocat* φιλόκαλον, *id est, ornatus & elegantiæ studiosum. Aelianus elegantem ejus formam accurate describit, dicitq; hanc avem à barbaris ad græcos fuisse importatam initio tam raram, ut Athenis sit pretio spectata, & ex illo spectaculo quæstus factus: atq; Alexandrum Magnum ejusmodi aves apud Indos cõspicientẽ, earum admiratione affectum, in omnes, qui illas occiderent, gravẽ pœnam instituisse. Vnde Martialis,*

Miraris quoties gemmatas explicat alas,
Et potes hunc sævo tradere dure coco?

Notandum quoq; ejus carnem, quod D. Augustinus quoq; lib. XXI. *de civitate* DEI, *cap.* III. *& Isidorus lib.* XII. *affirmant, non putrescere. Quemadmodum itaq; pavo gaudet sua pulchritudine, & inprimis adversus Solem de hoc innato ornatu expãsis alis gloriatur, ita quoq; virtus ipsa propria laude digna, & per se pulcherrima æstimari debet. nam secundum Ovidium lib.* II. *de Ponto. Eleg.* III.

per seque petenda est
Externis virtus incomitata bonis.

Habetur autem integer hujus symboli versus apud Silium, lib. XIII. Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

Hieronymus Ruscellus aliud dictum Gallicum usurpatum fuisse ad hanc picturam ab Arone Cibo Genuensi perhibet, nimirum, LOYAVLTE PASSE TOVT: *Fidelitas omnibus antecellit. Nã ut pavo cunctam suam pulchritudinem in seipso ostendit sine omni fuco & ascititio ornatu, ita animus generosus & fidelis universum studium, in suo proprio candore & probitate collocat.*

SIBIMET PVLCHERRIMA MERCES.



Pulchra suis veluti est volucris Iunonia pennis:
Sic virtus proprio lumine clara nitet.

IVNONIS *avem dici pavonem notum eſt, & inde Ovidius lib.* II. *Metamorph. currum illius à pavonibus trahi fingit.*

habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus æthera pictis.

Hinc in antiquis nummis conſecrationem Auguſtarum pavone indicari notum eſt, idq; factũ eſt tam propter pulchritudinem quàm fœcũditatem hujus alitis. Ariſtoteles lib. VI. *de hiſt. Animal. cap.* IX. *hæc refert. Parit max. pavo à trimatu, & colores pennarum varios recipit, excludit diebus tricenis aut nonnihil tardius. Semel tantummodo in anno parit ova duodecim aut paulo pauciora, nec continuis diebus, ſed binis ternisq; interpoſitis. Primiparæ octona maxime edunt. Columella lib.* VIII: *ter anno ferè partus edere, ac quæ foveat ova, totum tempus fœcũditatis aut excludendis aut etiam educandis pullis conſumere. Quapropter vere icon debet eſſe fœminæ pudicæ & fœcundæ, quæ tam propter πολυτεκνίαν honeſtam, quam felicem εὐτεκνίαν merito commendatur. Cujus utriusq; rei Ariſtoteles* I. *Rhetoric. meminit, ubi ait: Si ergo ea eſt felicitatis natura, neceſſe eſt eius partes intelligi, præclarum genus, amicitias tum multorum tũ bonorũ, divitias, ſobolem & copioſam & probam, ſenectutem vegetam. Multo autem adhuc præclarior eſt ſententia D. Auguſtini in libro de viduitatis bono. Non ideo, inquit, laudanda es, quia filios habes, ſed quia pie illos nutrire & educare ſtudes. Vt enim naſcerentur fœcunditatis, ut vivant felicitatis eſt, ut autem pie inſtituantur, voluntatis eſt & poteſtatis. In illis homines tibi gratulantur, in hoc imitantur. Hæc ille. Quantæ autem fuerint immunitates & privilegia eorum, qui in utroque genere πολυτεκνίας & εὐτεκνίας excelluerunt præſertim apud Romanos, teſtantur paſſim Iuriſconſultorum libri.*

XXI.

CVM PVDORE LÆTA FOECVNDITAS.



Me beat & formæ & numerosæ copia prolis,
Vt sim matronis dulcis imago bonis.

OLOREM *vult Isidorus lib.* XII. *Originum sit nũcupatũ, quod totus sit plumis albis præditus, græca derivatione, cum ὅλος totum significet. Exprimit autem hæc avis ob suum candidum colorem apud poëtas & alios (quod & Pierius testatur) animi cãdorem & simplicem integritatem. Eamq; ob caussam hoc symbolum familiare habuit Ludovicus de Aquino, quo ostendere voluit, eundem animi candorem & fidem, quam majores ipsius semper erga Reges suos constanter observassent, se quoq; toto suæ vitæ cursu religiose retenturum esse. Non minus autem spectat ad omnes viros egregios, placidis & apertis erga cunctos moribus præditos, quive, quantum honeste possunt, quævis in optimam partem interpretari solent. Commemorat autem Pierius Valerianus in Hieroglyphicis ejusmodi candidorum virorum suis temporibus extitisse tria exempla maxime memorabilia. Iovianum nimirum Pontanum, nobilitatis Neapolitanæ præcipuum, quem testantur ingenia quævis bona & præclara singulari animi promtitudine fovisse ac promovisse. Alterum nominat M. Antonium Sabellicum, ipsius Pierii præceptorem, quem affirmat ne adversarios quidem apertos voluisse lacessere, sed potius omnes alba, ut dicitur, linea notasse. Tertius Romæ fuit Pomponius Lætus, nomine, re & animo erga omnes hilaris, facilis & placidus, tantum suis studiis sine injuria, immo cũ aliorum multorum utilitate, intentus. Vtinã nostra quoq; ætas talia cãdidissima pectora, & cygnos unius coloris plurimos proferret; minus profecto esset ubiq; locorum & gentium cõtentionum & rixarum perniciosissimarum. Sed hæc optare quidem licet, sperare vero vix conceditur, quia*

Candor in hoc ævo res intermortua pænè est.

XXII.
VNIVS COLORIS.



Salvete ingenii divum unica cura poëtæ,
Pectora ſalvete ô candidiora nive.

De

DE *Cygnis aliquid dictum est quoque in priore centuria, ubi exposuimus veterum de cantu ipsorũ ante mortem dissentientes opiniones. major tamen eorũ numerus esse videtur, qui hunc musicũ concentum illis attribuant, tam ex sacris quàm profanis autoribus. Sic Aristoteles lib.* IX. *de hist. Animal. cap.* XII. *expreßè scribit: Canere soliti sunt, ac præcipue jam jam morituri. Volant enim in pelagus longius, & jam quidam in mari Africo navigarunt, & multos canentes voce flebili, & mori nonnullos conspexere. Cũ quo consentit Ovidius, ubi ait:*

Carmina jam moriens canit exequialia Cygnus.

Et Horapollo lib. II. *cap.* XXXIX. *scribit: senẽ musicum volentes Aegyptii commonstrare Cygnum pingunt, quod senescens* ἡδύπατον μέλος, *id est, suavißimum concentum edat. D. Nazianzenus etiam oratione de Theologia* II. *& in carmine ad Nemesium hac similitudine utitur, sicuti quoque D. Chrysostomus in comment. ad Epistolam S. Pauli Philippensibus inscriptam* ὠδοφωνίαν *hanc illis tribuit. Faciunt itidem hujus rei mentionem Plato in Phædone. Cicero* I. *Tusc. quæst. Isidor. lib.* XII. *& alii plures. Et proverbium est notum:* Κύκνειον ἆσμα, *Cycnæa cantio. Dubitant contra de hoc cantu, Plinius lib.* X. *cap.* XXIX. *& Aelianus variæ Hist. lib.* I. *cap.* XIV. *quamvis in lib.* V. *de Animal. & lib.* X. *Aristotelis locum confirmet. Usus est autẽ hoc symbolo vir quidã magni nominis, qui mundi hujus vanitatibus valedicens, totum se tradidit divinis meditationibus & sacris rebus, nihil aliud cogitans quam de felici exitu ex hac vita, atque ideo Cygnũ sepulchro imposuit. Alii generalius viris doctis hoc tribuunt, qui ante obitum nihil aliud agunt, neque meditantur, quam quæ posteritati, tanquam Cygneæ cantiones, plurimũ utilitatis afferre poßint. Legitur etiam adjectum,* SUAVIUS UT CANAT.

XXIII.

SIBI CANIT ET ORBI.



Ipſa ſuam celebrat ſibi mens bene conſcia mortem,
Vt ſolet herbiferum Cygnus ad Eridanum.

PHILOSTRATVS *lib. I. Iconum de Phaëthōte (quod etiam Aelianus lib. I. de Animal. notavit) de Cygnis ait, leni atq; in itinere congruo ad cantū utuntur Favonio. Et D. Nazianzenus in eleganti illa epistola ad Celeusium præsidem, improbans loquacitatem, & contra commendans taciturnitatem, hæc habet: Sed nos quorum gratia quispiam vel in solitudinem concesserit, ut musicam audiat, si quando Zephyro spirāti alas nostras permiserimus, jucundum quid & concinnum modulamur. Præfert autem eo in loco Cygnorum suavem quamvis rarum cantum hirundinum intempestivæ garrulitati, ac introducit Cygnos eo, ut diximus, modo hirundinibus respondentes. Sunt qui velint ventis istis Favoniis spirantibus Cygnos etiam facilius cōcipere, quod in medio relinquimus. Est autem hæc similitudo admodum conveniens viris doctis & litteratis, atq; inprimis poetis, quibus ad sua studia prosequenda & excolenda, & doctrinæ præclara monumenta elaboranda, opus est Mæcenatum favore, & auxilio, quibus ad omnia reddantur alacriores, secūdum versum Martialis,*

Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones,

Ac Senecam in Hippolyto,

Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.

Extat quoq; hujus argumenti Petri Costalii Galli haud indoctum carnem,

Non canit assueta Cygnus vocalis in unda,
Ni Zephyri spiret mollior aura sibi &c.

Quare alibi additur: ZEPHYRIS ASPIRANTIBVS. *Quidam à contrario sensu ascribunt,* ABEST CVR AVRA PARATIS? *quibus scilicet ad studia omnia subsidia sunt denegata.*

ASPIRET MOLLIOR AVRA.



Dulcisonum mollis Zephyrus demulcet olorem:
Et vatum extimulat pectora dulcis honos.

KΥ'ΚΝΟΥ *græcum vocabulum latini quoque retinuerunt,* ἀπὸ τοῦ κυκᾶν τὴν ἰλὺν, *id est, quod cœnũ ſcrutari ac turbare propter cibum ſoleat, ut vult Varinus. Eſtq; fabula apud Ovid. lib.* II. *Metamorph. de Cygno nota, quod libenter verſetur in locis paluſtribus, ut evitet fulmina, quæ plurimum metuit. Nã fingunt poëtæ, regem Liguriæ filium Stheneli Phaethonti materno genere prox. in Cygnum mutatum. Pauſanias in Atticis Cygnum Ligurum regem Muſicæ laude clarum poſt mortem ab Apolline in ſui nominis avem transformatum ſcribit. Sic Laurum quoq;, ſub qua hic Cygnus ſecuritatem quærit, immunem eſſe à fulmine, & hoc quaſi privilegio à Iove donatam, vetuſtas exiſtimavit, de quo plura in prima Centuria diſſeruimus. Intelligitur autem ſub Cygni imagine integritas, modeſtia, candor & animi bonitas, quæ univerſa protectione & umbra ſolius virtutis tutum præſtare, vitamq; ab omni labe integram conſervare poſſunt. Quemadmodum enim laurus etiam in horridiſsima hyeme ſua folia virentia retinet, ita quoque virtus ſemper viget floretq; etiam in rebus aſperis & adverſis, ſuiq; ſectatores quovis tempore egregie tuetur & conſervat. Cum autẽ Ethnici ſcriptores tantopere virtutem commendent tantiq; faciant, quid nobis Chriſtianis de vera pietate, cui omnes virtutes merito famulantur, ſentiendum dicendumq; erit? Quare S. Paulus quoq;* I. *ad Timoth.* IV. *recte nos admonet, ubi inquit:* ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος· ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν, ἐπαγγελίας ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης. *Quod Plato quoq; quaſi per transennam vidit in Epinomide. Nemo ſane nobis unquam perſuadeat, majorem eſſe virtutem generi humano, quam pietatem. Quibuscum utiliter conferantur verſus Lucilii, quos refert Lactantius lib.* VI. *c.* V.

XXV.

NIL FVLGVRA TERRENT.



Fulgura non metuo, pellunt ea germina lauri;
Fortunæ inſultus deſpicit integritas.

XXVI.

ARISTOTELES *lib.* IX. *cap.* XII. οἱ κύκνοι, *inquit*, εἰσὶ δ᾽ εὐβίοτοι, καὶ δ᾽ εὐήθεις, καὶ δ᾽ εὔτεκνοι, καὶ δ᾽ εὔγηροι, καὶ τὸν ἀετὸν ἐὰν ἄρξηται, ἀμυνόμενοι νικῶσιν, αὐτοὶ δ᾽ οὐκ ἄρχουσι μάχης. *Quæ ita vertit Gaza: Nec probitate victus, morum, prolis, & senectutis vacant; Aquilam, si pugnam inceperit, repugnantes vincũt; ipsi autem nunquam nisi provocati inferunt pugnam. Quod idem quoq; Oppianus, Plinius, Aelianus & alii tradunt. Exprimitur autem hac similitudine is, qui sine justa caussa neminem offendere, aut cum ullo contendere cupit, quive adversarios animo magno contemnit, attamen eosdem prudens quoq; & cordatus non plane negligat, ac nimium provocatus ac lacessitus quoq; de sua defensione cogitet. Quare Aristoteles quoque* III. *Ethic. Nicomach. fortitudinem tradit esse quoddam mediũ inter metum & confidentiam. Quæ copiosius explicat Seneca in quadam Epistola ad Lucilium, his verbis: Fortitudo non est inconsulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitus, sed est scientia distinguendi quid sit malum & quid non sit. Atq; hæc quidem, ut* ἠθικῶς *dicta, nõ sunt improbãda, cum defensio justa jure divino ac humano sit concessa. Sed in schola veræ pietatis Christianæ, quæ etiam inimicis benefacere jubet, adhuc multo meliora præcepta traduntur. Magna enim est virtus (inquit Isidorus) si non lædis à quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas. Eodemq; sensu Lactantius lib.* VI. *cap.* XVIII. *reprehendit Ciceronem, quod lib.* I. *offic. dicens, eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit, nemini noceat, nisi lacessitus injuria, simplicem veramq; sententiam duorum verborum additione (nimirum, lacessitus injuria) corruperit.*

NEC SPERNO, NEC METVO.



Nec pugnam occipias, sed te oppugnantibus offer,
Sic hostis poteris victor abire tui.

GRVS *à ſono dicta putatur, græcis* γέρανος, *quod generis epicœni eſt, ſicuti & latina vox: videtur autem germanica appellatio à græca derivari. De gruum vero excubiis & vigilãtia Ariſtoteles lib.* IX. *de hiſt. Animal. cap.* X. *Plinius lib.* X. *cap.* XXIII. *Aelianus lib.* III. *cap.* XIII. *Plutarch. de ſolertia animal. Baſilius M. homil.* VIII. *hexaem. Horapollo lib.* II. *cap.* XCIV. *& plures alii eadem prorſus tradunt, quæ omnia Iſidorus lib.* XII. *Orig. quaſi in epitomen contrahens ita expreſſit: Nocte autem excubias dividunt, & ordinem vigiliarum per vices faciunt, tenentes lapillos ſuſpenſis digitis, quibus ſomnos arceant; hoc quod cavendum erat, clamor indicat. Quæ vera eſt imago hominis induſtrii & diligenter ab hoſtium inſidiis ſibi caventis, ſecundum Horapollinem. Hinc Alexander Magnus (ut refert Ammianus Marcellin. lib.* XVI.*) vigilandi exemplũ ſumſiſſe videtur, cum fortunam tàm ſuam quàm ſuorum non temere aliis in exercitu crederet. Dicitur enim ænea cõcha pelvi ſuppoſita, brachio extra cubile protento, pilam argenteam in manu tenuiſſe, ut cum nervorum rigorem ſopor laxaſſet infuſus, geſtaminis lapſi tinnitus abrumperet ſomnum. Quod alii Ariſtoteli attribuunt. At contra Thraſybulus Athenas à jugo triginta tyrannorum liberans, noctu ſuis omnibus nimis ſecure ſtertentibus, irruptione hoſtili in domum facta fuit oppreſſus. Quare Plato* V. *legum præclare hoc etiam ſubjicit. Vniverſi enim homines cujuscunq; actionis participes, quandoquidem ſibi ipſis & actionibus animum advertant, omnia pulchre & bene conficiunt, non autem attendentibus aut vecordibus contraria eveniunt. Cum quo Plautina ſententia in Rudente convenit,*

vigilare decet hominem
Qui vult ſua tempori conficere officia,
Nam qui dormiunt libenter, ſine lucro & cum malo quieſcũt.

Alibi aſcriptum legitur, NVNQVAM DECIDET. NE

XXVII.

NE IMPROVISO.



Excubias vigilanter agas, tibi ne irruat hostis,
Ceu vigil exemplo te monet ordo gruum.

DE gruum volatu, Cicero lib. II. de natura deor. ex Aristotele (qui lib. IX. Hist. Animal. illas ab ultimis Scytharum campis & Troglodytica regione advenire, memoriæ prodidit) eleganter hæc exponit. Grues, cum loca calidiora petentes maria trãsmittant, trianguli formam efficiunt, ejus autem summo angulo aër ab iis adversus pellitur, deinde sensim ab utroq; latere tanquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem anguli, quam efficiunt grues, ea tanquam è puppi ventis adjuvatur, eæq; in tergo prævolantium colla & capita reponunt. Quod quia ipse dux facere non potest, nam non habet ubi nitatur, revolat ut ipse quoq; acquiescat. In ejus locum succedit una ex iis quæ acquieverunt. eaq; vicissitudo in omni cursu conservatur. Hæc ille. Atq; ex eo congruere, id est, convenire invicem, à gruibus dictum, quæ non se separant, sive cum volant, sive cum pascuntur, ut Festus habet. Sed Aelianus insuper lib. II. cap. I. addit, unamquamq; gruem ante volatum lapidem devorare, ut & unde prandere possit habeat, & adversus incursiones ventorum firmamentum assequatur. Id tamen Albertus & alii improbãt. Rectius itaque Plinius libro sæpe cõmemorato cap. XXIII. Certum est, inquit, Pontum transvolaturas, primum omnium angustias petere inter duo promontoria Criu-metopon & Carambin; mox saburra stabiliri, cum medium transierint; abjici lapillos è pedibus cum attigerint continentem, & è gutture arenam: cui etiam Solinus astipulatur. Repræsentatur hac icone prudentia singularis, quæ apto & opportuno tempore ita verba & facta omnia moderatur, ut inde nihil detrimenti ulli accidere queat. Additur quoque Vel, CVM PONDERE, ostendens sine labore, ac molestia, ac vigilantia nihil laude dignum effici posse. Vel, ITER TVTISSIMVM.

LOCO

LOCO ET TEMPORE.



Mira fides, Palamedis avis lapide obstruit ora.
Tu quoq; ne noceat garrula lingua cave.

XXIX.

QVI *velit de diversis Accipitrum generibus exquisite omnia cognoscere, Gesnerum, & nuper Augustæ Vindelicorū ex nostris membranis librum Friderici* II. *Imperatoris de Aucupio elegantibus typis excusum, consulat. Quidam nostros Sparvieros, veterum Nisos esse existimant, nonnulli vero accipitrem palumbarium vocant. Qua ratione autem sint accipitres tractandi, ne temere oberrent, aut difficulter ad dominum redeant, idem Gesnerus ex pluribus autoribus copiose tradit. Solet autem aucupi familiarior & obsequentior redditus Accipiter, tantum invitatione sibili ad scapum sive, ut vulgo vocant, revocatorium sponte rursum advolare. Porro instrumentum istud alatum, cui in medio aliquid carnis alligatur (ut diximus) revocatorium vulgo nominant, Budæus in Philologia scapū, Galli vero rappel & loirre dicunt, forsitan à loyer, quod præmium significat, germani,* ein Luder. *Etsi autem secundum Plautum in Captivis,*

Omnes profecto liberi libentius sumus quam servimus,

Ac homini ingenuo nihil sit difficilius quam imperium præsertim durius ferre, cum Homerus quoq; Odyss. VII. *dimidiū virtutis illi perire asserat, quem servilis necessitas captum teneat,*

ἥμισυ γὰρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα ζεὺς
ἀνέρος, εὖτ' ἂν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλησι, *idest,*
Dimidio mentis privavit Iuppiter illum,
Servilis quemcunque virum sors cœperit unquam.

Hoc tamen omne de nimis aspera & iniqua servitute accipiendum, cum idem Plautus in Milite dicat,

Facile est imperium in bonis.

Ac Claudianus lib. III. *de laudibus Stiliconis.*

Fallitur, egregio quisquis sub principe credit
Servitium: nunquam libertas gratior extat.

Alii ascribunt. *V*LTRO AD VINCVLA REDIT.

XXIX.

SPONTE MEA, NON VI.



Sponte mea redeo, mihi cum victoria parta est,
Nec vis me vocat, ast aucupis obsequium.

FALCONES *albi nobiliss.(ut testatur Sigismundus Baro ab Herberstain, in descriptione Moscoviæ) magnitudine eximii, quos Gyrofalcones alii appellant, in illius provinciæ asperis ac inaccessis rupibus inveniuntur, quos incolæ ad cygni, gruis & aliarum avium aucupia usurpare solent. Paulus Iovius similiter in libello de legatione Moscovitica scribit, apud Iungros & Vgolicos in altiss. montibus capi Falcones præstantiss. quorũ quidam sint candidi guttatis pennis, & Herodios vocat, quanquã Arist. hoc nomen potius Ardeis attribuerit. Horum singularem generositatem commemorat Olaus Magnus in historia Septentrionali, lib.* XIX. *cap.* IV. *Nam sub auroræ tempus avem aliquam, quam per noctem ad calorem naturalem fovendum in istarum regionum frigoribus acerrimis tenuerat, rursum incolumem dimittere fertur. Hieronymus Ruscellus, qui hoc symbolum Nobili Anglo Ricardo Scelleio assignat, de Phasiano dimisso loquitur, eoq; hunc nobilem declarare voluisse scribit, se nihil prius neq; antiquius habiturum, quam ut in omnibus dictis & factis integram fidem retineat, generisq; sui nobilitatem sartam tectam conservet, parcendo inferioribus, & erga omnes comitatem & benignitatem singularem usurpando. Non aliter Claudianus quoq; lib.* II. *cum Stilliconi clementiæ laudem tribuisset, adjungit illi simul germanam sororem ipsam fidem:*

> Huic divæ germana fides, eademque sororis
> Corde tuo delubra tenes.

Et paulo post,

> Hæc & amicitias longo post tempore firmat,
> Mansuroque adamante ligat, nec nobile mutat
> Ingenium, parvæ strepitu nec vincula rixæ
> Dissolvi patitur.

FIDEM SERVABO GENVSQVE.



Non necat accipiter, tenuit quem nocte volucrem,
Sic servare solet mens generosa fidem.

FALCO *capitis velamento (quod vulgo capellum vocant, de quo prolixe agit Fridericus* II. *Imper. lib.* II. *de arte venandi cum avibus) involutus, atque vinculis sive loris pedum, quos calceos Accipitrarii nominãt, impeditus, quamquam liberè hinc inde vagari nequeat, nihilominus tamen in altum evolat, & saltem cupiditatem suam persequendi, & capiendi aves promptam & alacrem præ se ferre videtur. Eoq; symbolo vir doctiss. Alphonsus Massarius exprimere studuit voluntatem suam cupidiss. bene de aliis merendi, atq; in hoc suo proposito constanter perseverandi, licet multa impedimenta illi objiciantur, & sæpe ab aliis laudabile hoc suum institutum impediatur. Cum quo Alciati Emblema de puero manum alatam erigente, & alteram à lapide depressam gestante convenit. Nec ullum dubium est, nostris quoq; temporibus multa ingenia præclara, ad quævis magna ac laudabilia apta, propter contemtum & neglectum torpescere, quod Plautus quoq; in Captivis deploravit.*

Sæpe summa ingenia in occulto latent.

Ac nota est Iuvenalis sententia,

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Quod si major liberalitas in ejusmodi homines ab illis, qui in vesanum luxum, & alias voluptates illaudabiles sua bona inutiliter & male insumere sæpenumero solent, impenderetur, ac benignius foverentur, procul dubio non sine ingenti utilitate Reip. plures præstantes viros utiles essemus habituri. Est autem integrum distichon, unde hoc dictum est sumtum, Propertii lib. II. *Elegiarum ad Musam.*

Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit, in magnis & voluisse sat est.

XXXI.

ET VOLVISSE SAT EST.



Sæpius excelsis tenuis res officit ausis,
Et tamen attollit mens generosa caput.

NON *caret sua quoq; admiratione pugna illa falconis cum ardea. nam si hæc accipitrem vel falconem in sublimi potest superare, & sibi illum subjicere, suis excrementis in eum emissis, pennas ipsius corrumpit, & ad putredinem perducit. Quare Falco hoc quanto potest studio evitans, & naturali instinctu sibi cavens, tamdiu ex obliquo cum illo in aëre contendit, donec tandē occasione oblata superior factus ardeam magno impetu deturbet. Quis magis evidenti similitudine belli incertos ac fallaces eventus repræsentari posse existimet? de quo omnium veterum scriptorum plurimæ graves extant sententiæ; & notus est versiculus Homericus, λ. σ.*

ξυνὸς ἐνυάλιος, καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα,

Communis Mars inque vicem perimit perimentem.

Seneca quoq; Natural. Quæst. lib. IV. *ubi de Pompeio ac Lepido illi sermo est, cum ille alienum exercitum fugeret, hic vero suū, inquit: Ex quo liquere mortalibus posset, quam velox foret ad imum lapsus ex summo, quamq; diversa via magnam potentiā fortuna destrueret. Legitur quoq; ascriptum,* NVLLA SALVS BELLO *: pacem te poscimus omnes. ex Virgil.* XI. *Aeneid. Item:* VT LAPSV GRAVIORE RVANT. *ex Claudiano lib.* 1. *in Ruffinum.*

jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror: tolluntur in altum
Vt lapsu graviore ruant.

Cum quo congruunt versus poetæ veteris, relati ab Aristot. II. *Rhetor. ex Mureti versione:*

Fortuna multos sæpe in altum provehit,
Non quod bene illis esse consultum velit,
Sed ut inde casu insigniore corruant.

EXI-

EXITVS IN DVBIO EST.



Sunt dubii eventus incertaq; prælia Martis:
Vincitur haud raro, qui prope victor erat.

IN *priore Centuria dictum est, testudinem esse symbolum tarditatis qua tamen conjunctam habeat constantiam aliquam & assiduitatem. Accipitrem vero celeritatis non quoq; nimis temerariæ notam esse constat. Si igitur hæc duo, salutaris cunctatio, & bene præmeditata celeritas pro re nata recte usurpentur, actiones inde felicem sortiuntur exitum. Cum quo convenit tritum proverbium græcum* σπεῦδε βραδέως, *id est, festina lente, quod à duobus præcipuis Imperatoribus Roman. Augusto & Tito crebro fuit usurpatum. Et Gellius lib.* X. *cap.* XI. *eo monuisse Augustum perhibet, ut ad rem agendam simul adhibeatur & industriæ celeritas & diligentiæ tarditas, ex quibus duobus cõtrariis fiat maturitas, cum maturum, secundum Nigidium, ex eodem Gellio sit, quod neq; citius est neq; serius, sed mediũ quippiam & temperatum. Notum autem est, quantum Fabii Maximi cunctatio utilitatis Reip. & contra Minutii ipsius Magistri Equitum præcipitantia detrimenti attulerit. Vnde Plato* VII. *de Rep. ait,* τὸν σπεύδοντα ταχὺ πάντα διελθεῖν, μᾶλλον βραδύνειν, *id est, Eum qui festinat celeriter omnia percurrere, magis retardari. Ex quo vulgaris factus est versiculus*

Tardius absolvit, qui nimium properat.

Est autem hoc symbolum inprimis convenientiss. principibus & aliis magnis viris, qui aliis præsunt, quo admoneantur, ne aut voluptatibus & affluentia omnium rerũ, aut successu prospero, & nimia potentia insolentiores facti, sua ignavia & socordia, vel ex adverso temeritate & vehementia, interdum suæ dignitati & existimationi indigna committant, & perpetrent. Rectè etiam Sophocles:

φρονεῖν γὰρ οἱ ταχεῖς, οὐκ ἀσφαλεῖς,

Periculosa est præpropera prudentia.

PRO

XXXIII.

PRO RE NATA.



Et tardus nimis, & præceps nimis esse caveto,
Ille sapit medium qui inter utrumq; tenet.

GESNERVS *ex pluribus autoribus, qui de Aucupio aliquid litteris mandarunt, tradit quo pacto Accipitres ad radios solares vitia pennarum, veteribus abjectis, corrigere, & quasi rejuvenescere soleant: docetq; simul, quæ applicari debeant, ut hoc defluvium acceleretur, & eo celerius novæ renascãtur. Quo indicatur, alicujus in flagitiis viventis propositum laudabile in mutando eo genere vitæ in meliorem statum. Idq; inprimis piis Christiana μετάνοια sese ad* DEUM *convertentibus convenit, qui nihil aliud cogitant, nec in votis magis habent, quam depositis omnis improbitatis & humanæ depravationis sordibus, in vera innocentia & puritate secundum divinam voluntatem & mandata ipsius vivere, ac secundum S. Paulum ad Corinth. veterem hominem exuere, novumq; induere, qui desideria carnis vincat, & semper* τὰ ὑπερουράνια *sapiat. Atq; ita quoque nonnulli Doctores sacrarum literarũ dictum Iobi cap.* XXXIX. *interpretantur, ubi ait: Numquid per sapientiam tuam plumescet accipiter, expandens alas suas ad Austrum? quamvis in græco textu legatur,* ἐκ δὲ τῆς σῆς ἐπιστήμης ἕστηκεν ἱέραξ; *id est, numquid per intelligentiam tuam volat accipiter? Sed inter alia plura sanctorum Patrum hujus argumenti præclara dicta, placuit admodum eruditum & grave carmen B. Nazianzeni hic ascribere.*

σκεύαζε σεαυτὸν ὡς τάχος πρὸς οὐρανὸν,
ψυχὴν πτερώσας τῷ λόγῳ τὴν τιμίαν,
μηδὲν περιττὸν, ἀλλὰ πᾶν ῥίψας βάρος
βίου ματαίου καὶ κακῶν τῶν ἐνθάδε.

Quos versus ita reddidit amicus noster singularis, D. Cunradus Rittershusius, totidem senariis.

Sic te para, ut se mens cito ad cœlestia
Alata libret vi rationis optima,
Superfluum nil te aggravet, jactis procul
Inaniis vitæ hujus ac molestiis.

RENO-

XXXIV.

RENOVATA IVVENTVS.



Exuviis vitii abjectis, decus indue recti,
Ad Solem ut plumas accipiter renovat.

PINGI-

FINGITUR *hic accipiter per aërem volãs prædæ caussa, ut Ovid. quoq; lib.* XI. *Metamorph. fecit*

Rapto qui vivit, & omnes

Terret aves

Perdicem jam captam suis unguibus tenens, qui tamen nihilominus alias hujus generis aves avolantes, comite cane, qui illas excitat, intentis oculis persequitur. Quo ingenioso symbolo (quod extat apud Lucam Cõtilem) homo industrius, laboriosus ac cupidus discendi repræsentatur, qui non solum singularem doctrinam sibi comparavit, sed etiam indies uberiorẽ scientiam conquirere, & luculentiorem cognitionem adipisci studet. Nam secundum Menandrum,

ἁλωτὰ γίνετ᾽ ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ,

ἅπαντα πάντα τὰ ζητούμενα:

Comprehendi possunt industria & labore,

Omnia prorsus quæ inquiruntur.

Quod Sophocles adhuc brevius voluit exprimere.

τὸ ζητούμενον ἁλωτὸν, ἐκφεύγει δὲ τ᾽ ἀμελούμενον,

Quod quæritur, comprehendi potest, effugit autem quod negligitur.

Ascriptum quoq; legitur, PROVIDE ACCELERO, *quo commendatur utilis* εὐλάβεια *& prudens cunctatio, &, ut Sophocles in Electra subjicit,*

φιλεῖ γὰρ ὀκνεῖν πρᾶγμ᾽ ἀνὴρ πράσσων μέγα,

Qui facinus ingens tentat ille lentus est:

Est autem secundum Suidam εὐλαβὴς, ὁ εὖ πραγμάτων ἐπιλαμβανόμενος, *id est, qui bene & circumspectè res capessat: & Euripides in Phœnissis eam commendans plurimum, dicit esse* χρησιμωτάτην θεῶν, *id est, maxime salutare numen. Pulcrè Philemon in Catapseudomeno:*

πάντ᾽ ἐστὶν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον

φεύγῃ τις ὃς πρόσεστι τοῖς ζητουμένοις:

Omnia possunt inveniri, si modo non laborem

Fugerit aliquis, qui rebus indagandis adhæret.

XXXV.

PARTA TENENS, NON PARTA SEQVOR.



Multa licet fido sapiens in pectore condat,
Plura avido tamen usque appetit ingenio.

De vulturibus, qui græcis γῦπες sunt, hæc apud Plinium sæpius laudato libro legimus: Triduo ante vel biduo eos volare, ubi cadavera sunt. Quod Aelianus lib. II. *cap.* XLVI. *copiosius ita exponit: In hominum cadavera vultures infestissimi feruntur, in quæ incurrentes tanquam hostilia invadunt, & hominem vicinum ad moriendum, quando supremum vitæ diem agat, diligenter observant. Expeditos in bello exercitus præsensione quadam cõsequuntur, plane scientes, quod ad bellum proficiscãtur, & quod omnis pugna strages edere soleat. Idem D. Basilius & D. Ambr. in Hexaëmero tradunt. Sic Plautus in Truculento,*

> Illud est, vide ut jam quasi volturii triduo
> Prius prædivinant, quo die esuri sient,
> Illum inhiant omnes.

Horapollo quoq; lib. I. *cap.* XII. *tradit hieroglyphice inter alia vulturem notare rerum præcognitionem. Nam ad eam partem exercitus sese convertere solere, ubi major est futura clades, sibi ex cadaveribus alimentum seponentem & in futurum promtè reservantem. Est autem icon certe conveniens in homines avaros, rapaces, & per fas nefasque aliorum bonis insidiantes. Vnde Apuleius causidicos & improbos rabulas forenses vocavit vultures togatos, sicuti Cicero quoq; in Orat. pro Sextio, Gabinium & Pisonem, qui pretio omnia nundinarentur, ac ad se raperent, vulturios paludatos nominavit. Quo etiam pertinent hæredipetæ & testamentorum captatores. Vnde & græcum proverb. ἅπερ γῦπες: vulturum ritu. Et hos quidem Lucianus in suis dialogis, & Martialis irridet, cum alibi passim, tum in illo Epigrammate:*

> Cujus vulturis hoc erit cadaver?

Ac Seneca lib. XV. *Epist.* XCVI. *hos describens: Amice, inquit, aliquis ægro assidet, probamus. At hoc si hæreditatis caussa facit, vultur est, cadaver expectat.*

XXXVI.

QVAM CVPIDE EXPECTO.



Vultur prædæ inhians est captatoris imago.
Heu quam plena etiam sunt fora vulturibus!

PELECANVS *ſive Pelecanis, quæ græcis eſt* πελεκὰν, *deſcribitur ab Ariſtotele lib.* VIII. *Animal. & lib.* IX. *quam avem Plinius, & eum ſecutus Gaza, verterunt plateam, eſtq; apud Ciceronem lib.* II. *de Natur. Deorum platalea (niſi ſit error ſcribarum.) Oppianus lib.* II. *de Aucupio, non Pelecanum, ſed* πελεκῖνον *nominat, nec videtur ab Onocrotolo diſtinguere, quod tamẽ Gesnerus improbat, & Pelecanum germanice interpretatur* ein Löffelganß, *quæ frequens admodum in Anglia eſſe dicitur. Quamquam vero de ſauciante proprio roſtro pectus, & pullis ex eo ſanguinem excipientibus apud veteres ſcriptores (quantum ego ſciam) nulla fiat mentio, & Iſidorus quoque lib.* XII. *orig. dubitanter de hoc loquatur, ubi ait: Fertur enim, ſi verum eſt, eam occidere ſuos natos, eosq; per triduum lugere, deinde ſeipſum vulnerare, & aſperſionẽ ſui ſanguinis vivificare filios: cum tamen tam ſacri quam profani autores hac ſimilitudine crebrò utantur, & omni laude digniß. Rex Alphonſus eo ſymbolo uti voluerit, nos quoq; hoc loco ejus facere mentionem non inconveniens eſſe putavimus. Quo indicare voluit, nihil ſibi eſſe antiquius, quam populum ſibi commiſſum & vera juſticia ac æquitate regere, & ſimul ab omni vi adverſariorum illos ſalvos & incolumes conſervare. Seq; ideo non ſolum opes omnes ſuas, ſed ſanguinem quoq; & ipſam vitam conſtituiſſe impendere. Poteſt etiam ad* φιλοστοργίαν *& amorem parentum & qui eorum loco ſunt, in liberos referri, de quo memini me Ravennæ legiſſe ad hanc picturam additum hoc diſtichon,*

Magnus amor, permagna fides, quam maxima virtus,
Alterius vitam morte parare ſua.

Quare ſancti patres, hoc myſtico ſenſu ad CHRISTI *noſtri Salvatoris unici ſacroſanctam paßionem pie admodum retulerunt, ut videre eſt apud D. Hieronymum, & D. Auguſtinum, ac inprimis in phyſiologo, qui S. Epiphanio aſcriptus eſt.* PRO

XXXVII.

PRO LEGE ET GREGE.



Sanguine vivificat Pelecanus pignora, sic rex
Pro populo vitæ est prodigus ipse suæ.

DE Pelecano præter ea quæ jam dicta sunt, in Hieroglyphicis Horapollinis habetur, hunc non aliarũ avium more nidum suum supra terram elatiorib. locis construere, sed potius quadam innata simplicitate in scrobe aliqua humili, terra egesta, ova sua excludere. Sed idem Horapollo vult esse typum imprudentiæ potius quàm simplicitatis. nam dicit hanc avem, cum circa nidum in terra constructum ex bubulo stercore, aucupes ignem excitẽt, suis alis eum extinguere conantem, seipsam amburere, & ita facile capi. At nobis priorem expositionem tanquam magis ἠθικὴν retinere placuit, una cum ascripta sententia, quæ legitur in Syracide inter alia utilissima modestiæ ac submissionis præcepta cap. III. *Altiora te ne quæsiveris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi* DEVS, *illa cogita semper, & in pluribus ejus operibus ne sis curiosus. Græca paulo aliter se habent, hoc modo:* χαλεπώτερά σου μὴ ζήτει ἀναισθήτως, καὶ ἰσχυρότερά σου μὴ ἐξέταζε ἀφροσύνῃ. ἃ προσετάγη σοι, ταῦτα διανόου ὁσίως. οὐ γάρ ἐστί σοι χρεία τῶν κρυπτῶν βλέπειν ὀφθαλμοῖς, *id est, difficiliora captu tuo ne incogitanter vestiga, & fortiora viribus tuis ne exquire insipienter. Quæ mandata tibi sunt, de his pie cogita. Non enim opus tibi est intueri oculis abscondita. Quæ omnia graviter reprehendunt nimiam curiositatem & stultam animi elationem, ac contra cõmendant simplicitatem ac humilitatem, cum circumspectione tamen & prudentia conjunctam, non fatuam & inertem. Cum quo S. Pauli in Epistola ad Romanos cap.* VIII. *sententia insignis congruit,* μὴ ὑπερφρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, *id est, non sapere supra quam oportet sapere, sed ad sobrietatem sapere. Euripides quidem in Medea* σωφροσύνην *dixit* δώρημα κάλλιστον θεῶν, *modestiam pulcerrimum donum deorum esse.*

ALTI-

XXXVIII.

ALTIORA NE QVÆSIVERIS.



Noli altum sapere, aut aliena inquirere, ne mox
Culpa det ex alto te tua præcipitem.

IBIS *à quibusdam ciconia Aegyptiaca nominatur, propter magnam cum ipsa similitudinem, sic in veterum nummis, potissimum Adriani, Aegyptum denotat, quod eæ regioni propria & inquilina sit. Aristoteles lib.* IX. *Histor. Animal. cap.* XXVII. *(quem Plinius, Aelianus, Solinus, & alii sequuntur) distinguit in candidam & nigram. Candidæ apud Pelusium (vulgo Damiata, vel secundum alios Tenessa) nullæ reperiuntur, cum in universa reliqua Aegypto habeantur. Nigræ vero contra solæ apud Pelusium sunt, alibi nusquam apparent. Aelianus lib.* IX. *Animal. cap.* XXVII. *ita peculiarem avem esse Aegypto tradit, ut si quis vi & impetu velit ex ea aliò trāsportare, sibi ipsi mortem consciscat, & Plinius lib.* X. *cap.* XLVIII. *scribit à M. Egnatio Calvino præfecto aliquando tanquam rem inusitatam in Alpib. visam. Vocatur autem* ὀφιοφάγος *ab esu serpentum, & ovorum serpentinorum, quod Cicero lib.* I. *de natura deor. testatur, atq; eam ob caussam ab Aegyptiis hanc avem coli refert (idque Diodorus Siculus & Ammianus Marcellinus quoque asserunt) quod à serpentibus & aliis venenatis bestiolis regionem mundam conservet, atq; ideo teste Alexand. Aphrodisiensi lib.* XII. *prima philosophia, & ante illum Herodoto lib.* II. *capitale fuit ibidem Ibin interficere. Docemur autem ante omnia curam & solicitudinem max. impendendam patriæ, quam Plato in Critone inquit esse* τιμιωτέραν μητρὸς καὶ πατρὸς, *id est, in majore honore patriam habendam quam matrem & patrem. Eumq; imitatus Cic. in lib. de Repub. & in Epistolis ad Atticum, patriã antiquiorem parentem appellat. Et Euripides in Phœnissis, ni fallor:*

εἰκὸς δὲ παντὶ καὶ λόγῳ καὶ μηχανῇ
πατρίδος ἐρῶντας ἐκπονεῖν σωτηρίαν.

Convenit omni ratione & arte
Amantes patriam, salutem ejus curare.

SOLI

XXXIX.

SOLI PATRIÆ.



Nunquam excedit Ibis terræ Mareotidis arvis,
Vt moneat quantum poßit amor patriæ.

DE Ciconiæ in parentes gratitudine tam veterum quam recentiorum ſcripta plurima ſunt in medio, & inter cæteros Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Plutarchi, Oppiani, Aeliani, Horapollinis, Plinii, Valerii Max. Suidæ, & inter ſacros autores Baſilii Magni in Hexaemero, homilia VIII. *ac in libello, de honore quo afficiendi ſunt patres in ſenectute, & Ambroſii in Geneſin cap.* V. *legi poſſunt. Qui quidem univerſi in hoc conſentiunt, quod gratam memoriam educationis & nutricationis præſtitæ, juniores Ciconiæ diligenter obſervent, atq; ideo ſenio confectos parentes nunquã deſerant, ſed mutuis officiis eos foveant ac magna cũ cura paſcant. Vnde græci elegans verbũ* ἀντιπελαργεῖν *derivarũt. Ac Budæus in pandectis, quasdã leges* ἀντιπελαργικὰς *expoſuit ex Scholiaſte Ariſtophanis, quibus cavebatur de alendis in ſenectute parẽtibus, & Petronius Arbiter vocat Ciconiam pietaticultricem. Quod Romani quoq; in ſuis nummis obſervarunt, ut inprimis in Hadriani, Ciconia eſt expreſſa, cum inſcriptione,* PIETAS AVGVSTA. *Ac notus eſt veteris cuiusdam poëtæ verſiculus,*

ἱκανῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς,
Diu vives, ſenectam ſi parentum nutrieris.

Quæ autẽ ex adverſo, mala, & tandem extrema pernicies, ſint expectanda ingratis & erga parentes iniuſtis liberis, exempla plurima triſtia & horrenda ſatis ſuperq; teſtantur, & S. Paulus in Epiſtola ad Epheſios cap. VI. *oſtendit quartum præceptum ſingularem habere hac in parte adjunctam promiſſionem. Vnde Homerus quoq; (quamquam Ethnicus) de quodam graviter* ιλ. δ. *protulit,*

οὐδὲ τοκεῦσι
θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δὲ οἱ αἰὼν.

Quos verſus Pierius in Hieroglyphicis ita vertit:

Et quoniam caris nunquam genitoribus æquum
Reddidit officium, immatura eſt morte peremptus.

XL.

HOC PIETATIS OPVS.



O rara illustris pietatis imago, parentem
Quando humeris gestat filius ipse suis!

ÆLIANVS *lib.* I. *cap.* XXXVII. *autor est, Ciconiam vespertiliones eius ovis perniciem molientes admodum caute vindicare. Nam cum hæ solo contactu ova illius sterilia & irrita reddere soleant, hoc remedio utitur, ut folia platani in nidos suos inferat, quæ vespertiliones ferre nequeunt, sed inde torpore affectæ, nihil amplius nocere possunt. Non dissimilem proprietatem (ut idem autor habet) natura hirundinibus est largita. nam cum pariter blattæ ipsorum ovis sint perniciosæ, matres apii folia ante pullos projiciũt, atq; hinc omnis accessus blattarum prohibetur. De quibus proprietatibus Diodorus Siculus lib.* I I. *præclaram habet sententiam, ubi ait: Proba enim natura omnibus animantibus magistra est, non solum ad sui conservationem, sed etiam ab illis procreatorum, idq; ob innatum studium & amorem vitæ, successiones in perpetuum stabilitatis perducens circulum. Recte autem usurpari poterit hoc symbolum à magnis viris, qui contra invidiæ morsus quasi efficaciss. amuleto suam virtutem ac bonitatem opponunt, & æmulorum occultas machinationes singulari constantia ac fortitudine arcere ac irritas facere norunt. Quare Euripides, referente Stobæo, virtutem non immerito ita commendavit.*

οὐκ ἔστιν ἀρετῆς κτῆμα τιμιώτερον.
οὐ γὰρ πέφυκε δοῦλον οὔτε χρημάτων,
οὔτ' ἀσφαλείας, οὔτε θωπείας ὄχλου,
ἀρετὴ δ' ὅσῳ περ μᾶλλον ἂν χρῆσθαι θέλῃς,
τόσῳ δὲ μᾶλλον αὔξεται τελειουμένη.

Non est virtute ulla possessio preciosior.
Non enim submittit se neque pecuniis,
Neque securitati, neq; adulationi vulgi.
Sed virtus quo frequentius ea uti libet,
Eo magis crescit, perfectiorque fit.

XLI.

AVDENTIVS OBSTAT.



Virtuti invidia est hostis. verum illius omnes
Sincera insultus despicit integritas.

ARDEA, *græcis* ἐρῳδιός, *quasi ardua dicitur secundum Isidorum lib.* XII. *propter volatum in altiora loca: Formidat enim imbres, & ideo supra nubes evolat, ut eorum procellas evitet. Quo autẽ altius volaverit, eo majorem tempestatem indicat. Ob quam caussam Italice vulgo Aerone vel Airone nominatur. Atq; hoc præsagiũ tempestatis Aristoteles quoq; lib.* IX. *de hist. Animal. & Aelianus lib.* VII. *cap.* VII. *retulerunt. Vnde Virgilius lib.* I. *Georg.*

notasque paludes
Deserit, atq; altam supervolat ardea nubem.

Sunt autem ardearum sive ardeolarum tria genera ex Aristotele loco indicato, & Plinio lib. X. *c.* LX. πέλλος: *id est, ardea pella: Leucon sive alba vel* λευκερῳδιός, *& Asterias sive Stellaris, quæ &* ὄκνος, *h. e. pigra dicitur. Quadrat autẽ hoc symbolum in hominem prudentem & cordatum, qui fortunæ adversæ tempestates in tempore prævidens, sibi mature cavere ac prospicere studet. Atq; ideo Cicero* I. *de Legibus à providendo providentiam esse dictam ait, & lib.* I. *de Divinat. prudentes nos posse appellare providentes scribit. Sophocles quoq; hanc virtutem commendans inquit,*

προμήθεια γὰρ κέρδος ἀνθρώποις μέγα.

Providentia enim hominibus lucrum est maximum.

Ac Seneca de virtutibus præclare scribit: Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, & quæ possunt contingere, animo tuo cuncta prospice. Nihil tibi subitum sit, sed totũ ante prospicias. Qui enim prudens est non dicit: Non putavi hoc fieri, quia non dubitat, sed expectat, nõ suspicatur, sed cavet. Cuiuscunq; facti caussam require. cum initium inveneris, exitum cogita. Alias additur: SVBLIMITATE SECVRIOR.

NATV-

XLII.

NATVRA DICTANTE FEROR.



Prospicit atq; fugit fortunæ flamina prudens,
Ceu fugit imbriferos Ardea celsa notos.

AVIS quædam pulcherrima & rariſsima, qualis jam exiccata cum pulmis apud nonnullos viſitur, in Moluccis reperitur inſulis, quæ mole corpore ſatis eſt parva, ob pennas verò longiores putatur mediocris eſſe magnitudinis. Hæc (ut incolæ affirmant) nunquam in terra eſt conſpecta viva, ſed interdum exanimis in eam ex alto aëre decidit, ac inventa apud iſtos populos in magna habetur veneratione. Appellant autem lingua vernacula Manuco diatta, id eſt, Aviculam DEI, quia putant eã in paradiſo naſci, quare apud nos quoq; inde nomen ſortita eſt. Hanc pedibus omnino carere conſtat, quamvis Ariſtoteles neget talem in avium genere reperiri, cum hirundines ἄποδες, ſive κύψελοι, ſecundum eundem, pedes habeant piloſos, ſed ita minutos, ut his carere videantur. In maris vero dorſo fila gemina nigra, cornuum inſtar utrinq; in rectum extenſa obſervantur, quorum uſum peritiores rerum Naturalium eſſe exiſtimant, ut fœmina dum ova fovet in eodem dorſo cavitatem efformante, iſtis vinculis mari alligetur atq; ita in ipſo pullos excludat. Melchior Quilandinus putat apud veteres eſſe Rhyntacen, cuius meminit Plutarchus in vita Artaxerxis: nec non Cteſias & Dion. Scriptores rerum Indicarum, alias tradunt in Mexicana regione exiſtere aviculas, Cinzonos dictas, carentes pedibus & rore tantum viuentes, ex quarum pennis Chinenſes artificioſiſſ. picturas cõcinnant. Congruit autem hoc ſymbolum in eos optime, qui rebus terreſtribus ac caducis ſpretis ac contemtis ad cæleſtia & æterna ſemper toto animo ſe convertunt. Quare alibi additum legimus, SVPERATA TELLVS SYDERA DONAT. Vel, ΜΕΤΕΏΡΟΣ ΨΥΧῊ, id eſt, Sublimis anima, ſecundum pulcherrimum Nazianzeni verſum.

θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων δ᾽ ἐπιλήθεο πάντων,
Surſum anime ſpecta, terrenaq; ſpernito cuncta.

TERRÆ

XLIII.

TERRÆ COM-MERCIA NESCIT.



Felices nimium quorum super æthera mentes,
Sublatæ cuncta hæc infera despiciunt.

IVLIVS *Cæsar Scaliger exercitat.* 232. *satis breviter aves describit cornutas, hisce verbis: Insula Catigan, quæ est in mari Sur, aves fert gallinæ magnitudine cornutas. Subtus arenas ad duos pedes ova alte condunt, unde vi Solis excludantur pulli, ut per se prodeant. Sic avis cuiusdam corniger æ vel unicornis in ære eleganter incisæ, cuius hic picturam exhibemus, ante aliquot annos iconem ad me misit Medicus quidam Romanus, cũ eiusmodi descriptione: Avis hæc Iaponica, quam hactenus à nemine visam existimo, gallo gallinaceo aliquanto major est, toto corpore nigricans, præterquam sub inguine, quod albis plumis est cõspersum, oculis promicantibus, collo oblongo, rostro rubro, cui ad summam partem capitis lapidosum cornu, primum molle, deinde indurescens metæ instar cineritio colore prominet. Huius generis duæ aves mas & fœmina ex insula Iaponica fuerunt trãsmissæ Romam ad Pontificem Pium V. sed mas periit, fœmina verò planè cicur facta diu supervixit. Hæc ille. Sicuti igitur ex mollissima cerebri materia, progressu temporis Natura producit solidum ac durum corpus (quod etiam non sine admiratione in tam vastis cervorum cornibus quotidie observamus) ita quoque consuetudine & exercitatione assidua, virtutem nobis comparare, & paulatim tanquam habitum firmiorem conquirere debemus, eius rei nobis Vlyssem Horatius pulchre proponit lib.* 1. *epist.* 11.

> Qui domitor Troiæ, multorum providus, urbes
> Et mores hominum inspexit, &c.

Præclarè item Musonius lib. de Exercitatione, & prolixè de utilitate exercitationis, tam animi, quam corporis disserit, omnesq; qui in ulla virtute proficere cupiunt, serio & graviter ad illam adhortatur, quæ apud Stobæum quæri & legi possunt.

XLIV.

TEMPORE DVRESCIT.




Cornua ceu molli nascuntur dura cerebro,
Virtutem assiduus firmat alitq; labor.

DE Psittaco Aristot. lib. VIII. cap. XII. de hist. Animal. hæc scribit: omnes denique aves uncæ brevi sunt collo & lingua lata, aptaque ad imitandum. Nam & Indica avis, cui nomē Psittaco, quam loqui aiunt, talis est, & loquacior cum vinum biberit redditur. Idem Solinus, Plinius, Apuleius, Aelianus, Isidorus & alii plures affirmant. Versibus quoque Psittacum celebrarunt Oppianus, Ovidius, Statius, & inter recentiores Vespasianus Stroza, Eroticon VI. & omnium elegantissimè Io. Passeratius, Professor Regius Lutetiæ Parisiorum, in suis Kalendis Ianuariis. Huius avis diversa genera, quæ nostris temporibus sunt nota, describit Scaliger in exercitationibus contra Cardanum. Quod autem tam meditando quam loquendo mira præstet, inter alias plurimas historias, Zonaras Annal. lib. III. in vita Basilii patris Leonis Philosophi, memorabilē admodū hanc exponit: Cum filius à patre propter quorundā calumnias, quasi eius vitæ insidiaretur, in tetrū carcerē esset cōjectus, accidit ut Imperator cū præcipuis regni senatorib. splendidū conviviū celebraret, Psittacus verò forte fortuna in eodē conclavi inclusus cavea voce flebili semper exclamavit, o Leo Leo (quā vocē ab aliis, calamitatē illius juvenis deplorantib. audiverat) Qua occasione arrepta pro filio apud patrē intercedentes deprecati sunt, & ipsum in gratiā reduxerunt. Indicatur autē hac similitudine cura ac diligentia imitādi alios, qui sua industria alioqui parū efficere possunt. Quapropter alibi ascribitur, ALIENO LOQVITVR ORE. Vel brevius, ORE ALIENO, quod convenit cū vulgari proverbio: Loquitur ut Psittacus. Aliis magis placet esse symbolū libertatis à contrario sensu, quæ secundū Iurisconsultos, res est inæstimabilis, nullo auro comparanda, & optima omnium (ut vult Diogenes apud Laertium) inter homines: secundum verò Horatium, potior metallis: unde addiderunt, ARBITRIVM DITIVS AVRO. Nostra inscriptio est ex Autore carminis de philomela.

XLV.

HVMANAS DEPRO-MIT VOCE LOQVELAS.



Humanæ mihi quid prodeſt linguæ æmula vocis,
Cum cantem domini carmina ſola mei?

IOANNES de Boria in Hispanicis symbolis ait, à scriptoribus rerum Indicarum speciem quandam Psittaci describi, quæ sese mense Novembri incipiente hieme soleat in trunco alicuius arboris densæ abscondere, & ibidem dormiens usq; ad tẽpus vernum commorari, atq; tum pristinum rursum vigorem recipere, majoremq́; alacritatem conquirere. Tractat autem Aristoteles quoq; lib. VIII. de avibus & quadrupedibus, quæ per hiemem sese abscondunt: & Plinius lib. X. cap. IX. scribit coccyga sive cuculum verè procedere, caniculæ ortu latitare, idq; fieri in cavis arborum Agricola testatur. Sic viri prudentes & circumspecti suorum consiliorum & actionum tempestivum exitum caute circumspectant, & interea quamdiu opus esse existimant, in aliquam rei bene gerendæ occasionem intenti quiescunt. Quod Dionysius Halicarnassensis quoq; paucis verbis recte subjicit: χρήσιμον πρᾶγμα ἐν πολλοῖς καὶ ἥκιστα σφαλερὸν ἀναβολή: Inprimis res utilis & minime periculosa est cunctatio. Breviter & pulcrè P. Syrus:

Deliberare utilia, mora est tutissima.

Quamquam verò singulari quadam fortuna Alexandro Magno, Iulio Cæsari & aliis τὸ μηδὲν ἀναβαλλόμενος, id est, nihil differens vel procrastinans, absq; tamen stulta præcipitantia ac temeritate, potius placuerit, atq; in rebus potiss. bellicis celeritas amplius prosit quã virtus: Cicero tamẽ in illa præclara oratione pro Lege Manilia, vel potius de laudibus Pompeii, inter virtutes imperatorias laborem in negociis, fortitudinem in periculis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, nec minus consiliũ in providendo commendat. Ac preceptũ est alterius nescio cuius autoris, utendũ consilio in arduis, celeritate in urgentibus, mora in periculosis, & experientia in dubiis.

MOX

XLVI.
MOX VERNO TEMPORE PRODIT.



Dum mala sævit hyems, latita, mox veris amicæ
Profer maturum tempore consilium.

VARRO

VARRO *lib.* III. *de re ruſtica, cap.* IX. *Meleagridas vocat gallinas Africanas, quæ aliis ſunt Numidicæ, quæ ad nos quoq; deferuntur. Quamquam vero Geſnerus noſtras vulgo dictas Indicas gallinas ad Meleagridas recenſeri poſſe exiſtimet (ſicuti quoq; Turnerus Anglus, & Bellonius Gallus) rectius tamen pavonem Indicum vel Gallopavum nominari, idem Gesnerus putat. Sed Gillius interpres & commentator Aeliani lib.* XVI. *de Animal. cap.* II. *exiſtimat, Gallinaceũ Indicum debere appellari. His verò avibus quaſi peculiare hoc eſt inſitum, ut ad iram provocatis, cutis circa collum ſanguineo colore ſplendeſcat, & criſta ipſius varii coloris infletur, & ad nares uſq; protendatur, caputq; nudũ pelle purpuraſcẽte obducatur, quam antea laxam & quaſi vacuam, cũ irritatur ſic inflat, ut ad brachii nonnunquã craßitudinem accedat, ac tum vox cum fragore aliquo per collum redditur. Quæ omnia in hac ave peregrina vere* ἦθος *& mores iracundiæ exprimunt, ut vix aliquid accommodatius excogitari poſſet. Eſt autem hoc dictum ex Claudiano de* IV. *conſulatu Honorii deſumtum, ubi ait:*

> Iram ſanguinei regio ſub pectore cordis
> Protegit, imbutam flammis, avidamq; nocendi,
> Præcipitemq; ſui, rabie ſuccenſa tumeſcit.

Cum quo convenit Perſius lib. III.

> Nunc face ſuppoſita, ferveſcit ſanguis, & ira
> Scintillant oculi, dicisque facisq; quod ipſe
> Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

Seneca quoq; in lib. de ira eam luculenter deſcribit his verbis: Nam in ea facies turbatior ora pulcherrima fœdat, torvos vultus ex tranquillitate reddit, linquit decor omnis iratos. De remediis verò contra hunc tam impetuoſum affectum aliorum ſcripta conſulantur.

XLVII.

RABIE SVCCENSA TVMESCIT.



Quam deforme malum ferventi accensa furore
Ira sit, iratis Indica monstrat avis.

COLVMELLA *lib.* VIII. *rerum rusticarum de pullo anserino tractans, cavendum est, inquit, ne aut aculeis urticæ compungatur, aut esuriens mittatur in pascuum. Nam si adhuc parum firmus & indigens ciborum pervenit in pascuum, fruticibus aut solidioribus herbis obluctatur ita pertinaciter, ut collum abrumpat. Paulo aliter Varro, & Plinius, è quibus posterior lib.* X. *cap.* LIX. *ita scribit: Pullis anserum urtica contactu mortifera. Nec minus aviditas nunc satietate nimia, nunc suamet vi, quando apprehensa radice, morsu sæpe conantes avellere, ante colla sua abrumpunt. Sic unusquisq; magna constantia in rebus laudabilibus ac honestis perseverare posthabitis omnibus difficultatib. debet. Dicit autem Cicero* II. *de Invent. perseverantiam esse in re bene considerata stabilem ac perpetuam permansionem, sicuti ibidem patiẽtiam ait honestatis ac virtutis caussa esse arduarum rerum ac difficilium voluntariam ac diuturnam perpessionem, ac constituit utramq; virtutem partes fortitudinis. Plutarchus in Laconicis institutis quandam Lacænam filio scutum tradentẽ refert dixisse,* τέκνον ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶς: *Fili aut hanc aut super hac, nimirum aspide. Vnde Sybarita quidam, ut est apud Stobæum, cum peregrinatus Lacedæmonẽ venisset, moribus civium perspectis, & inprimis cõsiderata patientia, ad quam statim à pueris sese assuefacere coguntur, Cicerone etiam teste in Tusculanis Quæstionibus, nihil illos mirum præstare dixit, quod ita facilè mortem in bello obeant, veriti scilicet ne ita duriter vivere cogantur. Sic quoq; legimus apud Xenophontem de Cyri institutione lib.* I. *Non ita victum illum refugisse, ut nollet in eo ipso quo inferior fuisset, amplius occupari, sed versatum esse in experiundo idem iterum facere rectius.*

XLVIII.

DEFICIAM AVT EFFICIAM.



Consiliis suffulta bonis constantia, multum
Rebus in inceptis utilitatis habet.

ONOCROTALI *dictionem græcam volunt esse, à voce asini rudentis desumtam. Itali hodie adhuc Grotto vel Agrotto vocant, Galli goutterese quasi gutturosam, ab ingluvie, quæ strumæ instar dependet. Olim à Trua vasis genere (ut vult Verrius Flaccus) dicebatur Truo. unde Cæcilius comicus, secundum Festum, irridens quendam ob nasi magnitudinem, Truonẽ nominabat. Huc refertura vis illa Mechlinicatis, quẽ vulgo* Vogel Hein *nominabant, & ultra octoginta annos vixisse dicitur, de qua plura non sine admiratione apud Gesnerũ & alios legũtur. Bellonius in observationibus Hodæporicis refert, ad Gazarã Aegypti urbem se vidisse greges Onocrotalorũ versus mare volantiũ. Plinius sæpius indicato lib. cap.* XLVII. *ita describit: Olorum similitudinem Onocratali habent, nec distare existimãtur omnino, nisi illis inesset alterius uteri (quidã legunt ventris) genus. Huc omne animal inexplebile congerit, mira ut sit capacitas, mox perfecta rapina sensim inde in os reddita in verũ alvũ ruminãtis modo refert. Gallia hos septẽtrionali proxima Oceano mittit. Qua icone repræsentatur egregie gulæ & ingluviei deditus, q Græcis est* γαστρίμαργος, *& Iulio Polluci* γλωσσογάστωρ, *scilicet, qui sua helluatione & voracitate omnia cõsumit, & cui*

in solo vivendi caussa palato est,

secundum Iuvenalem.

Quod vitium sane detestandum quamvis nimis vulgatum, Lucanus non parum reprehendit, lib. IV.

——o prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu, &c.

Potest quoq; intelligi de alio, nimia cupiditate habendi, & immodico appetitu laborante, præsertim avaritiæ causa, cum immensæ opes per fas nefasq; cum aliorum maximo damno corraduntur. Quo Pittaci illud pertinet:

ἄπληστον τὸ διαπαντὸς κέρδος.
Quæsitum ubiq; lucrum inexplebile.

PARVVS NON SVFFICIT AMNIS.



Qui nequis expleri ventrem, mentémve vel arcam,
Piscivori effigiem cernito Onocratoli.

CANORVM *animal Cicero lib.* II. *de Divinat. gallum gallinaceum vocat, & ante lucẽ canere inquit, quem Plin. lib.* X. *ita describit: Proximè gloriam sentiunt & hi vigiles nostri nocturni, quos excitãdis in opera mortalibus, rumpendoq́ somno natura genuit. Norunt sidera, & ternas distinguunt horas interdiu cantu. Cum sole eunt cubitum, quartaq́ castrensi vigilia (id est, secundum Vegetium lib.* III. *hora tertia post mediam noctem) ad curas laboresq́ revocant. Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq́ venientem nunciant cantu, ipsum verò cantum plausu laterũ. Idem Aelian. plurib. verbis exponit lib.* IV. *cap.* XXIV. *Caussam huius rei Cicer.* II. *de Divinat. & Lucianus in Dialogo de somnio sive gallo, & Heliodorus in Aethiop. reddere conantur. Non etiã sine ratione legitur apud Iobum cap.* XXXVII. *Quis dedit gallo intelligentiam? Convenit itaq́ hoc symbolum homini industrio, omnia magna attentione ac vigilantia peragenti: quales inprimis omnes pietati addicti, & præterea aliis in religione præfecti esse debent. Quare D. Ambr. lib.* V. *cap.* XXIV. *hanc similitudinem eleganter explicat, ubi ait: Galli cantus suavis est in noctibus, nec solum suavis sed etiam utilis, qui quasi bonus cohabitator & dormientẽ excitat, & solicitum admonet, & iter facientem solatur, pressum noctis canora significatione protestãs. Hoc canente, latro suas relinquit insidias; hoc ipso lucifer exercitatus oritur, cœlumq́ illuminat; hoc canente mæstitiam trepidus nauta deponit, omnisq́ crebro vespertinis flatibus excitata tempestas & procella mitescit; hoc canente devotus affectus exilit ad precandũ, legendi quoq́ munia instaurat, &c. Additum alibi legitur:* EXCITAT AVRORA. *Paradinus ascripsit,* PACIS ET ARMORVM VIGILES: *quæ cum prioribus conveniunt.*

CVRA VIGIL.



Vt cum laude geras res, expergiſcere, magnas,
Et tibi ſit galli cura magiſtra vigil.

VETERUM sapientum quidam adhortans adolescentes ad diligentiam adhibendam in suis studiis ac laborum perseverātiam & quandam ἀοκνίαν, solitus est dicere, aves cohortales suavissimas habere carnes, si non abundantiore esca saginentur, sed διὰ τὸ σκαλεύειν, id est, rimando & fodiendo ipsum solum, sibi quærant cibum. Sic qui veram & solidam doctrinam & laudabilem rerum utilium cognitionem conquirere student, in eruendis & perscrutandis accurate ac sedulo veterum scriptis ac monumentis multum temporis & laboris impendere debent. Nam secundum proverbium græcum, ἐκ τοῦ πόνου κλέος, id est, ex labore gloria: Vel ut Euripides breviter dixit, πόνος εὐκλείας πατὴρ, id est, labor gloriæ genitor: cui simile est dictū Aeschyli.

τῷ πονοῦντι ἐκ θεοῦ
ὀφείλεται τέκνωμα τοῦ πόνου κλέος.

Laboranti à Deo
Debetur fœtus (præmium) illius gloria.

Versatur quoque in ore quidem multorum, sed non semper in animo aut opere Epicharmi versus, quem etiam Xenophon lib. II. *ἀπομνημονευμάτων commendat,*

τῶν πρεπόντων πόνων πωλοῦσιν πάντα τ' ἀγαθ' οἱ θεοί, *id est,*
Convenientibus laborib. vendunt nobis omnia bona divi.

Plutarchus tamen in comment. περὶ πολυπραγμοσύνης aliter nimirum ad curiositatem hæc accommodat. Sicuti, inquit, gallina proposito sæpe alimento in angulum aliquem sese subducit, ubi vel in sterquilinio unicū apparet hordei granum: ita curiosi in medio sitos sermones & historias, & de quibus nemo prohibet aut indignatur quæri, prætereūtes, occultata & latentia cuiusq; familiæ mala colligunt. Alibi legitur ascriptum RIMANDO PINGVESCVNT, *Vel* PRÆBET INDVSTRIA VICTVM. *quod cum priore symboli huius explicatione convenit.*

PIN-

PINGVESCIT DVM ERVIT.



Rimatur vigili Sophiæ secreta labore,
Qui cupit Aoniæ frondis honore tegi.

GALLINARVM *amorem in pullos, & defensionem illarum acerrimam Plutarchus in comment.* περὶ φιλοστοργίας, *id est, de amore prolis describit his verbis: Gallinas autem quotidie ante oculos habemus, ac cernimus, quomodo pullos suos foveant, alias sub alas recipientes, aliis tergum conscendendum & undiquaq; aditum præbentes, simulq; blandam & gaudii indicē vocem edentes, eædem canes & angues fugiunt, cum sibi metuunt, cum vero pullis timent, defendunt, & ultra quam vires patiantur iis propulsandis certant. Hæc ille. Inprimis vero sese opponunt milvis & accipitribus rubetariis, qui pullis insidiantur, quod certamen pulcherrime describit Oppianus lib.* III. *Cynegeticorum. Ac scimus ipsum Salvatorem nostrum charitatem & solicitudinem pro genere humano ostendentem hac similitudine usum Matth. cap.* XXIII. *& Lucæ* XIII. *quæ etiam legitur Esdræ lib.* IV. *cap.* I. *Et sanctus vates Psalmo* LVII. *hac quoque metaphora utitur: In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Sic rectè ad alios fideles principes & magistratus solicitos transferri potest. Quare hoc elegans symbolum ascribitur in Genealogia Austriaca Alberto Comiti Habspurgēsi* XVIII. *principi optimo ac fortiss. patri Rudolphi* I. *Imperatoris Romanorum: qui contra infideles gentes egregiam navavit operam, ut testantur plures de illo historiæ. Desumtum autem est hoc dictum ex Horatiano versu lib.* III. *carm. od.* II.

Dulce & decorum est pro patria mori.

Georgietta Montana nobilis fœmina Galla in suis Emblematis Christianis voluit ascribere, IBI LICET ESSE SECVRIS, *cum gallico tetrasticho, quod ita quidam in latinam linguam convertit:*

Gallina ut teneros alis tegit anxia pullos,
Ex alto accipiter dum facit insidias:
Sic quoque curabit Christus, contraria nobis
Ne sceleratorum facta nocere queant.

DVL-

DVLCE ET DECORVM EST.



Gallina ut timidos defendit provida pullos,
Sic populum auxilio Rex tegit ipse suo.

S*VNT quædam animalia, potiss. ex avibus, quæ capite tantum quocunque modo occultato, se universo etiam corpore reliquo similiter latitare opinantur, qua stulta persuasione decepti sæpe capiuntur. Quod Struthocamelus quoque, referente Plinio lib.* IX. *ab initio, & perdix, secundum Olaum Magnum, atque Phasianus in nive factitare dicitur. Idem de Sciæna pisce Oppianus* IV. *Halieut. tradit. Nos hic Phasianum proponimus, qui à phasi vel phaside fluvio apud Colchos, ubi id genus avium copiosè reperitur, nomen accepit, unde in alias regiones fuit exportatum, ut Martialis habet,*

Argiva primum sum transportata carina,
Ante mihi notum nil nisi phasis erat.

Proponitur hic nobis stolidæ persuasionis luculenta imago, cum videamus multos, qui vano opinionis errore seducti ac excæcati sua enormia flagitia apud DEVM *& homines se posse tegere existimant, instar infantum, qui male sibi conscii apposita manu faciem velant, vel oculos claudunt, & sic se putant à nemine conspici. Hoc vitium juvenibus nimis usitatum ita Menander describit.*

ἐγὼ γὰρ ὦνδρες, ἡνίκ' ἦν νεώτερος,
ἐδόκουν μὲν, ἐφρόνουν δ' οὐδέν. ἀλλὰ πάντα μοι
κατὰ χειρὸς ἦν τὰ πράγματ' ἐνθυμουμένῳ,
νῦν δ' ἄρτι μοι τὸ γῆρας ἐντίθησι νοῦν, *id est,*
Ego enim o viri cum junior essem,
Opinabar quidem, sed nihil sapiebam. Verum omnia mihi
In manu erant negocia, quæ cogitabam,
Nunc demum vero mihi mentem senectus inserit.

Demosthenes quoque alibi dicit, ῥᾷστον ἁπάντων εἶναι, αὑτὸν ἐξαπατῆσαι, *id est, omnium facilimum esse, seipsum decipere. Et vetere proverbio effertur; Sabini quod volunt, somniant.*

FALLIT OPINIO.



Ah miser, etsi quis caute sua crimina celat,
Hæc tamen æterno sunt manifesta DEO.

IN libello mirabilium narrationum Aristoteli ascripto, de insula Diomedea, quæ hodie S. Maria de Tremita vocatur, hæc leguntur. Aiunt in ea esse templum Diomedis sacrum & mirabile, idq; circumsideri undiq; avibus insigni magnitudine, quarum magna & dura sint rostra. Eas si Græci homines advenerint, quiescere: sin vero ex vicinis locis barbari aliqui, subvolare & è sublimi præcipites capita eorum ferire, rostrisq; ad mortem usq; vulnerare. Quod tamen nostris temporibus à nemine observatum fuisse putatur. Et de Diomedeis avibus idem ferè narrat Aelianus de animal. lib. I. *cap.* I. *& simile quippiã de avibus Memnoniis lib.* V. *Animal. cap.* I. *Fabulantur autem poëtæ, Diomedis socios, cum ipse ab Aenea regionum illarum rege dolo occisus esset, naufragio circa hanc insulam facto, in aves eiusmodi esse mutatos: cujus quoq; Strabo lib.* VII. *& Aelianus lib.* I. *Animal. cap.* I. *una cum Plinio meminere. Vocant adhuc nostro tempore has aves vulgo incolæ Ardennas, tanquam ardeas, cum Plinius dicat esse instar fulicarum. Misit autem hujus accuratam designationem ad me D. Vlysses Aldrobandus rerum Naturalium peritiss. professor Bononiensis, cujus libri absolutiss. de Avibus & aliis rebus, quos ad editionem adornat, avide exspectantur. Paratur nunc etiam ex pinguedine harum avium unguentum, quod in morbis articularibus in Italia magni fieri solet. Placuit autem hoc symbolo Duci Neapolitano de Matalona dicto uti eo tempore, quo una cum Duce Albano contra Pontificem Romanum Paulum* IV. *propinquum suum bellũ gereret, ut eo ostenderet, multo pluris se facere fidem datam ac juratam Regi suo, quam consanguinitatem arctiorem cum Pontifice, absq; quo fuisset potius ad exemplum istarum avium suos defendere & exteros abigere voluisse.*

MVTA-

LIV.

MVTATVR NATVRA FIDE.



Quæ semel est promissa fides, servanda perenni
Fœdere, & est ipsa sanguinitate prior.

HALCEDO, *quæ secundum Varinum Cerylus & Ceyx est, græcis dicitur* ἀλκύων, παρὰ τὸ κύειν ἐν ἁλί, *id est, quod in mari pariat, non quasi ales Oceana, ut opinatur Isidorus. An vero cum aspiratione vel sine illa sit hæc vox exprimenda, disputant grammatici, cum apud veteres utrumq; fuerit in usu. Aristoteles lib.* IX. *de hist. Animal. cap.* XIV. *dicit non multo esse majorem passere, colore tum cæruleo tum viridi, tum etiam leniter purpureo insignem, rostro subviridi, longo & tenui. Quem colorem Cælius Calcagninus hirundini marinæ vulgo nuncupatæ convenire scribit. Est autem adeo maris amans, ut etiam, secundum Oppianum, prope fluctus nidificet, idq; in hyeme circa brumam mari tranquillo, quos dies Alcedonia nominat Plautus. De admiranda quoq; nidi constructione Aristoteles, Plutarchus, Aelianus, Oppianus, & alii, nec non D. Basilius & S. Ambr. in Hexaëmer. multa annotarunt: ac Lucianus integrum dialogum Alcyonis nomine inscripsit. Estq; typus hæc avis prudentis viri, qui in mediis Rep. procellis sibi prospicere, & quietiora ac tranquilliora tempora expectare novit. Quare Iovius hoc symbolum voluit excogitare in gratiam Fliscorum Nobilium Genuensium, qui contra multorum aliorum sententiam à Rege Galliæ ad Cæsaris Caroli* V. *partes sese contulissent, fuitq; hæc gallica addita inscriptio,* NOVS SAVONS BIEN LE TEMPS, *id est, nobis est bene notum, quando tempus vel occasionem adversus nostros adversarios aliquid agendi debeamus arripere. Alii addiderunt:* SAT CITO, SI SAT TEMPESTIVE. *Quod congruit cum præcepto Pittaci, unius ex septem sapientibus,* γνῶθι καιρὸν, *id est, nosce opportunitatem, & cum Hesiodea sententia,*

καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος,

Occasio omnium rerum optima est.

NOBIS

LV.

NOBIS SVNT TEMPORA NOTA.



Ni via tuta maris, navem ne credito ventis,
Provida ut exemplo te monet Alcyone.

MERGUS, *inquit Isidorus, ab assiduitate mergēdi nomen accepit. Sæpe autem in profundum dimisso capite aurarum signa sub fluctibus colligit, & prævidens æquoris tempestatem, cum clamore ad littora tendit. Quod Plinius quoq; confirmat, & hujus fabulam exponit* Ovid. XI. *Metamorph. quam tali versu concludit,*

Æquor amat, nomenque manet, quia mergitur illi.

Græcis, ut sentit Gesnerus, ex Gaza & Scaligero, putatur esse αἴθυια à colore, quamvis Wottonus aliter sentiat. Hoc symbolū inprimis convenit illis, qui rebus difficilibus & asperis agitati, nunquam animum despondent, sed forti animo ac constāti semper sese sustentant, & tandem etiam eluctantur. Talis fuit Vlysses, de quo Horatius I. *Ep.* II. *canit, quod fuerit:*

adversis rerum immersabilis undis.

Sed inter alia multa præclara dicta locum aliquem etiam habere potest Boëthii carmen lib. I. *metro.* IV. *expositum.*

Quisquis composito serenus ævo
Fatum sub pedibus regit superbum,
Fortunamque tuens utramque rectus,
Invictum potuit tenere vultum,
Non illum rabies, minæque ponti
Versum funditus excitantis æstum,
Nec ruptis quoties vagus caminus
Torquet fumificos Veseuus ignes,
Aut celsas soliti ferire turres
Ardentis via fulminis movebit.

Voluit autem hoc symbolo Cæsar de Aquino Comes Maturani declarare, familiam ipsius ferme submersam & extinctam, per eum rursum invicto animo avitam gloriam & celebritatem recuperasse. De cujus magnanimi viri fortissimis factis plenæ sunt historiæ Neapolitanæ à diversis editæ.

MER-

MERSVS VT EMERGAM.



Non raro mediis vir fortis mergitur undis
Adversæ fortis, nec tamen obruitur.

DE Cornicum maritali amore, castitate simul & concordia, multa apud scriptores rerũ Naturalium habentur, & Aristoteles ac Plinius perhibent, cornicũ fœminas solas incubare, mares vero his cibũ suppeditare & incubãtes pascere. Ac secundũ Plinium sola cornix pullos volantes aliquandiu alit. In nuptiis quoq; (referente Horapolline) Græci ob harum avium cõcordiam duas cornices appingi curarunt, acclamantes ἐκκορεὶ κορεὶ, *cum cornicẽ* κορεὶ *appellarent, prius verbum ignorantes. Romani similiter per ciconiã & cornicem in suis nummis concordiam repræsentabant, ut apparet in Faustinæ posterioris nummo, ubi ad cornicem ascriptũ est:* CONCORDIA. *Iucundiß. autem sunt Phocylidis versiculi:*

> Στέργε τεὴν ἄλοχον. τί γὰρ ἥδυτερον καὶ ἄρειον
> ἢ ὅταν ἀνδρὶ γυνὴ φρονέῃ φίλα γήραος ἄχρι,
> Καὶ πόσις ἧ ἀλόχῳ, μηδ᾽ ἐμπέσῃ ἄνδιχα νεῖκος;
> Tuam ama conjugem. Quid enim suavius & præstantius,
> Quam si viro consentit caro uxor usque ad senectam,
> Et maritus suæ uxori, neque inter eos incidit contentio?

Ac D. Augustin. lib. I. *de civitate* DEI *cap.* XXI. *recte ait, Quæ harmonia Musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, arctißimum atq; optimum vinculum in Rep. incolumitatis, eamq; sine justicia (quæ hic per Sceptrum innuitur) nullo pacto esse posse. Sed tam concordiæ encomia, quam discordiæ vituperationes à pluribus autoribus abunde sunt expositæ. Volui autem hoc symbolũ eo libentius apponere, quod tres corniculæ nostræ familiæ antiqua sint insignia, quibus jam ultra trecentos annos nunquam interrupta serie,* DEI *benignitate, utimur. De quibus parentis nostri, p.m. Epigramma græcolatinum Rhetoricis ipsius & aliis libris præfixum legi poterit. Dictum verò picturæ ascriptum desumsimus ex* II. *Ecloga Calpurnii. Este pares & ob hoc concordes vivite &c.*

CONCOR-

LVII. CONCORDES VIVITE.



Iuncta pudicitiæ si sit concordia, sancto
Conjugio haud quicquam dignius orbis habet.

PICARVM, *quæ græcis est κίσσα, duo habentur genera: quorum unum est illud varium & caudatum ubiq; notum, olim tamen, ut apparet ex Plinio, in Italia rarius: alterum picam glandariam sive garrulum vocant*, ein Häher/ *secundũ Gesnerum. Vtrumq; genus sermonem humanum addiscit; minor tamen illius nobilitas (ut Plinii verbis utar) quia nõ ex longinquo venit. Ovidius* V. *Metamorph. Pieri filias in has aves mutatas fingit. Constantinus Landus doctiss. Comes in veterum Numismatum eruditis interpretationibus docet Hieroglyphica Aegyptiorum pro homine sibimet ipsi medente pinxisse vel picam lauri folium ore tenentem, vel leonem simiam comedentem, de quo posteriore in* II. *Centuria aliquid diximus. Sed in Hieroglyphicis Horapollinis nuper ab eruditiss. viro Davide Hæschelio, Rectore Scholæ Augustanæ, amico meo singulari, græce ac latine editis, hoc legitur de Palumbo, quæ φάσσα est græcis, non multum absimili dictione à κίσσα. At quomodocunque hæc se habeant, symbolum hoc non male convenit cordatis & animosis, qui non ab aliis pendentes & auxilium eorum expetentes, seipsos in rebus adversis sua virtute, patientia & αὐταρκείᾳ sustentant, & sibi satis firma remedia inde conquirũt: quales tanquam publice privatimque optimos esse apud Thucydidem lib.* II. *Pericles ait,* ὅιτινες πρὸς τὰς ξυμφορὰς γνώμῃ μὲν ἥκιστα λυποῦνται, ἔργῳ ἢ μάλιστα ἀντέχουσιν, οὗτοι καὶ πόλεων καὶ ἰδιωτῶν κράτιστοί εἰσι, *id est, qui in rebus adversis non franguntur animo, sed reipsa maxime resistunt, & in Repub. & in vita privata sunt optimi. Referri etiam huc poßit apologus de caßita ex Gel. lib.* II. *cap.* XXIX. *ubi hic Ennii versus refertur:*

Ne quid expectes amicos, quod tute agere posfies.

De quo infra Emblem. LXXIII.

EGOMET MIHI GESTO, QVOD VSV ST.



Ne pende ex aliis, in te tua cuncta repone,
Id te etiam volucris, se medicata, docet.

De

DE Columbis emissariis, quæ Veredariorum loco habentur, & litteras in remota quoque loca perferunt, plura tam apud veteres quam recentiores fide digna exponuntur, quod inprimis Plinius lib. x. confirmat his verbis: *Quin & internunciæ in rebus magnis fuere, epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra consulum Decimo Bruto mittente.* Similia legimus apud Aelianum lib. IX. de animal. cap. II. & multos alios. Sed & in Genes. cap. VII. habemus, Nohamum cessante paulatim ex divina gratia universali diluvio, columbam (avem propter simplicitatem & castitatem etiam testimonio sacrarum litterarum commendatam) ex arca emisisse, & hāc quidem prima vice nondū reperisse locum, in quo consistere posset, atque ideo ad eū rediisse, sed post septimum diem (quem numerum tradunt Doctores significare iræ mitigationē & remissionē) vespere reversam attulisse in ore ramum oleæ, quod & ipsum signū pacis & divinæ reconciliationis extitit. Pulcrè igitur August. doctr. Christ. lib. XI. c. XVI. *Pax perpetua significatur oleæ ramusculo, quē rediens ad arcam columba, pertulit, quia olei lenis contactus non facile alieno humore corrumpitur, & arbor ipsa frondet perenniter.* Ad eundem modum æternus DEVS per sanctū Spiritū petentibus pacem & gratiam suam offert, idque propter sacratiss. meritū CHRISTI. Contilis albam columbam in aere cum ramo oleæ pingit, adjecto dicto, INTVS ET EXTRA. Nam quēadmodum columba dicitur carere felle, & candidum colorem exteriorem præ se fert, ita quoque unusquisque vera pietate & simplicitate præditus operam dare debet, ut cunctæ ipsius actiones externæ candidis ac bonis cogitationibus respondeant, omniaque ipsius dicta ac facta cum saluberrimis præceptis divinis semper congruant. *Quicquid enim fide integra & mente sobria offertur, à Spiritu sancto perficitur,* ut D. Ambrosius in XV. S. Pauli Epistolæ ad Romanos docet.

LIX.

DIVINÆ NVNCIA PACIS.



Ore columba oleæ fert ramum, insignia pacis,
Quam seris in verbo Spiritus alme tuo.

COLVMBA *est græcis* περιστερά, παρὰ τὸ περισσῶς ἐρᾷν, *id est, quod supra modum amori sit dedita. quare veteres dicarũt Veneri, & Aeneas ideo apud Virgil.* VI. *Aeneid. maternas aves nominat, utque est apud Apuleium, Phurnutum & alios,* μυθολογικῶς *currum Veneris, propter ipsarum puritatem & castitatem trahere finguntur. Quod Ovid. quoq;* XV. *Metamorph. testatur.*


Perq; leves auras junctis invecta columbis,
Littus adit Laurens ———

Adduntur faces nuptiales, quæ conjugii amorem & ardorem apud veteres innuebant. Vnde hoc symbolum conjugib. unanimiter & pudice viventibus veroq; amore devinctis destinatum est. Atq; hac similitudine columbarum quoq; utitur Tertullianus in libro de Monogamia. & noti sunt Propertii versus lib. II. *Eleg. O me felicem.*

Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus & totum fœmina conjugium.

Syracides quoq; cap. XXV. *inquit, De tribus forma mea (dicit sapientia) enituit, & surrexi formosa coram Domino & hominibus.* I. *De concordia fratrum.* II. *Et amicitia proximi.* III. *Et tertium est vir & uxor qui se mutuo tolerant. Quo in loco multa in vituperationem improbarum mulierum adduntur, cum veterum quispiam etiam de talibus scripserit, omnium bestiarum sævitiam harum immanitatem superare. Extant quoque nummi argentei Faustinæ, ac Iuliæ piæ coniugis Severi Imperat. in quibus conspicitur matrona sedens in sella, tenens una manu sceptrum; ad cuius pedes sunt duæ columbæ candidæ, indicantes puritatem & castitatem conjugii. Vt enim Eusebius dixit:* Γάμυ ἀρίστη ξυμφωνίη, ἀμφοτέρυς σωφροσυνην ἀσκέειν: *Optimus consensus est nuptiarum, si uterq; coniunx temperantiam exerceat.*

SIT SINE LABE FIDES.



Conjugii servant socialia jura columbæ,
Et grata est superis sancta in amore fides.

VIRGILIVS VI. *Aeneid. eleganter describit geminas columbas Aeneam ad lucum & arborem, in qua aureus ramus positus erat, deducētes, quo μυθολογικῶς videtur poëta voluisse designare illas duas alas, quas animo humano in Phædro longa oratione attribuit Plato. Ac erudite admodum hoc symbolum explicat vir doctiss. Iohannes Anton. Viperanus in oratione* IV. *de perfecto hominis habitu, ubi ita scribit: Ad quam perfectionem (quando scilicet ad virtutum actiones exequendas quispiam bene affectus & rerum intelligentia perpolitus est) assequendam, quia non solum naturæ & doctrinæ adjumentis, sed etiam divini numinis afflatu opus est, egregie inquit poëta,*

—Pauci quos æquus amavit
Iuppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere.

Id quod idem poëta suis commentis sapientissimis commendavit. Nam Aeneam inter densam atq; asperam sylvam ramum aureum quærentem introducit, sine quo ad patrem aditu prohibitus fuisset, atq; ad eum duas columbas à matre Venere immitti facit, quæ inter sylvestres sepes ad Iunoni sacram arborem volatu suo viam monstrent,

Tollunt se celeres, liquidumq; per aëra lapsæ
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

Aurum propter eximium splendorem, sapientiam mihi designare videtur, qua nihil optabilius nihil præstantius est. Sed tum inter falsas hominum opiniones & errores, tum inter acres aut honorum aut divitiarum curas, tum inter turbidos animi motus delitescit: tamen fas est nobis eam cum Deo comprehendere, actione & cognitione ducibus, quas geminæ columbæ significant.

VNDE

VNDE AVRI PER RAMOS AVRA REFVLSIT.



Auricomum geminæ ramum monstrate columbæ,
Vt nobis sancti fulgeat aura DEI.

PALVMBOS, *quos vulgo Torquatos vocant, nõ nisi peracto solstitio parere, autor est Plin. lib.* X. *cap.* XXXIV. *& in lib.* XVIII. *ait, Trãsiisse Solstitiũ caveto putes, nisi cum incubantem videris palumbum. Alciatus vero Emblemate* CXCIII. *ait, palumbos in frigore nidificantes sibi proprias pulmas evellere, ut pulli molitius foveãtur, etiam cum suo incommodo. exemplum appositum admodum* φιλοστοργίας. *Sed in græco Epigrammate Antipatri, unde sumsit Alciatus, gallinæ fit mentio, idq; integrum propter eius elegantiam ascribere visum fuit.*

χειμερίαις νιφάδεσσι παλυνομένα πτᾶς ὄρνις
τέκνοις εὐναίας ἀμφέχεε πτέρυγας,
μέσφα μιν οὐράνιον κρύος ὤλεσεν. ἡ γὰρ ἔμεινεν
αἰθέρος οὐρανίων ἀντίπαλος νεφέων.
Πρόκνη καὶ Μήδεια κατ' ἄϊδος αἰδέσθητε
μητέρες ὀρνίθων ἔργα διδασκόμεναι.

Græca ita vertebat D. Cunradus Rittershusius:

Vndiq; ab hiberna gallina nive obruta matrix,
Alas in pullos explicat, hosque fovet:
Nec prius absistit, quam frigore mortua cœli:
Sic quoq; defendens permanet usq; nives.
Medea & Progne, si quid sentitis, ad orcum
Talia nonne avium cernere facta pudet?

De magnitudine autem amoris parentum erga liberos præclarè disputat Xenophon lib. II. ἀπομνημον. *in colloquio Socratis cum filio, & Plutarchus in peculiari libro* περὶ φιλοστοργίας, *in quo non pauca exempla quoq; ex brutis desumta, nimirum Alcyone, Fele, Vrsa, Perdice & Gallina proponit, quæ hic verbosius exponere non est nostri instituti. Breviter, sed vere Euripides in Alcmene:*

Δεινόν τι τέκνων φίλτρον ἔθηκε θεὸς ἀνθρώποις,

Vehementem in liberos amoris affectum Deus dedit hominibus.

DVRIS-

DVRISSIMA PERFERT.



Vt vigeant gnati, genitor se affligere suevit,
Insuper & propriis se spoliare bonis.

TVRTVREM, dicit Aristoteles lib. IX. *histor. Animal. uno mare contentam sicuti palumbum vivere, nec alterum recipere. De qua multa Aelian. lib.* III. *cap.* XLIV. *ubi refert inter palumbos adulterii quoq; pœnam morte luere utrumq; sexum: in turturum verò & albarum columbarũ genere marem tantũ fœminæ ignoscere. Placuit autem hoc loco elegantiss. carmen doctiss. poëtæ D. Nathanis Chytræi, quod legitur in sacris ipsius fastis in Februario, ascribere:*

At tu præ reliquis avibus blandissime turtur,
Exemplum fidei & specimen constantis amoris,
Dic mihi, quid matres aris adhibenda docebas?
Vnius & solius amor te comparis urget,
Cum quo dulce tibi viridi considere ramo,
Cum quo dulce novis implere nepotibus agros,
Cum quo dulce mori. Sed enim dum vivitis, unus
Est animus vobis, est mens, est una voluntas,
Vna fides, studiumq; unum; simul occidit alter,
Non gemere aërea viduus desistit ab ulmo,
Implens flebilibus late nemus omne querelis.
Non illum novus urit amor: memor ille prioris
Conjugii, solus superantes exigit annos,
Solus & insterili expectat sua funera ramo.
Fallor an hæc matres imitari exempla volebat
Turturis ipse Deus? nihil illis aptius omne
Conjugis officium laudataq; fœdera pingit.

Typus profectò eximius matrimonii fidelis, de quo etiam Horatius lib. I. *od.* XIII.

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

Estq; hoc symbolum inventum & celebratum cum hac pictura in gratiam sereniss. Iohannæ Austriacæ, cum nuptias celebraret cum sereniss. Magno Duce Florentiæ Francisco &c.

LXIII.

CONIVNCTIO FIDA.



Castæ persistunt æterno in amore columbæ,
Quo sint humani regula conjugii.

TVRTVR *secundum Isidorum & alios à vocis sono ita vocatur, græcis est τρυγὼν à τρύζειν, ut vult Eustathius & Varinus, cum quoque στένειν dicatur, quod utrumque est gemere: unde Virg. in Bucolic.*

Nec gemere aërea cessabit turtur ab ulmo.

Solent autem eundem sonum in cantu & gemitu usurpare, sive læti seu tristes esse videantur. Idem factitant illi, qui in fortuna tam secunda quam adversa rerum humanarum vicißitudines æquabili quasi harmonia ferunt. Cuius rarũ exemplum nobis proponitur in Socrate, de quo Cicero Tusc. Quæst. lib. III. *hæc memoriæ prodidit. Hic est ille vultus semper idem, quẽ dicitur Xantippe prædicare solita in viro suo Socrate fuisse, eodem vultu semper se vidisse euntem illum domo & revertentem. Itemque* I. *lib. offic. inquit: Præclara res est æquabilitas in omni vita, & idem semper vultus eademque frons, ut de Socrate, idẽque de Lælio accepimus. Quod Horatius quoque monet lib.* II. *carm. in illa præclara ode* III. *ad Q. Delium.*

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia moriture Deli.

An vero facilius sit res secundas aut adversas eodem modo, & animi æquabilitate ferre, ambigitur, & disputant de eo Philosophi, quemadmodũ apud Aristotelem in Ethicis, Senecam & alios videre possumus, quæ omnia colligens satis verbose tractat Petrarcha in præfatione librorũ de Remediis utriusque fortunæ, ubi tam præcepta quam exempla admodum utilia nõ pauca proponuntur. Extat quoque de eadem re disputatio apud Muretum variarum lectionum lib. V. *cap.* XV.

IDEM CANTVS GEMITVSQVE.



Fortis in adversis, timidus sed vive secundis,
Neu te hæc extollant, illáve dejiciant.

ACADEMICI quidam doctiſsimi Ticinenſes, qui ſe Affidatos, id eſt, receptos in fidem aliorum, nominarunt, pro ſuo Academiæ ſymbolo elegerunt avem, quæ volatu ſuo ad ſtellam Mercurii tendit, infra quam pullus ex ovo quaſi proſiliens, & alas quoque ad volandum expandens conſpicitur. Vocant autem avem hanc Stellinum, quod tamen nomen nec apud veteres neque recentiores invenitur, uno excepto Aſculano, ut refert Contilis, ex cuius Italico libro hæc deſumſimus. Alii voluerunt eſſe Aſteriam vel Stellarem Ariſtotelis, cuius facta eſt mentio inter ardeas. Scribit autem Aſculanus ille de Stellino, eum pulchritudine cœli & inprimis ſtellæ Mercurii mirifice affici, atque Aſteriam dictam, quia tendit ad aſtra: intentamq́; in hanc ſtellam oculis, illiusque radiis oblectatam, ovi quod unguliscomplectitur, oblitam in terram id delabi ſinere, ex quo pullus enaſcatur, qui propter ſtridorem matris, ad ipſam nititur advolare. Sed cum Ardea ſtellaris in locis potiſ. paluſtribus vivat, ex ſententia Ariſtotelis & aliorum, eaq́; raro in altum ſeſe attollat, Stellini nomen illi haud conveniet. quare hanc vocem fictam eſſe, ſicuti quoq; illud de pullo ex ovo ſtatim delapſo putant. Quicquid verò ſit, docti ſtatuunt, hanc ingenioſam inventionem inter ſymbola alia rectè poſſe collocari, per quod ab Academicis iſtis ſtudium & cupiditas tam ad vitam θεωρητικὴν quam πρακτικὴν amplectendam notatur. Priorem quidem per avem ad cœlum & potiſ. ad ſydus Mercurii aſpirantem, in qua vera ſapientia & rerũ divinarum ſcientia continetur, poſteriorem autem per pullum eo quoq; reſpicientem, quæ in actionibus laudabilibus verſatur. Diſputat vero prolixè Ariſtoteles x. Ethic. Nicom. quod perfecta felicitas ſit θεωρητικὴ, alteram verò circa virtutes exiſtentem priore eſſe inferiorem.

VTRA-

LXV.

VTRAQVE FELICITAS.



Vivere praeclare, ac rerum cognoscere caussas,
Vnica & ad laudem atq; unica ad astra via est.

SELEVCIDVM *avium (ut Plinius refert lib.* X. *cap.* XXVII.) *adventum à Iove precibus impetrabant Casii, vel secundum alios Caspii montis incolæ, fruges eorum locustis vastantibus. Nec unde veniant quove abeant compertum, nunquam cōspectis, nisi cum præsidio earum indigent. Has doctiss. Iacobus Dalechampius in commentariis huic autori additis existimat esse ex Eloriorum genere. Meminit autem harum quoq; Galenus lib.* VI. *de locis affectis: ac Antonius Galatheus in libello de Iapygiæ situ, annotavit simili ratione avem quandam marinā, quam in Apulia Gainam nominãt, bruchos ibidē copiosissimos non solum devorare, sed etiā ova & fœtus eorū ubiq; consumere. Sic Aelianus lib.* III. *de Animal. cap.* XII. *idem scribit de monedulis locustarum fruges vastantium, ova & fœtus perdentibus, unde tanquam bene meritis Thessali, Illyrii & Lemnii, illis victum publicum præbendum decreverunt. Potest autē hoc symbolum convenire omnibus beneficis & liberalibus, & nihil nisi commoda & utilitatem aliorum inprimis egentium & calamitosorum spectantibus. Quod rectè etiam militibus strennis sine privato emolumento patriæ tantum juvandæ caussa suam operam aliis præstantibus, accommodari poterit, quorum utinam hisce temporibus periculosiss. ob Turcarum immaniss. tyrannidem plures numero quam proh dolor fieri solet, existerent: cum videamus potius (secundum Aurelianum) lachrymis sociorum quam præda hostium multos ex illis delectari. Sed consulatur hac in parte eruditiss. Iustus Lipsius lib.* X. *cap. ult. de re militari Romanorum secundum Polybium, quo in loco nostram militiam cum antiqua accuratè confert. Vtiliter etiam legetur Adrianus Turnebus in Panegyri de Calisio capto, ubi illum locum graviss. hoc versu concludit,*

Virq; in Christicolas, in Turcam fœmina pugnat.

NOS

NOS ALIIS.



Qui prodesse aliis studet, is sua commoda spernat,
Ne pereat turpi gloria pulchra lucro.

LXVII.

PICVS *Martius, quod Marti sit dicatus, ab Aristotele lib.* IX. *cap.* IX. *appellatur* δρυοκολάπτης, *quasi* δρῦν κολάπτων, *id est, quod suo rostro arbores (quas sub quercus nomine veteres intelligunt) tundat atq; excavet. Poëtæ fabulantur Picum Regem Latinorum in hanc avem mutatum à Circe propter denegatos amores, quod Servius in* VII. *Aeneid. (ubi huius rei sit mentio) ideo confictum ait, quod Picus augur esset, & domi istã avem aleret, per quam futura noscebat. Apud Aelianum lib.* I. *de Animal. cap.* XLV. *Plinium & Oppianum plura de illo legimus, quomodo in cavis arborum nidificet, & foramen ab aliquo obstructum, herba nescio qua rursum aperiat. Aristoteles quidem dicit picum humi nunquam consistere, sed scandere omnibus modis per arborem, aut resupinum more stellionum ingredi: & in fine addit: Iam verò mitescens quidam amygdalũ, quod rimæ inseruisset ligni, ut fixum cõstanter ictum reciperet, tertio ictu pertudit, ac nucleũ comedit, quod se quoq; observasse aliquoties Albertus asserit. Lucas Contilis hoc symbolum refert esse usurpatum à quodam nobili viro, qui suum nomen dederat privatæ Academiæ Ticinẽsi, quã intelligi voluit per abietem semper viridem & crescentem fore, quamdiu radiis Solaribus illustretur ac foveatur, in qua arbore rara hæc proprietas observatur, quod cacumine illius abscisso, non raro deinceps tota arbor exarescat. Seipsum verò intelligit per hanc avem, indicans se animo certo ac deliberato, quasi in sinu huius Academiæ, ex qua non exiguum suorum laborum & studiorum fructum ac præmium expectet, semper cupere permanere ac cõservari. Additur radius à stella Mercurii per arborem ad avem usq; penetrans, quo doctrinam & peritiam singularem huius Academiæ exprimere voluit: quod sane ut nimis longe petitum, non omnibus probari apparet, de quo aliorum esto judicium.*

MERCES

LXVII.

MERCES HÆC CERTA LABORVM.



Spernit humum picus, petit ardua: sic quoq; virtus
Appetit excelsis sacra reposta locis.

IN Hieremia Propheta cap. XVII. hæc habentur: Clamavit perdix, incubavit quæ non peperit, fecit divitias & non in judicio, in dimidio dierum suarum derelinquet eas, & in novissimo suo erit insipiens. Quem locum B. Hieronymus ita interpretatur: Perdix aliena ova calefacit, si propria furto amiserit, sed cum creverunt in nidis, pulli evolant, & ad parentes suos redeunt, ementitum omittentes. Eademq; ferè tradunt B. Ambrosius in Hexaem. & Augustinus contra Faustum Epistol. lib. XIII. ac Isidorus lib. XII. Accommodat etiam hoc symbolū, vel adagium B. Ambros. Epist. lib. VII. in hominem avarum, ubi ait: Quidam naturæ perdicis etiam istud aptandum putarunt, eo quod aliena diripiat ova, & foveat suo corpore, atq; hac sua fraude alienos studeat partus accipere: Ita avarus quoq; opes malis artibus conquirit ac corradit, quas tamen mox aut invitus veris possessoribus jure reddere, aut usum earum morte præventus amittere, ac aliis sæpenumero ingratis relinquere cogitur. Pierius Valerianus aliter explicans lib. XXIV. Hieroglyph. scribit, Theologos quosdam per perdicem malum dæmonem intelligere, qui DEI fœtum in pravitatis nido adulterina educatione sibi velit enutrire, per eam autem avem, quæ verè mater est, & ova ediderat, piorum conventum interpretari, ad quem ut legitimam matrem, simul ac vocem eius audierint, deserta falsa esse procurrendum. Tradit idem secundum Adamantium, etiam hac similitudine notari hæreticos, quorum genus instar perdicum sit malignum ac fraudulentum, ubi tamen ab aliis veræ matris, sanctioris quippe institutionis vox audita fuerit, eos deseri, atq; tandem pœnas suæ desipientiæ luere.

LXVIII.

FOVET QVÆ NON PEPERIT.



Quæ ſunt alterius perdix illa incubat ova,
Quasq́ alius peperit, poßidet alter opes.

DE Perdicis pulli nimis præcipitata exclusione Aelianus lib. IV. *de Animal. cap.* XII. *inquit: Perdicum fœtus intra ovum nunc etiam complicatione testarum comprehensi, à parentibus sui exclusionem ex ovis minime expectant, sed à seipsis tanquam fores pulsantes ova elidũt, & jam extra eminentes se impulsu suo impellunt, oviq; etiam nunc tegumento circumvestiti currunt, atq; à dimidia testæ parte, si adhuc circa caudam adhærescat, semet excutientes liberant, & velocissime ad cibi investigationem procedunt. Qua similitudine repræsentatur aptissime nimis præcox & celer in rebus suscipiendis progressus, cum festinatio modum excedens & præcipitantia inconsulta in omnibus consiliis & actionibus plurimum obesse soleat. Quare Herodotus recte monet,* ἐπειχθῆναι πᾶν πρῆγμα τίκτει σφάλματα, *id est, omnis res properando parit errores. Quod Plato etiam subjicit* VII. *de Rep.* τὸν σπεύδοντα ταχὺ πάντα διελθεῖν μᾶλλον βραδύνειν, *id est, Eum qui in omnibus expediendis festinat, magis retardari. Quo etiam spectat Luciani dictum:* ἡ βραδύπους βουλὴ μέγ' ἀμείνων. ἡ δὲ ταχεῖα αἰεὶ ἐφελκομένην τὴν μετάνοιαν ἔχει: *quod quidam hoc disticho vertit:*

Tardum consilium est melius quàm præcipitatum:
Nunquam non jungi cui metanœa solet.

Et notum est præceptum sapientissimum Biantis, νόει καὶ τότε πρᾶττε, *id est, cogita & postea rem aggredere. Elegantier etiam Apuleius de Deo Socratis: Nulla, inquit, res potest esse eadem festinata simul & examinata: nec esse quicquam omnium, quod habeat & laudem diligentiæ simul, & gratiam celeritatis. Ac exempla plurima tam recentia quã vetera in promtu sunt, quæ temeritatem ac præcocem celeritatem semper multum detrimẽti attulisse satis clare ostendunt.*

NVLLA

LXIX.

NVLLA MIHI MORA EST.



Vix exclusa volat perdix: sed sæpe ruinæ
Ingenium præcox unica caussa fuit.

LVSCINIA *tanquam lucinia putatur dicta Isidoro, quia suo cantu indicare diei surgentis exortum solet. Varro & Plautus Lusciniolam quoque vocant, quod luctuosè canat. Estque latinis philomela, ac græcis* φιλομήλα, *quod cantus amet: itemque* ἀηδὼν *ab Aeolico verbo* ἀείδειν, *quod similiter est canere. De pullorũ verò institutione à parentibus Aristoteles lib.* IV. *de hist. Animal. cap.* IX. *ex versione Gazæ satis rem raram in medium affert. Iam verò, inquit, luscinia modulos docere suos pullos, versusque quos imitarentur tradere visa est, utpote cum non perinde locutio ut vox per naturam proveniret, sed acquiri posset per disciplinam & studium. Vnde homines quoque locutione utũtur varia, cum vocem omnes reddant eandem. Idem Plutarchus in lib. de solertia animal. & Aelianus lib.* III. *cap.* XL. *testantur. Commendatur autem hac similitudine domestica & laudabilis institutio sive parentum seu præceptorum, qui loco parentum censendi sunt. Nam secundum poëtam,*

Adeo à teneris assuescere multum est.

Quod à philosophis sumsit. Nota enim est Aristotelis sententia II. *Ethic. Nicom. cap.* I. οὐ μικρὸν διαφέρει, τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ μᾶλλον, μᾶλλον δὲ, τὸ πᾶν, *id est, non parum refert, sed per quam multum, sic ne an sic à pueris assuescamus, imo verò totum in eo positum est. Et Claudianus* IV. *Consul. Honorii idem monet,*

Interea Musis animus dum mollior instet,
Et quæ mox imitere legas, nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.

Disputat autem Plato de hac puerili institutione ac disciplina, tum alibi sæpius, tum potiss. in lib. II. *&* VI. *de legibus, quæ omnia cognitione sunt admodum digna. Posset etiam adjici:* SVAVIVS VT CANTENT.

MELIOR

MELIOR DOCTRINA PARENTVM.



Vt canere alma docet pullos philomela tenellos,
Sic genitor gnatos format & ipse pius.

T*VRDVS*, κίχλη *græcis, ab Isidoro putatur à tarditate ita dictus, quamquam Gesnerus potius per* ὀνοματοποιΐαν *sic nominari existimet. Aristoteles de histor. Animal. tria genera recenset. ex primo genere est* ἰξοφάγος *viscivorus.* II. τριχὰς *pilaris. &* III. ἰλιὰς *iliacus. Alii plura addunt, de quibus nimis longū esset hoc loco disserere. Habuit autem hoc symbolum in crebro usu prudentiss. simul ac doctiss. vir Albertus Lollius, qui in Academia Brixiensi se Arcanum nuncupari voluit, propter singulare studium secretiorum consiliorum, quibus delectabatur. Turdo autē non ideo taciturnitas attribuitur, quod semper taceat vel plane expers sit vocis, sed quia ab omni garrulitate abstineat, idq́ potissimum faciat, quando solus in prato viridi vel simili aliquo plano ac patente loco versetur. Hincq́ factum, quod antiquitas Harpocrati silentii deo turdum sacrificarit. Quamquam verò Erasmus & Pierius ex Xenodoto proverbium* κωφότερος κίχλης, *surdior turdo, interpretentur, apud Zenodot. tamen & Varinum ex Eubuli Dionysio, videtur potius de taciturnitate esse intelligendum. Sunt autem innumeræ sententiæ apud autores, quibus silentium & taciturnitas commendatur, & nos superius quoq́ de eo aliquid attigimus, idq́ paucis verbis Menander studuit exprimere, ubi inquit,*

οὐδὲν σιωπῆς ἐστὶ χρησιμώτερον,

id est,

Nihil silentio est utilius.

Plura de hoc qui velit cognoscere, legat Isocratem ad Demonicū, Plutarchum in comment. περὶ ἀδολεσχίας, *& in libello de Iside & Osiride, Gellium lib.* XI. *cap.* X. *Plinium lib.* III. *cap.* V. *& lib.* XXVIII. *cap.* VI. *& præterea Erasmum in proverbio, Tutum silentii præmium.*

LXXI.

TACITVR-NIOR.



O decus eximium mentis sapientis, & apte
Nosse tacere suo & tempore nosse loqui.

VPVPA *ſive* ἔποψ *criſtam gerit plicatilem, quam contrahere & explicare poteſt ſecundum capitis longitudinem. Mutat quoq́ pennas tempore æſtatis & hiemis, ſecundum Ariſtotelem. Extat autem fabula de Tereo in hanc avem mutato apud Ovid.* VI. *Metamorph. Ac legitur quoq́ hoc ſymbolum ſive Emblema apud Adrianum Iunium ex Hieroglyphicis Horapollinis acceptum lib.* II. *cap.* XCIII. *ubi ita ſcribitur: Vvæ eſu offenſum & ſe curantem notantes, pingunt upupam cum herba adianti, vulgo capilli Veneris, in ore tenentem. Hæc enim avis ſi uva comeſta læſa fuerit, adiantum ori inſerens, certo decurſu ſpacio, priſtinã valetudinem recipit. Aelianus lib.* I. *de Animal. cap.* XXXV. *upupam contra faſcinationes adiantum, quod callitrichum quoque vocant, in nidum ponere ait. Quo oſtenditur ebrietatis & temulentiæ aptiſſ. & efficaciſſ. remedium eſſe abſtinentiam & frugalitatem. Quod ſimiliter ad alios vehementiores affectus & perturbationes animi transferri poterit, quibus omnibus Philoſophiæ præcepta, & vita moderata ac placida optime mederi ſolet, ex quo poſtea omnium victoriarum laudatiſſima, nimirũ ſeipſum vincere, exiſtere conſuevit. Sicuti teſtatur Plato lib.* I. *de Legib. ubi ait,* ὦ ξένε, τὸ νικᾶν αὐτὸν σεαυτὸν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη. τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον, *id eſt, ita habeto, Hoſpes, maximam optimamq́ victoriam eſſe, ſeipſum vincere: at ſi quis à ſeipſo ſuperetur, omnium eſſe peſſimũ ac turpiſſimum. Noti ſunt verſus:*

Fortior eſt, qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Mœnia; nec virtus altius ire poteſt.

SOBRI-

LXXII.

SOBRIETATIS OPVS.



Quisquis difficiles præsentit pectore motus,
Is norit præscriptum à ratione modum.

OCCASIO *huius symboli desumta est ex Apologo, quem Gellius lib.* II. *cap.* XXIX. *eleganter & copiose describit in hunc modum: Cassita in segetib. nidulari solet, pulliq; eius adhuc involucres fere existunt, frumentis flavescentibus. Cumq; dominus agri amicos primum cognatos, deinde & affines ad labores messis capessendos invitasset, sed illi rogati non apparuissent, valeant, inquit dominus filio, amici cum propinquis, cras ipse ego & tu frumentum nostris manibus metemus. Quod factū cassita à pullis cum intellexisset, tempus est cedendi, ait, & abeundi in alia loca. fiet enim procul dubio quod futurum dixit dominus, atq; ita cassita migravit, & seges ab ipso domino fuit demessa. Hinc apparet, quàm sæpe sit levis & inanis amicorum & propinquorum fiducia, & proinde melius est, ut in nobis tātum ipsis nitamur, alia autem omnia, quæ extra nos extraq; nostrum animum sunt, neq; pro nostris, neq; pro nobis ducamus. Vnde idem autor ibidem monet, operæpretium esse, ut Ennianos versus, de hoc Apologo scite admodum & venuste compositos, cordi atq; memoriæ habere studeamus,*

Hercule puto, hoc erit tibi argumentū semper in prōtu sitū,
Ne quid expectes amicos, quod tu agere possis.

Quod Plautus in Mercatore argutè dixit,


Suam quisque homo rem meminit.

Nihilominus tamen verorum amicorum opera necessitate urgente sæpe etiam utilis esse solet. quare Homer. ιλ. σ. *quoq; finxit unam ex Gratiis Vulcani esse sociam, vel, ut alii, uxorem, quod nimirum ardenti quadam cupiditate debeamus amicis gratificari, nec in eiusmodi officiis multum cunctari. Est autem huius symboli integer versus,*

Nemo quidem melius, quam sua quisque facit.

NEMO

NEMO QVIDEM MELIVS.



Cum sua quis rectè curare negocia poßit,
Alterius stulte pendet ab arbitrio.

COTVRNIX, quæ nunc etiam corruptè in Græcia ὀρτύκι nominatur, cum proprie sit ὄρτυξ, mare trãsvolando (quemadmodum Oppianus in Ixeuticis scribit) ut deprehendat superatumne hoc illi sit necne, ternos lapillos in ore fert, eorumq; unumquemq; per intervalla dimittit, diligenterq; observat, utrumne in mare lapillus decidat, atq; ideo ulterius volandum esse, an vero in terram, & jam tempus instare quiescendi. Idem Plinius quoq; asserit. Quãvis vero hanc contra lunæ protervam insultationem, ut pictura demonstrat, apud Horapollinem Oryci potius quam coturnici à doctioribus attribuatur, cum tamen facilis lapsus sit unius tantũ litteræ inter ὄρυγα & ὄρτυκα, Pierius Valerianus lib. XXIV. Hieroglyph. potius huic avi quàm illi quadrupedi convenire, pluribus ostendit, ac perhibet ideo hanc avem impuram haberi, quod luna oriente (nos simile aliquid in priore Centuria de Cane attulimus) inauspicatos clangores contra eam excitare soleat cum manifestissimæ indignationis indicio. Quod quidem proprie est σκιαμαχεῖν, id est, cum umbra pugnare & inaniter laborare, quod magnopere improbatur à Platone in Apologia Socratis, & VIII. de legibus, sed multo adhuc vehementius tam hic quam alii detestantur τὸ θεομαχεῖν, quod est ipsi divinæ potentiæ ac naturæ velle se opponere atq; repugnare, dum quis secundũ Homerum ιλ. β. conatur

ἄπρηκτον πόλεμον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι.
Pugnam infrugiferam & inutile ducere bellum.

Sic Gamaliel Act. V. monet reliquos collegas Synedrii, ne velint inveniri θεομάχοι. Et alii Pharisæi S. Paulo caussam dicente coram Anania, Act. XXIII. pronunciant, μὴ θεομαχῶμεν. Ne bellum DEO gigantum more inferamus. Et talis ab Aeschylo & Euripide describitur Capaneus Hipponoi; & apud Virgilium Salmoneus Aeoli filius: quorum similes utinam nostro etiam seculo non pauci reperirentur!

IMPV-

LXXIV.

IMPVRA QVID AVDES?



Impietas cœlum probris superosq́; lacessens,
Nulla dabit superis, maxima damna sibi.

CARDVELIS (*ut Isidorus ait*) *ita nominatur, quia spinis & carduis pascitur, quare Græcis est* ἀκανθὶς. *Apparet autem ex Aristotele lib.* IX. *Carduelem potius esse veterum* θραυπίδα, *quemadmodum etiam Plinius & Gaza verterunt,* ἀκανθίδα *verò spinum sive ligurinum, ut in priore Centuria quoque attigimus. Nostram vero carduelem, ut nomen indicat, spinas quoque appetere, ac illis vesci Aristoteles ait, & Germani ideo* Distelfinck *appellãt. Ad eundem modum viri fortes & strenui, res difficiles & asperas pro pabulo suæ virtutis habent, & inde ad omnia pericula subeunda promtiores & alacriores efficiuntur. Quod inprimis factitant homines militares & vera disciplina bellica exercitati, qui pro religione & patria semper intrepide in armis versantur, & necessitate postulante se vitamque suam ideo fortiter hostib. objicere non dubitant. Quibus plane dissimiles sunt mercenarii nostri quidam, quorum (secundum Claudianum) emta est fides; venalesque manus, venalia castra, ut ex Lucano ait Guntherus: quos Erasmus alibi ingeniose laniis comparat. nam quẽadmodum hi pecudes, sic illi homines spe lucri jugulant. Cæsar Capaccius Neapolitanus scribit alio quodam sensu hoc symbolum usurpasse quendam suum amicum, virum probum & sapientem, cui uxor esset non quidem formosa, sed virtute ac moribus eximia, cum Italico dicto,* ED' ALTRO NON MI CALE, *id est: hæc mihi sola placet: quod Seneca in Octavia quoque subjicit,*

Probitas, fides, moresq; pudorq; conjugis
Placeant marito.

Et Lucretius:

Nam facit ipsa suis interdum fœmina factis
Morigerisq; modis & mundo corpore culta,
Vt facile insuescat secum vir degere vitam.

LXXV.

HIS EGO SVSTENTOR.



Adversos casus fortis sua pabula auctt,
Pro victu ut spinas mollis acanthis habet.

STVRNVS, *ψὰρ sive ψάρος, catervatim, secundum Plinium, volat, & quodam pilæ ordine circumagitur, omnibus in medium agmen tendentibus, & est quoq; hæc avis sermonis humani æmula. Aiunt autem cicutam illi esse alimentum conveniens, sicuti helleborus coturnici, utrumq; quidem homini venenum, ut Galenus lib.* III. *de Alimẽtis & alibi tradit. Allii vero semen Sturnum interimere Aelianus docet lib.* VI. *de Animal. cap.* XLVI. *Deq; hac ἰδιοσυγκρασία extãt elegantes versus Lucretii lib.* IV.

> Tantaq; in his rebus distantia differitasq; est,
> Vt quod alis cibus est, aliis fuat acre venenum,
> Estq; utiq; ut serpens, hominis quæ tacta salivis
> Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.
> Præterea nobis veratrum est acre venenum,
> At capreis adipes & coturnicibus auget.

Galenus verò lib. III. *de simpl. Medicam. facultatib. rationem huius proprietatis in Sturno reddere conatus est his verbis: Sic hominem quidem cicuta necat, tum ob meatuum amplitudinẽ, calorisq; multitudinem, tum ob attractionis arteriarum robur validum etiamnum ad cor pertingens. Sturnos vero ob caussas contrarias non enecat, quandoquidem retineatur ac cunctetur, & sese temporis tractu concoqui præpararíq; à corde tanquam à foco incalescens sinat, non secus ac lignum extrinsecus. Sicuti autem quidam vir nobilis ad honestos suos amores hoc symbolũ accommodavit, eo innuens, omnia alia quæ cæteris amara & contraria in amore contingant, sibi esse accepta & grata: ita multo rectius usurpari poterit ab iis, qui amore virtutis & pietatis cuncta alia quantumvis laboriosa & injucunda, sibi reputent pro condimento suavißimo & admodum salutari.*

LXXVI.

QVOD CÆTERIS VENENVM.



Eſt uni jucundus amor, nocet alteri amaſſe,
Quodq; uni prodeſt, alteri obeſſe poteſt.

QVAMQVAM *nocturnarum avium plura ſint genera, noctua tamen potiſſ. à nocte nomen accepit, ſicuti apud Græcos νυκτερὶς, id eſt, veſpertilio, quibus noctua γλαῦξ dicitur, à glauco oculorũ colore. De Nyctimene vero propter inceſtum in hãc avem cõverſa extat fabula moralis apud Ovid.* II. *Metamorph. Sed per noctuam mortem indicabant veteres, cum nox quoque eam deſignet apud poëtas. Sic apud Virg. ult. Aen. Turno cum Aenea ſingulari certamine congreſſuro noctua, ut Servius explicat, lethum portendit, in quam unam ex Furiis ſe convertiſſe poëta fingit. Refert quoq; Aelianus lib.* X. *de animal. c.* XXXVII. *hanc avem extitiſſe infauſtum auguriũ mortis infelicis ac ignominioſæ in Rege fortiſſimo Epirotarum Pyrrho, cujus haſtæ in itinere, dum Argos expugnare contendit, inſedit. Nam urbem hoſtiliter ingreſſus, à cujusdam aniculæ filio leviter vulneratus, dum in percuſſorem impetum facit, Argivi mater, quæ ſuperne hoc ſpectabat, tegulam magnam vi arreptam ſuper Regis galeã dejecit, quo ictu ille exanimatus cõcidit. Pierius lib.* XX. *Hieroglyphic. dicit, in tabula noctuæ iconem à lictore ad damnatum publico judicio fuiſſe delatum apud Aethiopas, quo viſo reum ſponte ſibi mortem conſciviſſe, magno ſibi ac patriæ dedecori futurum, ni obtemperaſſet. Hoc itaq; ſymbolum Duci Paliano ex familia Caraffarum fuit attributum, qui Anno* CHRISTI M.D.LIX. *cum aliis fuit in carcere mori juſſus ſub Pio* IV. *cujus extat Italica epiſtola, ante obitum ad filium conſcripta, plena bonis & utilibus præceptis. Nec tamen neſciendum, in auguriis noctuam ſignificaſſe etiam vigilantiam, ut Sarisberienſis obſervavit in Policratico, ubi ſcribit: Bubonis, ſtrigis, & noctuæ ſemper infauſta ſunt omina. Noctua tamen, eo quod noctis tenebris non cæcatur, diligentis hominis vigilantiam ſignat, ut in portento, quo in haſta Hieronis, cum primum progrederetur ad bellũ, noctua dicitur cõſediſſe, ſignificãs eũ futurũ diligẽtiſſimũ.*

LXXVII.

SORTEM NE DESPICE FATI.



Non temere, quicunq; sapit, læva omina spernit,
Cum ferat & spretum sæpius exitium.

ARISTOTELES lib. IX. de hiſt. Animal. cap. I. inter alias inimicitias innatas quibusdam animalibus, hæc de noctua & cornice quoq; refert. Cornix cum noctua diſsidet. nam cornix meridie ſurripiens ova noctuæ ea abſumit, cum non clare interdiu noctua videat. Contra verò ova cornicis noctu exedit noctua, eſtq; altera noctu, altera interdiu potentior. Idem Plinius lib. X. *cap. penult. & Aelianus lib.* V. *cap.* XL. *affirmant. Plutarchus in libello de odio & invidia addit inſuper, harum avium occiſarum ſanguinem non permiſceri, & ſi etiã quis confundat, utrumq; ſeorſim diffluere. Sed non videmus quotidie ferme homines ipſos tot capitales inimicitias exercere, ac ſæpenumero absq; omni juſta cauſſa* ἄσπονδον πόλεμον, *id eſt, irreconciliabile bellum inter ſe gerere? Quod ſi iſta vehementia & inimicitia contra communes hoſtes, Turcas iſtos & Scytas aliasq; ſimiles barbaras & crudeles gentes uſurparetur, non quidem eſſet culpanda, ſed hoc inter illos, qui debebant eſſe conjunctiſs. fieri, quantopere eſt deplorandum? Graviſsimè igitur Seneca in Hercule fur.*

Si æterna ſemper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor;
Sed arma felix teneat, infelix parct,
Nihil relinquent bella: tum vaſtis ager
Squalebit aruis, ſubdita tectis face
Altus ſepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle, victori expedit,
Victo neceſſe eſt.

Benè etiam Menander monuit:

Ἀθάνατον ἔχθραν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν:

Immortalem ne ſerva inimicitiam, cum ſis mortalis.

Quod de ſe quidem Cicero præclarè teſtatur in Orat. pro C. Rabirio Poſt.

IMPLA-

IMPLACABILE BELLVM.



Non tenebris cornix, non luce est noctua tuta,
Alterius sævis hostis ab insidiis.

PLVTARCHVS *de ſolertia animalium hæc de corvis Africæ cõmemorat: Hæc omnia eiusmodi ſunt (loquitur autem de mirabili araneæ textura) ut niſi quotidie conſpectui noſtro offerentia fidem facerent, non minus fabulæ putarentur, quam corvorum in Africa ſolertia, qui potu indigentes lapidibus injectis in aquam, eousq; eam impleto cavo continente elevant, dum roſtro attingere licet. At cum vidiſſem canem in navi, abſentibus nautis lapillos in amphoram oleo non repletam injicere, miratus ſum quomodo intelligeret à gravioribus immiſsis leviora ſurſum elabi. Idem verboſe Aelianus quoq; de corvis Libycis exponit lib.* II. *de Animal. cap.* XLVIII. *& dicit eos ſcire natura quadam recondita duo corpora unum locum eundemq; non capere. Cui conſentit Plinius lib.* X. *cap.* XLIII. *Atq; inde exiſtimant quidam proverbium ortũ,* κόραξ ὑδρεύει, *corvus aquat, quod de illis dicitur, qui rem optatam ingenio ſingulari conſequuntur, aut nova quadam ratione obtinent quod deſiderant, alii tamen ad fabulam Ovidii retulerunt, de qua in prox. ſymbolo. Et Avianus etiam fab.* XXVII. *Cornici ſitienti hoc attribuit. Sibi vero metipſi hoc ſymbolum propter multa ingenii ſui monumenta edita voluit aſcribere Cæſar Capaccius Neapolitanus, quod in illis ſæpe ab aliis non tractata attigerit. Paradinus ex Perſiano exordio habet:* INGENII LARGITOR *: eadem ſignificatione. Alius,* LABORE ET INDVSTRIA. *Quo monemur in omnibus rebus difficilibus & neceſsitati obnoxiis ſingulari ſtudio & cura opus eſſe, quod etiam indicat proverbialis verſus apud Suidam,*

χρειὼ διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ σοφόν.

Rudes docet ſapientiam neceſſitas.

LXXIX.

INGENIO EX-
PERIAR.



Mira eſt ingenii vis & ſolertia corvis,
Natura ut doceat quam ſit ubiq; potens.

HYGINVS de signis cœlestibus, in Hydra fabulam quandam satis festivam refert. Corvus, inquit, Apollinis tutela usus, eo sacrificante missus ad fontem, aquam puram petitum, vidit arbores complures ficuum immaturas; eas expectans dum maturescerent, in arbore earum quadam cōsedit. Itaq; post aliquot dies coctis ficis, & à corvo pluribus eorum comesis, expectans eum Apollo, vidit cum cratere pleno volare festinantem, pro quo admisso eius, quod diu moratus sit Apollinem, qui coactus mora corvi, alia aqua est usus, hac ignominia illum affecisse dicitur, ut quamdiu ficus coquerentur, corvus bibere non posset, ideo quod guttur habeat pertusum illis diebus. Quam fabulam Ovidius verbose II. Fast. exponit, & hoc disticho concludit,

At tibi dum lactens hærebit in arbore ficus,
De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.

Voluit autem quidam Aulicus hoc symbolo aliis declarare, se apud quendam principem, cui fideliter diu inservierat, nullam unquam potuisse inire gratiam, vel quicquam beneficii recipere, sed postea oblata occasione liberaliorem alium quendam herum, maturis scilicet redditis ficubus, id est, fortuna meliore aspirante nactum, tandem plenissimum laborum suorum fructum diu expectatum cepisse. Talis est querela duorum fratrum Anglorum, quam tetrasticho hoc expresserunt:

Vitam, animum, atq; operam, sumtus impendimus aulis,
Præmia pro meritis quæ retributa putes?
Aula dedit nobis rescripta, notata papyro,
Et sine mente sonos, & sine corde manus.

Et altera Borbonii poëtæ non indocti.

In prædivite sum domo moratus,
Contriviq; bonos miser tot annos,
Gustando mala, gratiasq; agendo,
Sperando, ingenueq; inserviendo.
Tantorum mihi præmium laborum
Sunt; sero sapere atq; pœnitere &c.

EXPECTO MITIORES.



Dum maturescant consueto tempore fructus,
Exiguum sapiens fert patienter onus.

OMNIBVS *est nota fabula de cornice, aliarum aviũ pennis sese exornante, quas tamen illæ rursum ipsi abstulerunt, illamq́; ludibrio habuerunt, quam exposuit quoq; Horatius lib. I. Epist. ad Florum,*

Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus ———

Symbolum hoc contra nimis ambitiosos & arrogantes, aliorũq; labores sibi temere ac fraudulenter attribuentes recte usurpari potest, de quo etiam recens quidam non indoctus poëta in Microcosmo hoc hexastichon exposuit de corvo,

Dic mihi cur plumis alienis corve supérbis?
Dic adeo tumido cur aliena placent?
Agmine jam facto repetitum cursitat omnis
Grex avium, plumis undiq; nudus eris.
Nemo sibi dotes furtivas arroget unquam,
Nec decus alterius surripuisse velit.

Quidam hoc ipsum ad graculum Aesopicum referũt, quod graviter enarrat Theophylactus Simocatus epist. XXXIV. *Et notũ est proverb.* αἰσώπειος κολοιὸς, *Aesopicus graculus, quod etiã Tertull. alicubi tangit. Sed rectè B. Gregorius Nazianzenus in sermone Epitaphio patris ait,* πᾶν ὸ προσποιητὸν οὐδὲ μόνιμον. *Quod Cicero explicat lib.* II. *de offic. Ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidũt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum. Alibi ascriptum est,* PONE PERSONAM, *eodẽ sensu. M. Aurelio Numeriano Imper. etiam ascribitur simile dictum:* ESTO QVOD AVDIS. *ex Horatio lib. I. Epist.* XVI.

Tu recte vivis, si curas esse quod audis.

Et Martialis,

Quod sis esse velis, placeat, moneo, tibi, cautus,
Sors tua, nil aliud si sapis esse velis.

Item in alio loco,

Quod sis esse velis, nihilque malis &c.

QVOD

QVOD SIS ESSE VELIS.



Mutatis de te narratur fabula verbis,
Qui ferre alterius parta labore ſtudes.

EST & altera apud eundem fabula de corvo ac serpente. Nam corvus dormientem illum rapiens, cũ tandem jam experrectus esset serpens, in gyrum sese convertendo ita eum læsit, ut ex illo vulnere paulo post extingueretur. Alciatus Emblemate, Iusta ultio, ex græco quodam epigrammate idem de corvo & scorpio habet. Aelianus lib. VII. *cap.* XI. *de aquila & polypo tale quippiam commemorat, & addit exempla de Cambyse Cyri filio ex Herodot. lib.* III. *& de Polycrate diripiendi auri caussa ad Orætem profecto & turpiter decepto. Et sunt noti versus Hesiodei,*

οἱ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

id est, ut Erasmus vertit,

Ipse sibi nocet ille alium qui lædere quærit,
Consultum male consultori pessima res est.

Ac vulgaris est Senarius ex Varrone & Agellio notus:

Malum, consilium consultori pessimum est.

Ac sane memorabile admodum est quod apud Suetonium legimus de J. Cæsaris, & apud Iul. Capitolinum de Gordiani interfectoribus, qui propriis gladiis, quibus alios interemerant, vel seipsos confecerunt, vel ab aliis occisi sunt. Legitur quoq; ascriptum, RAPTORI NOXIA PRÆDA SVA. *Vel,* INFAVSTA LVCRA: *quod explicat inter alias multas sententia Antiphanis poëtæ veteris,*

τὰ πονηρὰ κέρδη τὰς μὲν ἡδονὰς ἔχει
μικράς, ἔπειτα δ' ὕστερον λύπας μακράς,

Id est:

Lucra male quæsita voluptates quidem pariunt
Breves, longam vero deinde tristitiam.

Præclarè idem Hesiodus:

Δὼς ἀγαθή, ἅρπαξ δὲ κακὴ θανάτοιο δότειρα.
Bonum est donum, sed rapina mala mortis caussa.

DABIS IMPROBE POENAS.



Iuſtitia pereat ſemper ſic vindice, quisquis
Alterius vitæ ſtruxerit inſidias.

PASSER *solitarius græcis* στρουθίον μονάζον, *quo etiam nomine in Psalmo* CI. *(quamvis aliqui de eo disputent) appellatur, nunc etiam in alpibus Tridentinis ab incolis Italice vocatur, merulo solitario. In Germania verò reperiri vix existimatur, estq; ex merularum genere, colore fusco, magnitudo tamen illis minor, ac solivaga. Nostris etiam temporib. Mediolani & Venetiis mas cicur redditus, & canorus sæpe nummo aureo comparatur. Cumq; illi sit proprium & innatum amare solitudinem, & in illa suavius quam alibi cantare, non male repræsentat eum, qui propter studia graviora aut aliarum rerum laudabilium gratia, vitam solitariam expetit. nam ex Horatio lib.* II. *Epist.* II.

Scriptorum chorus omnis amat nemus,& fugit urbes.

Ac Ovidius præsertim de poëtis I. *Trist.* I. *cecinit,*

Carmina secessum scribentis & ocia quærunt.

Quamvis vero Petrarcha in duobus libris de vita solitaria, magnis laudib. eam extollat, fatetur tamen solitudinis studio amicitiæ jura non esse contemnenda, & turbas non amicos fugiẽdos. Sed propter nimis enormia vitia profectò his nostris dissolutissimis temporib. multis civitas carcer, & solitudo paradisus merito fieri incipit. Idem Petrarcha, & ex illo Guazzius de civili conversatione laudabilem solitudinẽ (nõ de altera vitiosa, qualis fuit Tiberii Cæsaris Capreis, ubi sævitiæ ac libidinis detestandæ officinã aperuit) distinguunt in perfectam, quæ est piorum & religiosorum hominum, & minus perfectam, quam & ipsam trifariam partiũtur, I. *in solitudinem temporis, qualis est noctis silentium & similia.* II. *Loci, quando sibi quispiã idoneum secessum ad utiles meditationes eligit, de qua hic potiss. agitur.* III. *Animi, quãdo corpore quidem in medio aliorũ versamur, animo autẽ & cogitationib. toti in nobismet ipsis sumus.*

SYLVA-

LXXXIII.

SYLVA PLACET MVSIS.



Secessus præclari aliquid meditantibus apti.
Namq; boni in strepitu quid cecinisse queas?

PASSER *noster vulgaris quibusdam videtur à patiẽdo dictus, quod sæpe morbo caduco laboret, quæ etymologia satis longe petita esse videtur. Nulla verò avicula ferme invenitur, quæ certa sede carens pervolitando sic locum mutet & incerta vagetur. Quare etiam proverb.* XXVI. *dicitur, passer quolibet vadens. Est tamen nihilominus testimonium divinæ providentiæ ac protectionis in rebus quoque vilibus & despectis: quod ipse* SALVATOR NOSTER CHRISTVS *nos monet, Matth. cap.* X. *Nonne, inquit, duo passeres asse veneunt, & unus ex illis nõ cadet super terram sine Patre vestro? Videtur autem hoc symbolum illis conveniens, qui in continuis peregrinationibus sive voluntariis, sive necessariis versantur, quod studium si moderatum est, non solum gratum, sed utile quoq; esse consuevit, sed ubi modum excedit, plurimũ profecto molestiæ & incommoditatis secũ afferre solet, de quo Menandri sententia intelligenda,*

ξενιτεία γὰρ χαλεπὴ κατὰ πολλοὺς τρόπους.

Peregrinatio enim multis modis difficilis est.

Quid quod peregrinatio ipsa morbus esse dicitur à Symmacho in Epistolis? At recte etiam ad piorũ hominũ in hoc mundo tanquam diversorio aliquo peregrinationem accommodare poterimus, de quo epistola ad Hebræos, οὐκ ἔχομεν, *dicit,* ὧδε πόλιν μένουσαν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν, *id est, non habemus hic civitatem permanentẽ, sed futuram inquirimus: deq; huius vitæ brevi & instabili curriculo B. Nazianzeni extant versus:*

τροχὸς μὲν ἐστὶν ἀστάτως πεπηγμένος
ὁ μικρὸς οὗτος καὶ πολύτροπος βίος.

Trochus est parum certus parumq; stabilis
Fallacis huius cursus & vitæ brevis.

Et Plato etiam ab omnibus celebratam illam sententiam laudat: παρεπιδημία τίς ἐστιν ὁ βίος. *Vita peregrinatio quædam est.*

INCER-

INCERTA SEDE VAGANTVR.



Vt celer huc, sed mox volitat passerculus illuc,
Sic nusquam est, quisquis vivere ubiq; volet.

QVATVOR *genera hirundinum habentur, quorum primum est domesticum, paßim notũ, alterum rusticum sive agreste, quod ab imo ventre albicat. Tertium riparium, minimum omnium, quæ hirundines falculæ quoque dicuntur, & ripas excavant, inque illis nidificant. Quartum est Apodum, quæ & marinæ &* κύψελοι *vocantur, nec utuntur pedibus, quamvis non plane illis destituantur. Commendat autem industriam hirundinis Aristot. lib.* IX. *de Hist. Animal. cap.* VII. *his verbis. Omnino ratio brutorum magnam refert vitæ humanæ similitudinem, magisque in minori genere quam majore videris intelligentiæ rationem, quod primum in avium genere hirundo in effingendo & constituendo nido existit. Quo in loco plura de artificiosa huius cõstructione commemorat, quæ postea à Plinio, Plutarcho, Aeliano & aliis quoque sunt exposita. Ac addit ibidẽ Aristoteles: In nutrienda prole mira tam mas quam fœmina æquitate laborat. Impartit pullis singulis cibũ observans consuetudine quadam, ne qui acceperit, bis accipiat. Plinius similiter ait (cuius & Oppianus meminit) in fœtu summa æquitate alternare cibum, & Aelianus lib.* III. *cap.* XXVI. *justitiam servare adversus suos filios refert. Quare Horapollo scribit esse apud Aegyptios symbolum parentum, omnes suas facultates & opes filiis suis destinantes. Estque similiter icon boni ac justi principis, qui singulari æquitate & justitia suos subditos regit, illisque necessaria suppeditat. Quapropter Robertus Rex Neapolitanus paßim in illis conclavibus, quibus ipse utebatur, hanc picturam appingi curavit. Idque Phocylidis quoque versus monet.*

μοῖραν πᾶσι νέμειν, ἰσότης δ' ἐν πᾶσιν ἀρίστη, **id est,**

Partem scilicet suam cunctis tribue: æqualitas sane in omnibus rebus optima.

De justitia autẽ tam commutativa quã distributiva (ut in scholis loquũtur) extant V. *Eth. Nicomach. luculẽtæ disputationes.*

CONCORDIA REGNI.



Sollicitam Prognes curam ſpectate regentes,
Atque fovete pari pignora veſtra fide.

HIRVNDO *veris nuncia putatur ab hærendo ita dicta, quod ædium trabibus adhæreat, χελιδὼν verò græcis ἀπὸ τοῦ τοῖς χείλεσιν ᾄδειν, id est, quod labiis cantet. Plutarchus scribit quantum ipsis opus est, domos hominum subire, umbrā securitatemq́ quærentes, ipsum autem hominem fugere tanquam feram. Ac Plinius vult hirundines è volucribus esse indociles, sicuti è terrestribus mures, cum elephanti jussa faciant, leones jugum subeant, in mari vituli totq́ piscium genera mitescant. Quod etiam asserit Plutarchus* VIII. *Symposiac. Albertus tamen perhibet, se vidisse mansuefactas hirundines, quæ ad manum quoq́ volarent, quod quidem rariss. accidit, cum experientia constet, hirundinem cavea inclusam mori potius, quam quod servitutē istam ferre queat, quod Aelianus lib.* XVI. *Animal.cap.* III. *de Cercione sive motacilla Indica quoq́ scriptum reliquit. Sic honesta & pudica matrona ita sese cupit gerere erga maritū, ut habeatur tamē pro amica, non serva, fugiens nimis illiberalem submissionem, aut durum præter modum imperium, quo nihil excogitari potest gravius, præsertim erga hunc sexum imbecilliorem, cum secundum Iuvenal. Satyr.* VI.

———faciant graviora coactæ
Imperio sæpius———

At contra ut Ovidius cecinit,

Penelope mansit, quamvis custode careret,
Inter tam multos intemerata procos.

Et veterum quispiam recte statuit,

ἄριστον ἀνδρὶ κτῆμα, συμπαθὴς γυνή.

Optima viri possessio, uxor mutuo consensu illi amica.

De quo præclaræ sententiæ tum apud alios autores, tam passim in proverbiis Salomonis, & apud Syracid. cap. potissimum XXVI. *leguntur.*

AMICA NON SERVA.



Tecta hominis ſubit, ipſum hominem fugit anxia Progne,
Gratum eſt hoſpitium, ſed grave ſervitium.

TEMPO-

TEMPORVM *magna differentia avibus. (inquit Plinius ſæpius laudato lib.* X. *cap.* XXV.) *perennes ſunt, ut columbæ; ſemeſtres, ut hirundines; trimeſtres, ut turdi & turtures: quædam cum fœtum eduxere, abeunt, ut galguli, upupæ. Abeunt autem hirundines, ut idem autor priore capite ex Ariſtotele refert, hibernis menſibus circa prid. Id. Septembris ad Arcturi ortum, & ultra illud tempus deprehenſæ pereunt, redeunt verò circa* VI. *Cal. Martii. Sed in vicina abeunt, apricos ſecutæ montium receſſus, ubi repertæ ſunt nudæ ac deplumes, ſecundum Ariſtotelem quoque lib* VIII. *de hiſt. Animal. cap.* XVI. *Sunt tamen nonnulli, qui exiſtimāt eas etiam mare transvolare inſtar aliarū quarundam avium, præſertim in locis mari propinquis. Quod etiam Petrus Martyr affirmat lib.* II. *legationis ſuæ Babylonicæ his verbis: Hiematum Alexandriam hirundines, milvosque cæterasque volucres, pontum hieme adveniente è noſtris regionibus Europæis transvolantes, tendere cognovimus. Quemadmodum igitur hirundo vernum tempus tanquam amœniſſ. totius anni partem expetit, ac ante illud non apparet: ita quoque ſe habet amantis ratio, qui amore non capitur, niſi ſenſib. animi & corporis infixis in aliquod ſubjectum pulchrum. Eſt autem quatuor affectibus amans ſubjectus, lætitiæ ac ſpei, qui ambo cum veris amœnitate, quam hirundo tantopere deſiderat, conferri poſſunt, nec non timori ac dolori, aſperæ hiemi convenientes. Vnde Ovidius,*

Peſſima mutati cœpit amoris hiems.

Sed qui laudabili propoſito ac ſingulari generoſitate flammas & illecebras amoris nimii abſentia ſua reſtinguere, & propterea ad alia loca, ubi hiems minus ſit aſpera, id eſt, impetus cupiditatum ſedatior, ſeſe conferre ſtudent, ſapienter faciunt, idque monet quoque Ovid. I. *lib. de remedio Amoris hoc diſticho:*

Tu tamen & quamvis firmis retinebere vinclis,
I procul, & longas carpere perge vias.

LXXXVII.

ALIO HIBERNANDVM.




Ardorem quisquis fugere optat tempore amoris,
Dum fervet, fugiat: namq; hieme arcta fuga est.

CUM viva animalia in publicis ſpectaculis, & inprimis nobilium ludicris certaminibus, tam pedeſtribus quam equeſtribus, inſignium vel ſymbolorum loco geſta ac uſurpata, plus animos afficiant, & oculos quoq; magis oblectent, quam ſolæ figuræ eorum aliqua pictura repræſentatæ, ideo quidam. Nobiliſſ. vir in Italia ſimili tempore & loco, quibus eiusmodi ludi ſolent celebrari, caſſidi ſuæ imponi curavit caveam rotundam affabre elaboratã & ita in æquilibrio ſuspenſam, nec minus tamẽ in ſuis polis ſe moventem, ut avicula illic incluſa, in quamcunq; partem verteretur, ſemper in medio firmiter conſiſteret, & in axe tantum permaneret. Quod etſi ille de ſuo honeſto amore quodam erga fœminã quandam nobilem intelligi voluit, nihilo tamen minus quoque de omnibus aliis laudabilibus & egregiis actionibus magna conſtantia ſuſceptis, ac confectis, idq; auxilio veræ virtutis, accipi recte ac uſurpari merito hoc ingenioſiſſ. ſymbolum poterit. Nam ſecundum illud Evagrii : πᾶσα συμφορὰ κούφη ἐστὶν ἀνδρὶ μὴ κούφῳ : *Omnis calamitas levis eſt viro conſtanti. Benè etiam Theoctiſtus:* Λίαν εὖ βεβηκότων ἀνδρῶν, τὸ ἀκλινὲς τὸ τῆς ψυχῆς ὄρθιον ἐν τοῖς δεινοῖς διαφυλαττόντων: *Virorum conſtantiũ eſt, animi ſtatum in periculis rectum & immobilem conſervare. Ac Socratis dictum admodum memorabile fertur tale:* ἀνδριὰς μὲν ἐπὶ βάσεως, σπουδαῖος δ᾽ ἀνὴρ ἐπὶ καλῆς προαιρέσεως ἀμετακίνητος ὀφείλει εἶναι, *id eſt, ut ſtatua in ſua baſi, ſic etiã vir bonus & virtutis ſtudioſus in ſuo propoſito conſtans & immobilis eſſe debet. Hinc vir beatus Ariſtoteli in Eth. dicitur* τετράγωνος, *qui omnes fortunæ caſus, ſic ut oportet, ferre ſciat ac ſoleat.*

SEMPER

SEMPER IN AXE.



Hic licet usq; orbis celerem volvatur in orbem,
In se immota tamen mens generosa manet.

VESPERTILIO *à vespertino tempore dictus, à nocte græcis appellatur* νυκτερὶς. *Hanc aviũ solam animal sive vivum fœtum parere & lacte nutrire Plinius lib.* X. *cap.* LXI. *memoriæ prodidit. Extat autem elegans fabula apud Ovidiũ lib.* IV. *Metamorph. de Alcithoe & sororibus, Minei Thebani filiabus, ob contemtum sacrificium Bacchi in vespertiliones conversis. Notantur verò per vespertilionẽ tria genera hominũ (quod Alciatus quoq; in Emblematis nonnihil innuit) quorum primum est, qui ob malã famam, æs alienum, vel aliam similem caussam, lucem & homines fugere coguntur. Alterum philosophos nonnullos continet, qui dum nimis abdita & incerta, & longe supra ipsorũ captum posita, perscrutari conantur, sæpe cæcutire solent. quod etiã Aristot. lib.* II. *Metaphys. monuit, ubi ait,* ὥσπερ καὶ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων, *id est, Quemadmodũ vespertilionũ oculi ad lumen diei se habẽt, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omniũ sunt. Tertiũ est quorundam verisipellium & callidorũ, ac plane ancipitis fidei, jã hoc probantiũ, jam aliud: de quib. versus cõmemorantur veteres ex Agathone apud Varronẽ de lingua latina.*

Quid multa? factus sum vespertilio. neque
In muribus plane, neq; in volucribus sum.

Quales fraudulenter ἐπαμφοτερίζοντας *neutri parti in civili discordia adhærentes, lex Solonis (ut in eius vita tradit Plutarchus) ab omnib. publicis muneribus removit, quod quidẽ non ideo factũ est, quod pacis & tranquillitatis necessario tempore studiosi improbarentur, sed potius ut hac ratione facilius ac cõmodius cives tam in concordia retinerentur, quã disjuncti rursum ad illam rectius perducerentur. De vespertilione quidem à cæteris avibus nudata pennis, & ad nocturnos volatus damnata, nota est Aesopi fabula.*

INTER

INTER VTRVMQVE.



Vita fugit lucem diræ male conſcia culpæ,
Vt quæ avis à ſero veſpere nomen habet.

APES *sive apis*, μέλισσα *vel* μέλιττα ἀπὸ τοῦ μέλιτος *græcis dicta, à melle nimirum conficiendo ab Aristotele lib.* IX. *de histor. animal. cap.* XL. *vocatur* τῶν ζώων καθαριώτατον καὶ ἐργατικώτερον, *id est, animalium omnium mundissimum & laboriosissimum. Quo in loco apum natura & proprietas, & quasi politia quædam concors accurate describitur. unde postea alii fere omnes, ut Plutarchus, Plinius, Aelianus, Virgilius & reliqui desumserunt: inter quos Plinius lib.* XI. *c.* V. *ait, labores tolerant, opera conficiunt, rempublicam habent, cōsilia privatim, & duces gregatim, & quod max. mirum est, mores habent. Et cap.* VI. *Nullusq; cum per cælum licuit, otio perit dies: & cap.* X. *Mira operis observatio. Cessantium inertiam notant, castigāt mox & puniunt morte. Sic Virgilius inter alia* IV. *Georg. dicit:*


Omnibus una quies, operum labor omnibus unus.

Qua imagine clarissime exprimitur tam gubernationum solicitudo ac diligentia, quam subditorum in aliqua bene ordinata Republica studium obœdiendi & fideliter fungendi officio suo. Eodem sensu quidam addunt, MENS OMNIBVS VNA EST. *Ruscellus ascribit hoc symbolum Antonio de Leva, præcipuo Cæsaris* CAROLI V. *polemarcho, cum dicto,* SIC VOS NON VOBIS, *scilicet mellificatis apes. Cū enim hic omnino sperasset, Ducatum Mediolanensem sibi gubernandū traditurum Imperatorem, quoniam potiss. eius opera fuerat recuperatus, nihilominus tamen Francisco Sfortiæ, ut promiserat Cæsar, bona fide fuit ille restitutus.*

LABOR

XC.

LABOR OMNI-BVS VNVS.



Doctus aptum & ſtudia & mores & jura revolvat,
Qui bene vult populis dicere jura ſuis.

PLATO *lib.* VI. *de legibus ait,* δὶς τὸ καλὸν ῥηθὲν οὐδὲν βλάπτει, *id est, Bis pulchrum & laudabile dicere, nihil nocet. Quare etsi hoc symbolum in prima quoq; Centuria exposuimus, hoc loco tamē diversa quidem expositione propter illius elegantiā repetere placuit. Varro lib.* IV. *de re Rustica, naturam api plurimum artis ac ingenii tribuisse scribit, ut quæ minime sit malefica, & quod nullius opus vellicans faciat deterius. Nam neutiquam floribus insidendo officit, aut impedit quo minus plenum fructum afferant. De quo Aristoteles lib.* XI. *cap.* VIII. *adhuc multo prolixius agit, nec non Plinius, ipsius hac in parte copiosus interpres. Rectiss. autem hoc symbolum ab illis usurpari poterit, quorum omnium actionum & universæ vitæ finis eo spectat, ut sine ulla injuria & damno semper quam pluribus possint inservire, nec ulli quicquam mali inferre. Est autem innocentia, secundum Ciceronem, puritas animi, omnem injuriæ illationem abhorrens, quam in Tusculan. Quæstionibus* ἀβλάβειαν, *id est, affectionem animi quæ nemini noceat, nominare solitus est. Apud alios adjecta est græca inscriptio,* ἈΦ' ἙΚΆΣΤΟΥ ΤẺῈ ΧΡΉΣΙΜΑ, *id est,* AB VNOQVOQVE VTILIA. *Quemadmodum enim apicula in florido prato ad quosvis flores advolat, atq; ex illis solum ea, quæ sibi utilia sunt, carpit & inde aufert: sic nos quoq; relictis aliis superfluis vel etiam detrimētosis studiis, ad ea tantum animum applicare debemus, quæ aliquid utilitatis ac doctrinæ bonæ ac salutaris afferre possint,*

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant, &c.

secundum Lucretii melliflua carmina. Quo etiā notari potest ex Aeschine ad Ctesiph. selectas veterum poëtarū γνώμας *olim pueris ediscendas propositas fuisse,* ἵνα ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρῶνται, *ut viri facti eas ad usum transferrent. Plura in Centuriæ primæ symbolo* LXVII. *Vt prosim.*

SINE

XCI.

SINE INIVRIA.



Quæ multis prosint, sapiens fert, colligit, auget,
Vt varios flores sedula libat apis.

EST & hoc symbolum antea in prima Centuria aliqua ex parte expositum, cuius tamen hic tractationem pleniorem repetere voluimus. Quod Apes floribus odoratis & inprimis rosis apprime delectentur, & inde suaviss. alimentum sibi comparent, antea dictũ est, & libet insuper afferre in medium B. Basilii egregiam similitudinem, quam ponit in commentario de legendis libris Ethnicorum: ὡς γὰρ τῶν ἀνθέων τοῖς μὲν ἀνθρώποις ἄχρι τῆς εὐωδίας ἢ τῆς χρείας ἐστὶν ἡ ἀπόλαυσις, ταῖς μελίτταις δ᾽ ἄρα καὶ μέλι λαμβάνειν ἀπ᾽ αὐτῶν ὑπάρχει· οὕτω δὴ κἀνταῦθα τοῖς μὲν τὸ ἡδὺ καὶ ἐπίχαρι μόνον τῶν τοιούτων διώκουσιν, ἔστι δέ τιν᾽ καὶ ὠφέλειαν ἀπ᾽ αὐτῶν εἰς τὴν ψυχὴν ἀποθέσθαι, *id est, velut enim florum hominibus quidem usq; ad odorem & colorem est usus, apes autem mel ex ipsis excipere noverunt: Sic etiam hic qui diligentes in legendo existunt, non solum quod dulce jucundũq; fuerit in eorum libris persequuntur, sed quandam ex illis utilitatem in animum reponere student.* τροφὴ γὰρ, *ut Aristides ait in Panathen.* ὡς ἀληθῶς καθαρὰ καὶ διαφερόντως ἀνθρώπου, ἡ ἐν μαθήμασι καὶ λόγοις: *Verè purum & hominis proprium alimentum, artes & litteræ. E contrario autem Scarabæus, ut Aelianus refert, lib.* IV. *cap.* XVIII. *ab odoratis læditur, ac fœtidis oblectatur, inprimis vero rosæ adeo illi sunt contrariæ, ut illis involutus quoq; intereat. Quod proprie etiam convenit ingenio agresti ac ab omni liberali institutione, ac doctrina laudabili plane abhorrenti, cum alii bene educati & instituti tantopere his sese oblectent, ac sustentent. Quo pertinet proverbium tritum, Scarabæo unguentum, quod Plutarchus* VII. *Symposiac. Quæst.* VII. *in philosophum austeriorem quendam, qui psaltriam in convivio nolebat, ferre convenire ait.*

XCII.

VNI SALVS, ALTE-RI PERNICIES.



Vt rosa mors, scarabæe, tibi est, apis una voluptas:
Virtus grata bonis, est inimica malis.

DE animalculis tam in nive quam igne viventibus locus habetur apud Aristotelem lib. V. *cap.* XIX. *de hist. Animal. satis memorabilis, quem integrum ascribere placuit. Quin etiam in iis quæ putredinem nullã posse recipere existimantur, nasci animalia novimus, ut vermes in nive vetustiore, qui hirti sunt pilis & rubidi, quoniam & ipsa nix vetustate rubescit, sed in nive mediæ terræ cãdidi & grandiores inveniuntur. Torpent omnes ac difficulter moventur. In Cypro insula ærariis fornacibus, ubi chalcitis lapis ingestus compluribus diebus crematur, bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ, paulo muscis grandibus maiores, quæ per ignem saliunt atq; ambulant. Emoritur & hoc genus & illud nivis alumnum, cum alterum ab igne, alterum à nive dimotum est. Hæc ille. Plinius lib.* XI. *cap.* XXXVI. *eadem repetens vocat pyralin sive pyraustam, de quo in symbolo proximo plura. Seneca quoq; lib.* V. *cap.* VI. *cum admiratione potius quam caussæ explicatione idem affirmat, itemq; Aelianus lib.* II. *cap.* II. *à quo* πυρίγονοι, *id est, in igne nati vocantur. Hoc tamen nescio, qua ratione inductus Ovid.* VI. *Fastor. negare videtur,*

Nec tu aliud Vestam, quam puram intellige flammam:
Nataque de flammis corpora nulla vides.

Erasmus in Adagiis proverbio, πυραύστου μόρος, *id est, pyraustæ interitus, hoc symbolum interpretatur vel de* ὠκυμόροις, *id est, qui celeriter intereũt, vel etiam de illis, qui nullibi alibi vivere possunt, quam in propriis ac cõsuetis laribus & domiciliis, à quibus si paulo longius abesse cogantur, sibi moriendum existiment. Alii ex Plinio ascripserunt,* MORIAR SI EVASERO, *quod non absimile est illi,* ἀπωλόμεθα ἄν, εἰ μὴ ἀπωλόμεθα, *id est, perimus, si non perimus, à contrario sensu.*

XCIII.

MORERER EXTRA.



Turpe est in propriis fixum consistere tectis,
Nec cœlo annata conditione frui.

NITEDVLA *sive Cicindela, quam vulgò noctilucam appellant, insectum est pennatum instar muscæ, cuius quoque meminit Aristoteles lib.* I. *de part. Animal. cap.* III. *vocatque* λαμπυρίδα, *vel secundum alios,* λαμπουρίδα, *quia noctu per arva luceat, instarque flammæ micet. Plinius lib.* XVIII. *cap.* XXVI. *de his ita scribit. Est signum illius (hordei) maturitatis, & horum (milii ac panici) sationis commune, lucentes vespere per arva cicindelæ, ita appellant rustici stellantes volatus, græci verò lampyridas, incredibili benignitate naturæ. De quo plura apud eundem autorem legi poterunt, libro jam commemorato, & lib.* XI. *cap.* XXVIII. *Apud nos quidem vermis est Erucæ similis, qui eadem parte qua cicindela noctu fulgorem tam clarum emittit, ut etiam ad illum litteræ legi possint, ut scribit Gesner. de Lunar. & reb. noctu lucentibus. Quamquam verò & hoc symbolum autor illius ad honesti amoris significationem accommodaverit, inprimis tamen ille forsitan demonstrare voluit, conjugium optatum & felix à cælo, id est, Deo opt. max. peculiariter hominibus procurari, nec nostro judicio aut industriæ, sed soli providentiæ divinæ esse ascribendum. Quod probat ista memorabilis sententia Salomonis in proverb. cap.* XIX. *ubi græca ita leguntur,* οἶκον καὶ ὕπαρξιν μερίζουσι πατέρες παισὶ, παρὰ δὲ κυρίου ἁρμόζεται γυνὴ ἀνδρὶ, *ubi usitata versio sic habet, Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem proprie uxor prudens. Quod amicus meus D. Conradus Rittershusius vir doctiss. hoc aliquando disticho inclusit,*

χρήματα μὲν παῖδες γονέων ἄπο κληρονομοῦσιν,
ἡ ἀγαθὴ δὲ θεοῦ σύζυγός ἐστι δόσις.

Heredes patrum gnati bona plurima cernunt,
Moratæ ast dator est conjugis ipse Deus.

XCIV.

MEVS IGNIS AB ORTV.



Ne forte in tenebris offendas, ſit tibi ſummi
Flamma iter oſtendens provida cura DEI.

ADMI-

ADMIRANDAM *prorsus Bombycum generationem & variam mutationem legere possumus apud Aristotelem lib.* V. *de histor. Animal.cap.* XIX. *& Plinium lib.* XI. *cap.* XXII. *&* XXIII. *Quæ omnia Hieronym. Vida Cremonensis eleganti poëmate elaboravit. Fit a. primum ex ovo vermis, ex verme eruca, deinde bombylius, ex hoc Necydalus, & tandem spacio sex mensiũ Bombyx. Post quadragesimum verò diem, quo eruca se abdidit & in Bombyliũ est mutata, subnascens papilio (quem Aristoteles videtur* νεκύδαλον *vocasse) exeso folliculo, ut exitũ quærat, filum proscindit & fit quatuor alis pennatus. Vida ita versibus expreßit lib.* II.

Nonne vides, cum carceribus exire reclusis
Instant ardentes, quanta nitantur opum vi?
Clausa obstat domus, & fili densissimus ordo,
Nec mora nec requies, vestigant omnia circum,
Explorantque aditus omnes, si qua potis extra
Rumpere, & optatæ rursum se reddere luci.

Hinc quidam nobilis juvenis mature ex carcere amoris ac Veneris laqueis & illecebris, quasi ex dura servitute sese liberans, & ad bonam frugem rediens, totus se studiis gravioribus & cognitioni rerum laudabilium addicere, & tanquã alas, quibus ex sordibus prioribus evolet, comparare studuit. Alius græcum hemistichium ex Epigrammat. lib. II. *addidit,* ἌΠΤΕΡΟΣ ΟΥ̓ ΔΎΝΑΤΑΙ, *id est, sine pennis non potest, scilicet avolare. Alius ascripsit,* ET FECI ET FREGI, *ingeniose innuens, quod sicuti incautius in juventute voluptatibus & amoribus fuisset irretitus & sponte sua illis servisset, sic paulo post maturiore judicio & vera ratione superveniente illa omnia reliquisse, ac tandem tanquam fracto ergastulo ad meliores partes evolasse.*

XCV.

PVRVS VT ERVM-PAM.



Cæca voluptatum, o juvenes, abrumpite vincla,
Libera erunt vestra his pectora vindiciis.

CICADAM *quasi cito cadentem, id est, celeriter evanescentem dictam esse quidam volunt, apud græcos τέττιξ est ἀπὸ τοῦ τετίζειν, id est, stridere. Aristoteles lib.* V. *cap.* XXX. *in minores & majores divi-dit, & has argutas, illas mutas esse, maresq; canere, fœminas silere ait. Cuius rei eleganter reddit rationem Theophylactus Simocatus in probl. physicis. Quod si quis pleniorem de his cognitionē desideret, legat quæ Cælius Rhodiginus lib.* XVII. *cap.* VI. *prolixe disseruit. Sicuti autē cicada hieme recondita torpet, & in terra latitans frigora patienter tolerat, expectans tempus æstatis calidius, cuius tepore & simul roscido florum ac herbarū humore quasi reviviscat: ita vir prudens ferens aliquantisper patienter adversæ fortunæ insultus, fortunam meliorem animo constanti & æquo in terra expectat. Quod quidem piis hominibus indubitanter divinum auxilium suo tempore sperantibus in omnib. calamitatibus assidue est meditandū. Quale evidentiss. exemplum in S. Iobo proponitur, ex cuius libro cap.* XIV. *hoc dictum desumtum est, ubi ait: Cunctis diebus militiæ meæ expecto, donec veniat immutatio mea. Hadrianus Iunius aliter accepit. nam cum cicada tantū rorem lambat ex florib. jam apertis, & reliquos immaturos & occlusos prætereat, donec suo tempore quoq; illis frui liceat, præsentib. interea fruens: ita quoq; unusquisq; in sua αὐταρκείᾳ contentus vivere, quamdiu necesse est, debet. Addidit autem Italicum proverbium,* DI QVESTO ME CONTENTO, ET MEGLIO SPERO, *id est, Præsentibus contentus meliora spero. Quo pertinent Lucret. versus lib.* IV.

Quod si quis vera vitam ratione gubernet,
Divitiæ grandes hominis sunt vivere parce
Aequo animo. neq; enim est unquam penuria parvi &c.

Notandum autem, pictorem pro cicada perperam hic locustam appinxisse.

EXPE-

EXPECTO DONEC VENIAT.



Frigora fert patiens, ſpe veris, parva cicada:
Sperat & infeſtis mens bona ſemper opem.

MVSCÆ in speculi superficie tanquam nimis glabra & expolita non possunt consistere, indeq; levi momento decidunt, at in corporib. scabris & duris inhærere diutius & validius illis conceditur. Non aliter viri constantes in rebus duris & adversis omnia magno animo agunt, & quidem stabilius ac alacrius, quam in secundis, quas Xenophon ait difficilius esse moderate ferre quam adversas. Et Plutarchus in erudito commentario παραμυθικῷ *ad Apollonium, inter alia egregia dicta, quæ huc pertinent, hoc quoq; exponit:* πεπαιδευμένων γάρ ἐστι καὶ σωφρόνων ἀνδρῶν, πρός τε τὰς δοκούσας εὐτυχίας τὸν αὐτὸν εἶναι, καὶ πρὸς ἀτυχίαις φυλάξαι τὸ πρέπον. *id est, Recte enim instituti hominis est atq; cordati, neq; mutari ob eventum rerum quæ videntur prospera, & constanti animo decorum in adversitatibus servare. Minimum enim illi obesse fortuna potest, qui sibi firmius in virtute quam in casu subsidium collocavit, ut autor in Rhetoricis ad Herennium inquit. Videtur etiam ita non inconcinne accommodari posse ad innocentiam probitatemq; vitæ, quod in ea nullæ sordes adhærescere, nulla malevolorum reprehẽsio, nullus fortunæ impetus locum invenire posit, sicuti de viro bono fecit Ausonius.*


Securus, mundi instar habens, teres atq; rotundus:
Externæ ne quid labis per lævia sidat.

Et ante ipsum Horat. lib. II. *Sermon. Satyr.* VII.

——In seipso totus teres atq; rotundus,
Externi ne quid valeat per læve morari,
In quem manca ruit semper fortuna &c.

XCVIII.

SCABRISQVE TENACIVS HÆRENT.




Rebus in adversis sis fortis: nempe ea parva
Laus est virtutis, prosperitate frui.

NVMERAT *Aristoteles lib.* IX. *de hist. Animal cap.* XXXIX. *tria aranearum genera, ex quib. tertium dicit esse sapientiss. & de illarum venatione & artificio in tela conficienda plurima lectu digna proponit. Quem secutus Plutarch. in comment. de solertia Animal. non minus hoc argumentum eleganter tractat, nec non Aelianus lib.* I. *cap.* XXI. *& Plinius lib.* XI *cap.* XXII. *itemq́ Cicero* II. *lib. de natura deorum. Anacharsis autem, ut in vita Solonis Plutarchus, & Valerius Max. referunt, aranearũ telis leges cõparabat. Nam ut in his animalcula & insecta infirmiora, quales sunt muscæ, papiliones & similia, retinentur, validiora autẽ, ut vespæ, & crabrones perrumpunt: ita legib. humiles & pauperes constringuntur, divites verò & potentes illis non alligantu. Sed Stobæus hoc Zaleuco Locrensiũ legislatori tribuit. Quod quidem de legũ inæqualitate potius, quam recta ipsarum observatione intelligendum. Nam Trajanus justiss. Imperat. (ut Dio in eius vita perhibet) præfecto prætorio tradens gladiũ dixisse fertur: Hoc gladio pro me utaris, donec justa facio. Sin injuste egero, contra me. Ac similiter Antiochus tertius civitatib. sibi subditis scripsit, si quid unquam per literas mandasset, quod legibus adversaretur, ne curarent, sed haberent pro illo, quod se nesciente esset scriptum. Quo pertinet Platonis graviss. sententia lib.* IV. *de legibus,* ἐν ᾗ (πόλει) μὲν γὰρ ἂν ἀρχόμενος ᾖ καὶ ἄκυρος νόμος, φθορὰν ὁρῶ τῇ τοιαύτῃ ἑτοίμην οὖσαν. ἐν ᾗ δὲ ἂν δεσπότης τῶν ἀρχόντων, οἱ δὲ ἄρχοντες δοῦλοι τοῦ νόμου, σωτηρίαν καὶ πάντα ἀγαθὰ, ὅσα οἱ θεοὶ πόλεσιν ἔδοσαν γιγνόμενα καθορῶ, *id est, paratum illi civitati exitiũ video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt. Salutem verò illi, ubi lex servientibus magistratibus dominatur: cuncta certe bona, quæ dii civitatibus præbent, huic affore cerno. Et Cicero quoq́ alibi dicit, leges cum omnibus una & communi voce loqui.*

VIO-

XCIX.

VIOLENTIOR EXIT.



Innodat culicem, ſed veſpa pervia tela eſt;
Sic rumpit leges vis, quibus hæret inops.

VISUM *fuit tandem hanc tertiam Centuriam nostram cum Phœnice concludere, & de illo paulo verbosius, quam antea factum est, disserere. Idque tum propter autorum plurimorum de eo varias ac interdum discrepantes opiniones, tum ob Symbola, ex hac ave ingeniosa nonnulla & præclara desumta. Ac quantum ad primum attinet, si omnium eorum, qui de illo aliquid litteris mandarunt, sententias in medium proferre vellem, non aliquot paucæ pagellæ, sed vix liber quispiam grandior sufficeret. quare satis esse putavi, saltem nomina præcipuorum scriptorum hoc in loco notare. Inter quos vetustissimus mihi occurrit Herodotus lib.* II. *sive Euterpe, quamvis dubitanter de eo loquatur. Philostratus quoq; in vita Apollonii, addit istud,* ὡς φασι, *id est, ut aiunt. Scripserunt de eo etiam Horapollo lib.* I. *cap.* XXXIV. *&* XXXV. *Plinius lib.* X. *cap.* II. *qui & ipse veretur, ne quid fabulosi subsit. Solinus cap.* XXXVI. *Seneca passim. Cornelius Tacitus lib.* V. *Annal. Aelianus lib.* V. *cap.* LVIII. *Lucianus. Sextus Aurelius Victor. Suidas. Xiphilinus in vita Tiberii, qui ait in Aegypto visum, ac Tiberio mortem denunciasse. Glycas Annal. par.* I. *Artemidorus lib. de insomniis, cap.* XLIX. *Aeneas Platonicus. Aristides in oratione de Smyrna beneficio M. Aurelii Imperat. reædificata: atq; inter poëtas Oppianus. Ovidius* XV. *Metamorph. Claudianus. Poëma Lactantio falsò ascriptum. Tzezes. Statius lib.* III. *Inter Ecclesiasticos verò scriptores Gregorius Nazianzenus in præceptis ad virginem, & oratione ultima de Spiritu sancto. Basilius. Tertullianus in libro de resurrectione carnis. Cyrillus, Cyprianus, Epiphanius, Eusebius Pamphilus, in vita Constantini Imperat. Rufinus. Ambrosius de fide resurrect. &* V. *Hexa. Isidor. lib.* XII. *Inter recentiores sunt, Albertus Magn. Volaterranus lib.* XV. *Scaliger contra Cardanum Exercit.* CCXXXIII.

VITA

VITA MIHI MORS EST.



Ex seipsa nascens, ex se reparabilis ales,
Quæ exoriens moritur, quæ moriens oritur.

vocatq; Semendam, ex scriptoribus recentioribus rerum Indicarum: Pierius Valerian. in Hieroglyphicis. Erasmus in Adagiis Chil. II. Centur. I. proverb. XXI. & LVII. Adrianus Iunius proverb. XCIII. Centur. V. Gesnerus de Avibus, & plures alii, quorum nomina jam non succurrunt. Sed, meo quidem judicio, inter omnes, quos jam enumeravimus, nullus videtur exquisitius ac certius de Phœnice scripsisse, quam Cornelius Tacitus lib. VI. Annal. Cuius ideo verba integra hic apponenda esse censuimus: Paulo Fabio & Lucio Vitellio Coss. post longum seculorum ambitum Phœnix in Aegyptum venit, præbuitq; materiem doctissimis indigenarum & Græcorum, multa super eo miraculo disserendi. de quibus congruunt, & plura ambigua, sed cognitu non absurda promere libet. Sacrum Soli id animal, & ore ac distinctu pinnarum à cæteris avibus diversum, consentiunt qui formam eius definiere. De numero annorum varia traduntur. maximè vulgatum, quingentorum spacium. sunt qui adseverent, mille quadringentos sexaginta unum interjici, prioresque alites Sesostride primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui Heliopolis nomen, advolavisse, multo cæterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura. Inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt. unde nonnulli falsum hunc Phœnicem, neq; Arabum è terris credidere, nihilq; usurpavisse ex his, quæ vetus memoria firmavit. Confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eiq; vim genitalem affundere, ex qua fetum oriri, & primam adulto curam sepeliendi patris. neq; id temere, sed sublato myrrhæ pondere, tentatoq; per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque Solis aram perferre atq; adolere. Hæc incerta & fabulosis aucta. Ceterum aspici aliquãdo in

Aegypto

Aegypto eam volucrem, non ambigitur. Hæc ille. Sed notandũ, præter Claudianũ & Poema Lactantio perperam attributum, nec Plinium, neq; Tacitum vel alium ex veteribus tradidisse Phœnicem seipsum comburere, quod tamen postea recentiores universi secuti sunt. Sed veniamus jam ad Symbola, quorum primum est, VT VIVAT, *à Ruscello ascriptum Madrucio Cardinali, quod alii plenius efferunt,* SE NECAT VT VIVAT: *Cujus interpretatio multiplex esse potest. Nam primum generalius significat hominem, qui omnes suas cogitationes & actiones eo dirigere conatur, ut suæ vitæ brevitatem egregia fama compenset, & inde sese quasi immortalem reddere queat. Alii potius ad veram pietatem exercendam referunt, intelligendo per solẽ, ad quẽ Phœnix aspirat, & cujus beneficio regeneratur,* CHRISTVM, *nostrum Redemtorem, unicũ justiciæ Solem, cui omnia nostra merito debemus referre accepta, & ejus caussa quævis libenter in hoc mundo perferre, quo tãdem per ipsum vitam beatam & æternam vivere queamus, certo nobis persuadentes, hãc mortem nostram esse initium vitæ melioris, de quo præclarum distichum & à multis commendatum legitur Ravennæ ad picturam Phœnicis:*

Securus moritur qui scit se morte renasci,
 Mors ea non dici, sed nova vita potest.

Quo & nostra hæc inscriptio, ex Symphosii Aenigmat. sumpta pertinet: VITA MIHI MORS EST. *Sic B. Tertullianus in libro de resurrectione carnis inquit, plenissimum ac firmissimũ specimen esse hujus spei (resurrectionis) ex hoc alite sumendum, quod B. Ambrosius quoq; & Epiphanius in Physiologo asserũt. Quare quidam græcum dictum ascripsit.* ΘΝΗΣΚΩΝ ΟΥΚ ΑΠΟΘΝΗΣΚΩΝ, *id est, moriens non moriens. Cujus argumenti plurimæ extant sententiæ apud sacrarum literarum interpretes præclaræ. Quidã Bartolomæus Taëgius, qui de Sym-*

bolis sive impressis Italice breviter & accurate scripsit, addidit, NE PEREAT: *quo ait exprimi hominis pii ac religiosi propositum & studium laudabile, in fugiendis & compescendis voluptatibus ac illecebris huius mundi, & affectibus & cupiditatibus suis nimiis moderandis ac vincendis, deniq; in castigando proprio corpore, ne vitiis cum jactura animæ obsequatur. Quod B. Nazianzenus lib.* I. *Sententiarum spiritualium his jambicis versibus breviter de quibusdam vitiis exposuit,*

> ἔρως, μέθη, ζῆλος τε καὶ δαίμων, ἴσα.
> οἷς ἂν προσέλθη, τὸ φρονεῖν ἐπέκλυσε.
> τῆξις, προσευχὴ, δάκρυον, τὰ φάρμακα,
> ἡ δ' ἰατρεία τῶν ἐμῶν νοσημάτων.

id est,

> Vinum, libido, livor & dæmon, idem:
> Quorum occuparint, opprimunt hæc pectora.
> Medentur hisce, lacrymæ, fames, preces,
> Sic est meæ curatio ægritudinis.

Aliud præterea symbolum Phœnix suppeditat, nimirum, NVTRIX IPSA SVI, *ex Poëmate Lactantio ascripto,*

> Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus hæres,
> Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi.

Quod illis recte tribuitur, qui suamet industria & virtute ad res magnas sine aliorum adminiculo pervenerũt. Sereniss. quoque Helionora Austriaca, CAROLI V. *soror, ex hoc alite desumere voluit symbolum, cum inscriptione:* VNICA SEMPER AVIS, *secundum Ovidium* II. *Amor.*

> Et vivax Phœnix, unica semper avis.

Quo demonstrare studuit (ut Paradinus refert) sicuti optima & pretiosiss. quæq; rara sint & inventu difficilia, ita quoq; sibi esse persuasum, se nunquam talem alterum maritum, qualis fuerit FRANCISCVS I. *Rex Galliæ, in posterum esse repertarum.*

turum. Est autem notum, quod proverbii loco vocemus aliquem propter raras ingenii dotes unicum Phœnicem, quia alios omnes ita excellat, ut neminem parem habere videatur. Illustrißima quoq; Princeps Bona Sabaudiensis, Ioannis Galeatii Mediolanensium Ducis mater, orbata marito, curavit in numismate cudi Phœnicem, additis his verbis: SOLA FACTA SOLVM DEVM SEQVOR. *Quo indicaret, quemadmodum hæc avis sola & unica in orbe inveniatur, sic etiam se propter solitudinem ob mariti obitum, eo redactam esse, ut in posterum reliquis omnibus spretis & posthabitis omnino apud animum suum constituerit, soli* DEO *æterno inservire, ac omnia sua illi addicere. Quamquam verò plura huius generis symbola sese offerant, quæ in se non contemnendam doctrinam continent, tamen hæc sufficere hoc loco putavimus, atq; ita Centuriæ huic bono omine finem imponamus.*

OPTIME LECTOR,

HÆc quoque te celare par non fuit, & auctiorem & accuratiorem in parte esse hanc novam Emblematum paternorum editionem nostram. Quod tibi conferenti eam cũ priori statim liquebit. Secutus enim in hac sum exemplar paternum, in quo ille & emendaverat, & addiderat non pauca, plane ut ipse quoq; de alia aliquando editione cogitasse videatur. Sed & cum ipse, ut vir optimus, non dissimularit antea, nõ se, sed alios in distichis componendis elaborasse, sane iniquum fuerit, hoc nunc à me præteriri. In prima igitur Centuria majoris partis auctorem merito laudamus, Joachimum Jungermanum, Lipsiensem, ad virtutem & gloriam natũ Juvenem, amitinum nostrum; Sed quem in medio utriusq; cursu invidia Fati hei extinxit! Reliqua ferè eiusdem, ut & plæraq; in duabus sequentibus Centuriis, CL. V. & J C. Cunradus Rittershusius Antecessor in Academ. Norica, nonnulla nos quoq; subjunximus. Hæc volebam nescius ne esses. Vale.

LVD. CAM.

d ERRA-

ERRATA TYPOGRAPHICA CENTVRIÆ TERTIÆ.

Embl. XVI. à f. 16. v. ult. pro ſi *lege* ſic. *Embl. X. lin. XIII. pro* Euriphile *lege* Eriphyle. *Embl. XI. lin. VI. a fin. pro* vitia *lege* vita. *Embl. LXII. pro* pulmas *lege* plumas. *Embl. XC. pro* aptum *lege* apum. *Embl. XCII. pro* nolebat, ferre *lege* nolebat ferre.

SYMBOLORVM ET EMBLEMATVM EX AQVATILIBVS ET REPTILIBVS Desumptorum

Centuria Quarta

A
Joachimo Camerario Medi. Nor:
coepta: absoluta post eius obitum
a
Ludouico Camerario JC.to
Joach. Fil.

In qua itidem res memorabiles plurimae exponuntur.

AN. SALVT. CIↃ DCIV

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS

II VIRIS, VII VIRIS, TOTIQVE SENATVI INCLITÆ CIVITATIS NORIBERGÆ.

VERISSIME, Viri amplissimi, Chrysostomus dixit: ὅτι αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν τῆς ἀρετῆς ἡ παραίνεσις πολὺ τὸ σκυθρωπὸν ἔχει: Et rem paucis verbis Agathias quoque Scholasticus expressit: φευκτὸν δ' ἡ τραχεῖα παραίνεσις, *admonitionem nimirum duriorem fugere & odisse plærosq;*. Ne igitur à Virtutis & Recti rigidioribus Philosophorum præceptis resilirent juvenes, omni ætate viri sapientes extiterunt, qui auste-

ritatem illam Doctrinæ & Veritatis velut ἡδύσμασι quibusdam condirent ac diluerent: non secus ac Medici amariora pharmaca ægris præbent ebibenda, oris poculi melle prius circumlitis, qua similitudine Lucretius, & Themistius in Orat. quadam ad Nicomedenses utuntur. Et hæc quidem totius poëseos, atque occultæ philosophiæ ratio, hic scopus est, ut ab illis & per illa, quæ cum voluptate in sensus incurrunt, mentem hominis ad longè meliora, virtutis nempe & veritatis cognitionem ac usum deducat. Cujus generis præter parabolas, adagia, fabulas, vel inprimis sunt, quæ Itali suo verbo, *Impresas*, vocant, nos communiter *Symbola* & *Emblemata* dicimus. Et illi quidem nostro sæculo in eiusmodi inventionibus præclarè excellere videntur, qui certis etiam regulis & legibus rem definiunt. Quos studiosè, dum vixit, secutus optimus ac humanissimus pater meus, cum plura ex Italicis scriptis collecta latino sermone illustravit, tum proprio studio nonnulla invenit, atque hac industria, ut uno verbo dicam, pulcerrimam illam *Vtilis* & *Dulcis* mixturam in brevitate decora, & si æqui, ut speramus, rerum æstimatores nobis obtingant, copiosa, egregiè probavit bonis & politis omnibus. Ediderat autem ex rei herbariæ & animalium historia Centurias Tres: atque in eo jam erat, ut Quartam etiam ex promisso adornare inciperet. Sed vix rem aggressus fuerat, & in ipso conatus exordio hei Mors invida manus in illum injicit, nobis ac Reip. de cunctis benè merentem eripit. Exitus quidem vitæ, animæ tam piæ & candidæ ingressus fuit ad illam sempiternam: Sed nobis luctuo-

luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam non sine dolore accidit. Vtinam vero supremam huic operi manum imponere illi licuisset! Jam & prodiret illud profecto multo accuratius, & eadem esset in hac, quæ in prioribus Centuriis ubique pulcritudo & gratia, max. cum aquatilium & reptilium historia prorsus sit physica, & Medici propria. Nunc ego ut cunctanter, & amicis tandem magis, quam mihi ipse obsequens, accessi ad perficiendum, quod à patre cœptum erat: Ita quid præstare potui paulo exquisitius, adhuc valdè adolescens veluti projectus in hunc civilium negotiorum Oceanum, ut amœniorem litteraturam omnem non tam ob illa, quam metu & desperatione nescio qua dudum seposuerim? Quocirca à felicissimis illis ingeniis ignosci mihi æquum fuerit, quibus mira inveniendi facultate præditis, in ejusmodi scitè & subtiliter efformandis summa & absoluta perfectio contigit. Nobis sicut in colligendo parentis vestigia pressisse, ita physicis ethica, atque interdum historica quædam succinctè attexuisse satis fuit. Sane autem & Plutarchus de solertia animalium, affirmat, difficilius multo esse de aquatilibus, quam terrestribus disserere, quod horum exempla in occulto non sint, illorum autem ortus, nutritiones, mores, & insidias aquæ abscondant, atque ita ab hominum sensu & notitia occultent. Qua mente Oppianus quoque lib. I. de piscatione, pisces dixit *ἀφεγγέας, ἄδηλον ἐπιπλώοντας θάλασσαν, obscuros, inconspicuum innatantes mare.* Et paulo post eodem libro I. subjungit Oppianus:

auguror: & hoc meum votum, & qualecunq; simul oblatum munus observantiæ & gratitudinis erga patriam meam publicè testificandæ, quin carum acceptumq; vobis futurum sit, magnificentia & benignitas vestra dubitare me vetant. Valete amplissimi Domini. Kalend. Febr. M. D C. V.

LVDOVICVS CAMERARIVS,
IC. Consiliarius Palat.

IN QVARTAM CENTVRIAM.

TRes olim numero fueramus amice libelli,
Lector, habes quarti nunc nova dona tibi.
Tres equidem partu CAMERARIVS *edidit uno,*
Et pede felici misit in ora virûm.
Quartus adhuc fuerat rudis indigestaq; moles,
Principiumque operis linea sola fuit.
Cum Lachesis jam fila secat properata parenti,
Et nondum natos patre carere facit,
Nil quam componi tumulo restabat eodem,
Et cœpta in mediis membra perire rogis.
Dum tamen erramus trepidi, totiesq; vocamus
Quærentes aliqua conditione mori.
Tu LODOICE *venis* CAMERARI *candida proles,*
Et facis hospitii tecta subire tui.
Nosq; foves teneris amplexibus, & modo cernens
Incompacta suo corpore membra mori.
Lustrali nos spargis aquâ, Neptuniaque arva,
Et maris undosi jam simul æquor aras.
Quicquid adhuc deêrat componis, & aurea dicta
Colligis, in tepido pergis habere sinu.
Inspirasq; animam mira pietate, trahisque
E Phlegetontæis corpus inane vadis.
Insuper enixis felici fratribus aura,
Qui dudum volitant docta per ora virûm,
Nos quoque conjungis famæque emittis in oras,
Vis ubi nunc nobis nulla nocere queat.
Quas tibi reddemus grates; quam qui modò frater,
Nunc frater nobis & pater unus eris.

HELIAS PVTSCHIVS.

IMMANES *illos Oceani alumnos, quales sunt cete, orcæ, physeteres, pristes & alii, (de quibus post Plinium aliosq; veteres, ampliss. ex recentioribus Gu. Rondeletius, Conr. Gesnerus, & Olaus M. scripserunt) cum ob vastitatem corporum in vadis periclitantium, oculorumq; caliginem, tum etiam ob bella inter ipsosmet, & fraudes insidiantium, duce uti exiguo pisciculo, quẽ* ἡγεμόνα *&* ἡγητῆρα *vocant, ejusque ope & vigilantia securitatem illis, sed capto eo, exitium adferri, Oppianus, Aelianus & Plutarchus scribunt, & elegantiss. versibus expreßit Claudianus quoq; II. in Eutr. Quidam piscem illum Aristotelis* μυστικητὸν, *quem Gaza Plinium secutus musculum vertit, cujusque etiam Phile meminit in Iambis, faciunt. Ad rem autem hunc typũ ipse Oppianus pulcerr. mehercle sententia accommodat:*

ἀλκὴ δ' ἀνεμώλιος ἄφρων.
Καί τε μέγα βριάοντα κατέσβεσεν, ἠδ' ἐσάωσε
Βαιὸς ἀνὴρ δαήμητις.

robur mentis expers, res inanis est.
Et vel potentissimum viribus perdat servetve
Parvus vir, qui valet consilio.

Nec incongruè huc referri poßit Xenophontis illud in παιδ: τὸν ἄρχοντα χρὴ οὐ τῷ ῥᾳδιουργεῖν διαφέρειν τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ τῷ προνοεῖν καὶ φιλοπονεῖν: *Principem subditis anteire debere, non luxu & otio, sed providentia & industria. Nam, ut Plutarchus inquit in vita Lycurgi:* ἡ πειθαρχία μάθημα μέν ἐστι ἄρχοντος. ἐμποιεῖ γὰρ ὁ καλῶς ἄγων, τὸ καλῶς ἕπεσθαι: *Vt populus sit dicto audiens, hoc discit à principe. Nam qui bonum præbet ducem, is facit, ut alii benè sequantur. Sed hanc quidem hujus symboli explicationem pluribus verbis exornavit CL. V. Io. Leunclavius, in proœmio in Greg. Nysseni de hominis opificio librum, ad Illustriß. Christophorum Palatinum Principem. Elogia autem boni Principis apud scriptores cuivis sunt obvia.*

QVAM

QVAM BENE CONVENIVNT.



Hoc balæna suo tuta est ductore per undas,
Principe & est felix plebs vigilante suo.

CETE *quædam, & quas vulgo balænas vocãt, tantæ esse magnitudinis in comperto est, ut naves etiã, quamvis prægrandes, evertere ac pessundare valeant, & Oppianus in ἁλιδυτ. idem affirmat. Tradunt autem quasdam ex istis, cum naves recẽs picatæ sunt, sentire illũ odorem, eoq; attractas affricare se navibus, atq; ita, ni præcaveatur periculum, illas evertere. Nautæ igitur picata dolia illis objiciunt, cum quibus dum ludunt, illi effugiunt. Ferunt hoc symbolo usum fuisse maximum heroem, Mauricium Saxoniæ Ducem, cujus excelsus animus, & inprimis illustres virtutes bellicæ ad omnem posteritatem erunt celebres. Fieri autem potest, ut prudentiss. princeps innuere voluerit, non temerè occurrendum, sed obludendum esse potentioribus, si illorum vim & insultus aliter vitare & frangere nequeas. Nam profectò, secũdum Paccuvii illud,*

Cum contendi nequitum est, clam tendenda est plaga.

Neque etiam illud Spartani Regis apud Plutarchũ apophthegma, de leoninæ & vulpinæ pellis usu ignotum est. Referri denique huc possunt egregia illa belli furta & stratagemata, ab omni prorsus reprehensione, secundum Valer. Max. remota, per quæ, ut Thucydides loquitur, τὸν πολέμιον μάλιστ' ἄν τις ἀπατήσας, τοὺς φίλους μέγιστ' ἂν ὠφελήσειεν: *hostes max. decipiuntur, & amici plurimum juuantur. Verissimum igitur est Polybianum illud apud Suidã:* μία ψυχὴ τῆς ἁπάσης πολυχειρίας ἐν ἐνίοις καιροῖς ἀνυστικωτέρα: *Vnius mentis solertia aliquando efficacior, quam mille manus. Docere etiam potest hoc symbolum, imminente gravi aliquo periculo omnem honestam esse rationem expediendæ salutis, & vitæ seruandæ caussa insuper habendas omnes diuitias. Verè namq; Alcestis apud Eurip. ait:*

ψυχῆς γὰρ οὐδέν ἐστι τιμιώτερον:
Nam nihil est vita pretiosius.

HIS

HIS ARTIBVS.



Vt te ipsum & navim serves, comitesq́; pericli,
In pontum cunctas abjice divitias.

INTER *symbola Octavii Stradæ, Cæsaris antiquarii, hoc de balæna cum pisciculis colludente Edovardo* III. *Angliæ Regi, qui devicto Ioanne Gallorum Rege res maximas gessit, tribuitur, quo forte innuere voluit, vel nocere hos grandissimæ belluæ, si nimis se indulgentem illis præstet, vel certè ab illis allectam in minus tuta loca deferri, cum ejus certo exitio. Nobis enim & de inventore, & de inventionis argumento veritas nondum comperta est. Hoc igitur teneamus, etiam maximis quibusque animalibus, à minimis sæpè paratam esse perniciem. Nam & Crocodilum, vastum illud Nili monstrum, ichneumō, exiguum animalculum interficit, ut Embl. pen.* II. *Centur. ostendit. Nempe haud aliter adulatores, homines contempti, & quos nulla re lædere, ne dum Principibus damnum adferre aliquod posse putares, maximè tamen noxii sunt, & ampliss. sæpè imperia concutiunt ac evertunt. Argutè Antisthenes malle se dixit* εἰς κόρακας, ἢ εἰς κόλακας *incidere: illos quippe mortuos, hos vero vivētes devorare. Stobæus autem ex Phavorino citat:* ὥσπερ ὁ Ἀκταίων ὑπὸ τῶν τρεφομένων ὑπ' αὐτοῦ κυνῶν ἀπέθανεν· οὕτως οἱ κόλακες τοὺς τρέφοντας καταλύουσιν. *Quemadmodum Actæon à canibus quos ipse enutriverat, dilaceratus fuit: ita adulatores hos, qui ipsos alunt, evertunt. Sed Plutarchus pulcrè ait, adulatores more aucupum vocem suam ad imitationem Regum componere, itaque eos subire ac decipere. Mellitum enim illis venenum est, ut Plinius loquitur, & rectiss. Diogenes orationem adulatoriam* μελιτίνην ἀγχόνην, *melleam præfocationem, appellavit, quod assentatione quidem delectaret, ceterum mendacio strangularet admittentem. Gravis etiam est Aristonymi apud Stobæum sententia:* τὰ μὲν ξύλα τὸ πῦρ αὔξοντα, ὑπ' αὐτοῦ καταναλίσκεται. ὁ δὲ πλοῦτος ἐκτρέφων τοὺς κόλακας, ὑπ' αὐτῶν τούτων διαφθείρεται: *Ligna dum augent ignem, ab ipso consumuntur. Opes dum alunt adulatores, ab eis ipsis pereunt.* NO-

NOCET ASSENTATIO MAGNIS.



Vilis adulator blandè mentitus amicum
Se ingerit, admissus maxima damna dabit.

IV.

OMNIVM *totius piscium generis minutissimi sunt, quos Græci & Latini Aphyas, quidam Apuas appellãt. Si paulo sint remotiores, nihil præter oculos ferè conspicitur, ut multitudo oculorum collecta videri queat, testante Aug. Nipho. Plinius illos ex pluuia: Aristoteles ex spuma: (Vnde & ἀφρὸς, quod Ionum esse nomen tradit Archestratus, is piscis dicitur) Aelianus & Oppianus ex limo gigni narrant. Iniuriis & maris & voracium piscium inprimis expositi celerrimè intereunt. Subuenit tamen illis natura quoq; ad diuturniorem conseruationem. Si enim Oppiano, Suidæ, aliisq; credimus, in densissima agmina conglomerati, & in se invicem veluti complicati, maximè ad maris scopulos circumnatant, & hoc modo ne magnis piscibus præda fiãt, præcauent: itaq; in vnum coniuncti globum se tuentur, qui disiuncti & dissipati ne vnum quidem diem superesse possent. Sic scilicet est inuicta concordia, & periculi expers virium conjunctio, quamvis imbecillium, quos*

Defendit numerus, junctæque umbone phalanges,

ut Iuuenalis cecinit. Quo etiam Homericum illud pertinet:

Συμφερτὴ δ᾽ ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν ϗ μάλα λυγρῶν.

Coniuncti pollent etiam vehementer inertes.

Pulcrè etiam T. Quinctius apud Liuium: Aduersus consentiẽtes nec Regem quemquam satis validum, nec tyrannum fore. Nec minus prudenter Micipsa moriens apud Sallustium ad filios: Regnum vobis trado firmum, si boni eritis: si mali, imbecillum. Nam concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Euidentius vero Scilurus Scytha, vti Plutarchus refert, qui moriturus filiis suis, quos LXXX. *habuit, iaculorum fasciculum singulis porrexit, ac rumpere jussit. Quod cum recusassent, tanquam impossibile quid: ipse singula jacula exemit, facilimeq; confregit: concordes si fuissent, inuictos; disiunctos animis, imbecilles futuros innuens. Referẽda est huc & fabula Babriæ sive Gabriæ* XXX. *de trib. bobus cõcordib. & discordib.*

IV.

TVTOS CONIVNCTIO PRÆSTAT.



Nos tamen hæc glomerata simul conjunctio servat,
Quos facile sparsos perderet una dies.

SOLERE *ſæpenumero Balænas, vel procellarum vi in littora ejici, vel etiam dum ipſæ apricandi ſtudio terræ nimium propinquant & ſidunt, ob refluxum maris aqua deſtitui, atque ita in ſicco relinqui, ut mole illa ſua corruant, experientia teſtis eſt. ſuntq́ ad Oceanum crebra ejus rei ſpectacula: & in Batavis inſigne ſuperiori anno* M.D.LXXXIIX. *contigiſſe meminimus. Balænã ſane nõnunquã è mari prodire, & ad ſolem apricari, ipſe Oppianus ſcribit. Vnde & Grammatici quidam volunt dictam:* παρὰ τὸ πρὸς φῶς ἅλλεσθαι: *eoq́ hodie nomine cunctas ferè majores pelagi belluas vulgo intellegunt, cum veterum quidem balæna ex Rondeletio & Gesnero ſatis nota ſit. Emblema autem hoc ſe ipſum ex inſcriptione Horatiana ferè explicat: cum qua Iſocrates conſentiens, Robur prudentiæ conjunctum profuiſſe quidem, verum ea deſtitutum, magis fuiſſe habentibus detrimento, dixit. Et Neſtor apud Homerum idem pænè pronunciat. Exemplo ſunt Milo Crotoniates ille, & Polydamas athleta: quorum ille dum quercum manibus inſertis divellere, hic ſpelũcam ruentem ſolus humeris ſuſtentare conatur, miſerè uterq́ periit, ſicuti apud Valer. Max. legimus. Poſsit hoc etiam accommodari fortaſsis ingenti alicui imperio, quod ipſa magnitudine ſua laborat, minaturque ruinam. Illud enim, dum cuncta immenſæ duntaxat potentiæ ſuæ & tribuit & aſcribit, Dei omnipotentis manu & protectione merito tandem deſtituitur. quod ſi fit, magno cum fragore ſubito corruit. Vt enim Apollodorus Comicus ait:*

> ὄγκου μεγάλου πτῶμα γίνεται μέγα,
> Ingentis molis ingens ruina erit.

Sapienter itaq́ Gr. Nazianzenus monuit:

> Μὴ ἐπαρθῇς μέγα, ἵνα μὴ μεῖζον κατενεχθῇς,
> Ne efferaris altè, ne deferaris altius.

Siquidem, ut pulcerrimus habet Claudiani verſiculus:

> Magna cadunt ſubito, ſumma repente ruunt.

MO-

V.

MOLE RVIT SVA.



Me mea ad interitum moles pertraxit acerbum.
Sic pereat, quisquis robore fidit atrox.

INTER *pisces marinos volantes etiam recensentur hirundines, qui Aristotele, Oppiano, aliisq; referentibus, sublimes extra aquam evolant, cumq; pinnas suas explicant, nostris hirundinibus non sunt absimiles, uti Plinius innuit: & vivos se eos vidisse attestatur I. Cæs. Scaliger. Evolant autem more avium gregatim, ut effugiant instantes sibi in mari hostes, quemadmodum Oppianus & Aelianus scribunt: & oculatus testis est Ant. Pigafetta Vincentin. in descriptione suæ Navigationis circa universum orbem, ubi narrat se sæpius hoc observasse non procul à freto Magellanico. Verum non in aquis tantum hæc illis parata pernicies, sed in aëre etiam fugitivos excipiunt rapaces volucres, quæ miserè captos enecant ac devorant. Et avium quidem istiusmodi marinarum, quæ è mari prædam pro victu habent, in Brasilia maximam esse copiam Io. quoq; Lerius observavit. Alciatus simile commentatus est emblema de Sardis pisciculis, quos simul in mari hinc Aurata, hinc mergi fulicesq; persequuntur. quod Claud. Minos in litigatores, qui frustra ab uno judice ad alium usq; provocant, nec ad exitũ litis pervenire unquam possunt, accommodat. Congruit autem hoc nostrum generaliter in omnes, qui evitata, quod dicitur, Charybdi in Scillam incidunt. Quo pertinet Amos prophetæ illud: Quomodo cum fugiat homo è conspectu leonis, & obviam ei fiat ursus, & insiliat in domum suam, & innitatur manu ad parietem, & mordeat eum serpens? Referẽdum etiam huc est adagium:* Fumum fugiens in ignem incidi. *Item aliud:* De fumo ad flammã: *cum similibus. Quosdam adeo affligit fatum, ut illis non parcat quamvis mortuis. Quod eleganter expreßit Augusti libertus Phædrus fabella* LIX.

NEC

NEC AVRA, NEC VNDA.



In nos nempe omnis cœli pelagiq; rapina est:
Et fatale rapit, quem manet, exitium.

VT inter quadrupedes Leo Rex est: in volucrum genere Regina Aquila: Sic in pelago Delphines principatum obtinent, ut pulcerr. Oppianus in aureo suo de piscat. Poëmate cecinit, qui & alibi εἰναλίους ἡγητῆρας eos appellat, quasi dicas marinos principes. Illos tranquillo mari lascivientes, flatus ex qua veniunt parte præsagire, Plinius auctor est: Ejusq; rei caussam ex Th. Aquinate adfert Cæl. Rhodiginus in Ant. Lect. & de re tota eruditè Gu. Rõdeletius in opere suo de Piscibus disserit. Non igitur nec placido ac tranquillo mari, cæloq; sereno, quo max. colludere Delphines solent, nec fortunæ, quãvis mirè blandienti, benè creditur. Quo pertinet inprimis pulcerr. illa Palinuri in fin. V. Aen. cygnea cãtio. Gravißimè etiam Livius dixit: Maximæ cuiq; fortunæ minimè credendum esse. Et P. Syri illud in omniũ ore fertur: Fortuna vitrea est, quæ cum splendet, frangitur. Sed & Aristoteles init. VIII. Ethic. pronunciat: ὅσῳ γὰρ πλείων (ἡ εὐτηρία), τοσούτῳ ἐπισφαλεστέρα: Quanto major est rerum prosperitas, tanto pluribus casibus & periculis proposita est. Elegantißimi etiam sunt versus Apollodori Comici:

τὰ μεγάλα δῶρα τῆς τύχης ἔχει φόβον,
Καὶ τὸ πάνυ λαμπρὸν οὐκ ἀκίνδυνον κυρεῖ,
Οὐδ' ἀσφαλὲς πᾶν ὕψος ἐν θνητῷ γένει,
Ὅ περιέτρεψεν ἢ χρόνος τις ἢ φθόνος,
Ἐπὰν ἐπ' ἄκρον τις τοῦ καλῶς πράττειν δράμῃ.
Habent perampla dona fortunæ metum,
Periculoque non carent prælustria:
Nec ulla celsa tuta sunt mortalibus,
Quæ evertere vel invidia, vel tempus solet,
Felicitatis culmen ubi quis attigit.

Exempla infinita in omni historia occurrunt, & notiß. illud de Polycratis felicitate refertur Embl. X. hujus Cent. ubi plura in hanc sententiam.

ME-

METVENDA PROCELLA.



Contrahe vela, licet ludant Delphines in alto;
Nam tunc tempeſtas non procul eſſe ſolet.

ACHIL-

ACHILLES *Bocchius Bononiensis in Symbolicis suis Quæstionibus CL.V. Berguncio inventionem hujus typi ascribit, quo is significare voluerit, acumine, ratione, diligētia quemvis beari posse: remque ipsam elegantissimis versibus minutatim excutit ac persequitur. Astrææ quidē seu Iustitiæ imago, quæ vulgo virginis decoræ bilancem manu gestantis pictura repræsentatur, efficaciter nos adhortatur, ad cognitionē veritatis rei caussæq; cujusvis, tum ea cognita ad integram & circumspectam distributionem, quæ in Geometrica proportione potissimum cōsistit, suum cuiq; tribuit, præmia bene meritis constituit, pœnas nocentibus pro cujusq; delicto irrogat. Vnde convenienter admodum quidam dixit justitiam hanc, quam distributivam vocant, cujusq; propria sunt Cognitio & Electio, admittere adhiberéq; in consilium Gratias &* ἐπιείκειαν; *& Plato tum demū beatas fore Resp. prædicat, cum ad hanc justitiæ analogiam constituuntur. Delphinus vero, cum in perpetuo & constanti semper motu sit, etiam cum dormit, neque ante movendi quam vivendi finem faciat, ut Plutarch. tradit in lib. de solert. an. veram & genuinam Iustitiæ notam adumbrat. Est enim ea constans ac perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuendi, ex Vlpiani IC. definitione. Et justus vir semper justè agit, nec unquam justè agere cessat aut defatigatur, secundum descriptionem Aristotelicam. Delphinus etiam hieroglyphicè maris imperium denotat, ut docet Pierius. Atque ut in bello, sic in navigationibus & maritimis negotiationibus justitia vel primum sibi locum vendicat. Quo pertinet Rhodiorum navalis disciplina, quam ad suam usq; ætatem perdurasse scribit Cic. pro L. Manil. & quā Strabo* εὐνομίαν *admirabilē nominat, quamque omnes populi, etiam Romani ipsi, secuti sunt, ut annotat doctiss. Iac. Cujacius in* παρατ. *Dig. ad tit. de L. Rhodia, de jactu.*

COGNO-

VIII.

COGNOSCE, ELIGE, MATVRA.



Quid virgo hæc delphino equitans in fluctibus errat?
Numquid & in vasto justitia est pelago?

DELPHINVM *anchora circumplicatum, ad demonstrandam salutarem illam in rebus maturitatem, quæ inter nimiam celeritatem & tarditatem media est, pro insigni fuisse cum Augusto, Titoque Impp. tum superiori sæculo Aldo Manutio, celeberrimo Typographo, res scilicet omnibus est notissima: & aureum quidem plane illud & βασιλικὸν, τὸ σπεῦδε βραδέως,* Festina lentè, *luculenter & copiosè enarrat Erasmus in Chil. Nostrum hoc ex Alciato desumptum est diverso significatu. Tradit enim Delphinũ,* mare magnũ turbantibus æquora ventis, *ut Lucretius loquitur, cum à nautis anchora jacitur, eam singulari erga homines pietate complecti, & quasi humano quodam instinctu, ut eò tutius infigatur, dirigere. Nam peculiarem hanc Delphinis proprietatem inesse, ut tempestates veluti prænunciẽt, prox. præcedente Embl. retulimus. Anchora autem stabilimentum & securitatem: Delphinus φιλανθρωπίας & incolumitatis simulacrum hieroglyphicè exprimit, ut videre est apud Pierium. Talis profectò est Rex bonus & prudens, qui non tantum prævidet imminentem Reip. motum, sed tumultu etiam exorto ita dirigit consiliorum suorum anchoram, ut tuto poßit consistere curæ suæ & tutelæ demandatus populus. Nam, ut verè Am. Marcellin. dixit: Imperium cura est salutis alienæ. Inter alia autem memorabile Cyri dictum refert Xenoph. παιδ.* VIII. *παραπλήσια ἔργα εἶναι νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ, Boni pastoris & Regis boni opera esse consimilia; ubi leguntur plura in eandem sententiam, sicut apud Aristotelem quoque, Ciceron. in Off. & de Rep. tum Embl.* XLIV. *Cent.* II. *& alibi.*

TVTIVS

TVTIVS VT POSSIT FIGI.



Auspiciis nostris tutum te littore sistam,
Stabit & in portu vestra carina suo.

OMNIBVS *scilicet est cognita portentosa illa Polycratis Samii tyranni felicitas, qui ut suam perpetuam lætitiam mæstitia aliqua temperaret, pretiosiss. sibiq; cariss. anulum projecit in mare. Sed eum piscis eximia magnitudine captus, fortunæ insidiãtis manu reddidit. Igitur paulo post à Persarum Satrapa & ipse dolo interceptus, suspendio turpiter interemptus est. Tradunt eã historiam Herodotus, Strabo, Plinius, Val. Max. & alii. Admonet autem nos hic Polycratis piscis cum Ausoniano hemistichio, quàm vanum & ridiculum sit* τὸ διαπιστεῖν τῇ τύχῃ, καὶ μάλιστα κατὰ τὰς εὐπραγίας, *id est, ob res secundas & benè gestas aliquam in fortuna spem sitam habere, ut Polybius loquitur lib. 1. ubi singulari M. Attilii exemplo hoc comprobat. Et verè B. Nilus Episcopus, & Gregor. Theologus, quæ homini prospera contingunt, rotæ, fumo ac umbræ comparant. Prudenter itaq;, etsi tectè, Tiberius apud Tacit. cuncta mortalium incerta jactabat, quanto plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans. Sit igitur oraculi instar Senecæ dictum: Neminem eò fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permiserat. Noli huic tranquillitati confidere. Momento mare vertitur: eodem die, ubi luserunt navigia, sorbentur. Pulcrè etiam Iustin. de Xerxe ex Græcia fugiente disserit: Erat res spectaculo digna, & ad æstimationem rerum humanæ sortis varietate miranda, in exiguo latentem videre navigio, quem paulo ante vix æquor omne capiebat: carentem etiam omni servorum ministerio, cujus exercitus propter multitudinem terræ graves erant. Nempe, ut argutè Simonides ait in Threnis;*

ὠκεῖα γὰρ οὐδὲ τανυπτερύγου μυίας
οὕτως ἁ μετάστασις:

Fit enim citius, quam volucris muscæ
Status mutatio præsentis.

FOR-

FORTVNAM REVERENTER HABE.



Fortunam reverenter habe: cum summa tenebis,
Subtrahe venturis tum tua colla malis.

IN *l.* III. ἀνθολογ. *Græcum Epigramma tersiß. legitur, in quo Delphin lamentatur, se è mari, quod tamen sibi parens sit & patria, eiectum in terram: sed susceptum ab hac, decorũ invenisse tumulum.* *Oppianus verò Delphinem jam moribundum spõte ad litus appellere, ut in terra exspirans forte in ea sepeliatur ab hominibus, dulciß. versibus commemorat. Sed Epigramma illud ex Græco versum Alciatus quoq; inter Emblem. sua retulit, cuius sententia per se satis manifesta est. Cui enim Reip. vel regni alicuius vastum corpus potius, quàm mari, Delphinem autem magis, quàm bono vel civi vel principi Reip. compares? Fit itaq; sæpiß. ut & hi, quamvis innocentes, indignè eiiciantur aliorum invidia & malevolentia ex patria in miserum exilium. Atheniensium quidem Ostracismus notus est, quo bene meriti cives, qui vel gloria reram gestarum, vel virtutis opinione, multitudinis invidiã provocaverant, in decenniũ relegabãtur: Quo etiam Aristides condemnatus fuit, tantum, quod Iusti cognomen cum applausu illi tribueretur, uti hæc referuntur à Plutarch. in Aristide. Meminit & pœnæ illius Aristot. in Pol. & Iul. Pollux lib.* VIII. *In Rep. autem Romana Scipionis Africani & Ciceronis exilia clara sunt: & exempla quamplurima alia facile quærenti se offerunt. Diodor. Siculus lib.* XI. *apud Syracusios similem quandam exemplo Atheniensium (qui tamen ipsi Ostracismum illum suum, quamvis infamia carentem, tandem sustulerunt) relegationem, quam* πεταλισμὸν *appellaverint, in usu fuisse scribit, sed fatetur correctionem eam talem esse, quam non adhibere foret melius: ut in eo medicinæ genere hanc poni conveniat, quo malum malo interdum tollere conantur. Exilii deniq; miserias & molestias etiam Siracides commemorat cap.* XXIX.

QVEM

XI.

QVEM GENVIT, PERDIT.



Crudeli ingratum mare Delphinem expulit æstu.
Sæpè etiam Civis fert bonus exilium.

OPPIANUS, *divinus omnino poëta*, V. ἁλ. *scribit, contra cœlitum fœdera impios Thraces delphinem audere insequi, & tridente ad id parato configere, & primum quidem vulnerari ab ipsis teneram ejus sobolem, quam misera mater continuè subsequens, ita illi adhæreat, ut nulla vi, nullis ictibus inde queat abigi, quin simul & ipsa capiatur & interficiatur una cum filio, cum quidē ante alterum ex filiis, incolumem adhuc, ad effugiendum penè adegerit. Quod similiter Aelian. & Io. Tzetzes tradunt. estque adductum* φιλοστοργίας *exemplum simile in Embl.* LXII. *Cent.* III. *pertinentq; huc etiam Embl.* LVIII. *Cent.* II. *& quæ de vulpansere Orus Niliacus & Aelianus referunt. Quod si brutis animalibus tam ingentem* φιλοτεκνίαν *natura instillavit, quid non homines ratione præditos æquum est facere? Profectò enim pietatis & affectus plena est vox illa:*

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Igitur non inepta est Angeli Aretini, celebris inter ICtos, doctrina: Amorem descendere, non ascendere: Et, quod etiā vulgo dicitur, minore molestia patrem alere decem liberos, quàm decem liberos unicum parentem. Quo referenda est Aristot. disputatio lib. VIII. *Eth. cap.* XII. *affectum parentum erga liberos tam vehementem ex eo esse asserētis, quod liberi sint veluti sanguis & radix eadem cum parentibus. Quamvis ejus ratio illa, cur videlicet mater ardentius amet sobolem, quod nimirum ex se genitam illam esse certo sciat, quam tamen Homerus quoq; Menander, & juris civilis auctores tangunt, sane videatur leviuscula: cum tanta sit* στοργὴ φυσικὴ *erga prolem etiam in bestiis, quantam hîc expreßimus, quarum tamen nulla est cogitatio, quid magis minusve suum sit.*

XII. HÆC CVRA PARENTVM.



Mirus amor ſobolis: mater quod comprobat ecce
Delphini, captæ quæ ſoboli immoritur.

ANTHIARUM *diversa genera cũ veteres, tum recentiores scriptores recensent, ut apud Conr. Gesnerum videre est. Sed Anthias à Græcis* ἱερὸς ἰχθὺς *dicitur, sacer piscis, teste Aristotele. Quod cognomẽ etsi cum multis aliis commune habet, Anthiæ tamen jure quodam peculiari tributum videtur, quòd quem locum in mari incolit, & belluarum expers, & urinatoribus tutus sit, quodq; ejus fiducia confirmati pisces ibidem audacter fetificent ac pariant, tanquam obsidem securitatis nacti, ut Aristot. Aelianus, Plutarch. aliiq; tradidêre, quibus tamen caussa in obscuro est, fugiantne natantia illa monstra anthiam, an præsentia ejus signum sit locorum belluis istis carentium, quæ agnoscat ille ac observet, ut calliditate & memoria præditus. Sed & Delphini hîc tripudiantes conspiciuntur, tanquam anthia præsente securi à marinorum Theonum atq; Cleonum immanitate. Vsus autem fuit hoc symbolo Illustris quidam & bellicosus vir, in regno Neapolitano Marchio, quo innuere voluit, se excisis communis tranquillitatis perturbatoribus securitatem publ. peperisse patriæ suæ: nec inconcinnè addidit ex Horat. 1. Carm. Od. VII.* NIL DESPERANDUM. *Quod elegantius apparet, si sequentia istîc verba memoria simul colligas. Et certe Principe bono, justo ac forti, amanteq; pacem & quietem pub. duce & auspice, subditis nil desperandum est. Hinc illa tot Romanorum Impp. qui urbi & orbi pacem securitatemq; præstiterunt, in vetustis numis elogia:* SECURITAS PERPETUA. SECURITAS AUG. SECURITAS P. R. SECUR. ORBIS. SECURITAS REIP. *Quæ inter alios explicat Const. Landus, Complani Comes, in suis Numism. miscell. Et pulcrè Seneca: Hi, inquit, quibus ad propositum benè vivendi aditum confert securitas publica, necesse est auctorem hujus boni ut parentem colant.*

NIL DESPERANDVM.



Me duce squammigerum tutò genus ambulat undis,
Quoque loco versor bellua nulla manet.

XIPHIAS *piscis, Latinis Gladius, insigni corporis robore, & rostri potissimum, quod in formam gladii & usum à natura accepit, fretus, insolenter in mari grassari, ac obvios quosque pisces fugare solet, adeo ut balænis quoque sit formidabilis. Tantæ enim duritiei & acuminis est eius* ἀχάλκευτον ὅπλον, *ut Aelian. vocat, ut illo etiam naves perforet cum submersionis periculo, quemadmodum Plinius scribit, ac idem Aelian. confirmat, qui visum ait navigium, quod reparandum erat, cujus carinæ Xiphiæ caput rostro impacto infixum remanserat, & quod rostrum, dum ad cetaceā magnitudinem Xiphias excrescit, simul increscat, adeò ut tandem* τριήρους ἐμβόλῳ, *triremis rostro, comparari possit. Sed & Oppianus non minus accuratè illud describit in* II. ἁλ. *Hic igitur piscis tam sæuis armis instructus, ut maximis etiam pelagi belluis sit formidabilis, à pusillo tamen hoste superatur & conficitur. Sub caniculæ enim exortum, ab æstro sive asylo, insecto vix aranei magnitudine, quod sub pinnas ejus se insinuat, percitus, adeò in rabiem agitur, sæpè ut in naves vel terram exsiliat, donec tandem immensos cruciatus cum morte commutet, veluti idem Oppianus scribit, & rem ex Aristot. confirmat Athenæus lib.* VII. *meminitque Eustathius* ὀδυσ. X. *Exemplum meherclè evidens, quàm parum prosint arma absque ratione & prudentia, imo & noxia illa sæpenumero esse. Armis enim non cedunt omnia, sed rationi potius & consilio, quibus ista regi necesse est. Igitur ex Comici scito:*

Omnia prius sapientem experiri, quam armis decet.

Pulcrè etiam Q. Curt. lib. VII. *Nihil, ait, tam firmum esse, cui periculum non sit, etiam ab invalido. Et idem lib.* IV. *Patere vel unius insidiis Regem.*

ARMIS NON OMNIA CEDVNT.



Piscibus ipse aliis sum formidabilis hostis,
Mox hostis miserè me necat exiguus.


THVNNI, *sive thynni, ut Dorion & Oppianus tradunt, soli ex Oceano migrant, & per fretum Gaditanum ingrediuntur in mare mediterraneum: Vere autem subeunt in Pontum Euxinum, nec alibi, quam in illo fetificant, uti Aristot. Plinius & Solinus asserũt. Illorum maximi soli semper & separatim natant: minores vero gregatim, adeò ut horum agmen exercitui Oppian. comparet. Figuram enim semper Cubi efficiunt, & quadratum in natando ordinem observant, ut si thunnispex eminentes thunnos probè numeret, statim totius gregis numerum inire possit: quod facile colligat, altitudinem latitudini & longitudini æquali ordine respondere, ut Plutarch. refert lib. de sol. anim. Igitur non solitariis illis, sed totis gregibus piscatores inhiant, ut quæstus illis sit uberior, sicuti Gesnerus innuit. Fit etiam mentio piscationis thynnariæ in l. venditor. D. Commun. præd. &c. Varius autem hujus symboli usus esse poterit. Satius enim est vel in solitudine tuto latere, quam temerè perire cum stolida multitudine. Sunt & juvenum mores illo luculenter expressi, qui multo gaudent, quamvis pernicioso, consortio: Sed senes, ut prudentiores, remoti à turbis & strepitu, sibi potius vivunt, & reip. vigilant, & ita cum privata, tum publica evitant pericula. Quo pertinent illi versus Menandri, qui leguntur Embl.* LIII. *Cent.* III. *Præclarè etiam Euripides Menalippe:*

τὸ γῆρας ὦ παῖ τῶν νεωτέρων φρενῶν
σοφώτερον πέφυκε, κ' ἀσφαλέστερον.
ἐμπειρία τε τῆς ἀπειρίας κρατεῖ,

Senectus, ô fili, juvenilibus annis
Sapientior est, atque tutior:
Et experientia vincit imperitiam.

Videatur & Nestor apud Q. Smyrn l. V. *Paralip.*

SOLVS IAM GRANDIOR ERRAT.



Turmatim juvenes, ast gaudent æquore soli
Majores Thunni: dic mihi utri sapiant?

XVI.

SILVRVM *veterum malè à Th. Gaza apud Aristotelem Glanim esse versum, & imprudenter à Iovio aliisq; cum Sturione confundi, rectè notavit Rõdeletius. Sed Ausonii Silurum in ejus Mosella non esse Silurum veterum & Plinii, verùm ipsum Sturionẽ, eruditè evincit Ios. Scaliger in Aus. Lect. Certè veterum Silurum in rerum natura non esse desiisse, sed hodieq; cum in mari, tum in Danubio aliisq; majoribus fluminibus reperiri, certum est, & Rondel. atq; Gesnerus latè de re tota disserunt: ejusq; veram effigiem Gesnerus exhibet, ad quam nostra quoq; conformata est. Grassator est Silurus & voracissimus, piscibus aliis sine discrimine se explens, & omne animal appetens: ut ex Plinio constanter ferè omnes tradunt. Vnde & à Germanis ad Danubium* Schaid *dicitur, à damno, quod voracitate sua dare solet. Silurus igitur ut omne animal appetit, sic ipse ab hominibus contra ad delicias epularum studiosissimè appetitur. Variæ igitur à piscatoribus struuntur ipsi insidiæ, & aliquot illum capiendi modos recenset Gesnerus. Sic videlicet ex Rhadamãti lege, & ex talionis pœna, quæ & Decẽviris & Mosi visa est æquissima, merito quisq; patitur, quod fecit aliis. Nec refert, etiamsi non statim, sed lento gradu vindicta veniat. Nam ut pulcerr. Heliodor. ait in Aeth. lib.* I. οὐ παντάπασιν ἐκλέλοιπεν ἡμᾶς ἡ δίκη, καθ' ἡσίοδον, ἀλλὰ μικρὸν μὲν αὐ τι καὶ παρίδοι ποτὲ, τῷ χρόνῳ τὴν ἄμυναν παρέλκουσα, τοῖς δὲ οὕτως ἀθέσμοις ὀξὺ ἐπιβάλλει τὸν ὀφθαλμόν: *Non omnino deseruit nos justitia, secundum Hesiodum: Sed quamvis interdum aliquantisper connixerit in sceleribus hominum, in longum tempus ultionem protrahens, tamen in ejusmodi nefarios acrem injicit oculum. Lege Plutarch.* περὶ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένου: *Et in hac Centur. Æmbl.* LII. LXXIX. XCI. *& Similia.*

OMNI-

OMNIBVS INFESTVS.



Appetit omne animal grassator dente Silurus,
Hunc avidè contra luxuriosa cohors.

VRANOSCOPOS *piſcis eſt Græcis, (Latinum enim nomen non habet, unde & Plinius Græcũ retinuit) qui iisdem καλλιώνυμος dicitur, ut ex Athenæo & Plinio liquet. Oppiano ἡμεροκοίτης dicitur. Ejus oculi ſupra caput ſiti recta in cælum ſemper erecti ſunt, unde & illi nomen, & Latinus interpres cæli ſpeculatorẽ vertit. Hinc argutè Galenus ridet eos, qui exiſtimant idcirco hominem erectum ſtare, ut cælum promptè ſuſpiciat. Nam illos hunc piſcem nunquam vidiſſe ait, qui etiam invitus cælum ſemper intueatur: hominem autem ſi contemplari illud velit, collum retorquere neceſſe ſit. Rideret igitur Galenus Ciceronem & Ovidium, huncq; ſequutos Claudianũ, Silium Boët. & Manilium. Rideret multo magis ipſum Platonem in Cratylo, cui ἄνθρωπος eſt ὁ ἀναθρῶν ὅπωπας: & Etymologũ, qui deducit παρὰ τὸ ἄνω θρεῖν, quod debeat*

erectos ad ſidera tollere vultus.

Rideret deniq; B. Auguſtin. Ambroſ. Lactantium, & alios, & inprimis Lactant. qui toties idẽ inculcat, & lib. II. *de orig. err. velut in ſublimi aliqua ſpecula cõſtitutus, Perſianum illud proclamat:*

O curuæ in terras animæ, & cœleſtium inanes!

Cælum potius (inquit) intuemini: ad cujus ſpectaculum vos excitavit ille artifex verus Deus. Ille vobis ſublimem vultum dedit: vos in terram curvamini: vos altas mentes, & ad patrẽ ſuum cum corporibus ſuis erectas, ad inferiora deprimitis: tanquam vos pæniteat, non quadrupedes eſſe natos. Igitur tantum abſit ut Galeni nos impietas moveat, (quam etiam accuratè refellit p.m. avus meus in Comment. in II. *Tuſc. Ciceronis) ut potius ſemper in corde nobis ſit S. Pauli* III. *ad Coloſſ.* τὰ ἄνω φρονεῖτε. *Iungenda autem ſunt cum hoc, Embl.* LXXII. *Cent.* I. *&* LIII. *Cent.* II. *& ſimilia.*

AD SIDERA VVLTVS.



Surſum oculos, o Mens, vani obliviſcere mundi,
Te manet in cœlis non peritura domus.

INTER *tot immensi maris admiranda, non in postremis Miluus piscis censendus est, quem Græcorum* ἱέρακα, *&* *Oppiani* ἱέρηκα *esse contendunt Hipp. Salvianus Tiphernas, & Gu. Rondeletius. Is cum linguam, palatum, & reliquas oris internas partes splendentes ac rubicundas habeat, trãquillis noctib. adeò relucet, ut ex ore ignem flammamq́ue evomere & eiaculari credi posßit. Qua etiam de caussa à Plinio Lucerna dicitur, qui tamen à quibusdam in eo erroris arguitur, quod vibratæ ex ore illius linguæ igneæ hunc splendorem tribuat, cum tamen ejus palato adeo hæc affixa sit, ut nullo pacto posßit eam exerere. Sane autem nescio, an non etiam Gr. Naz. in* ὑποθήκαις παρθένοις, *hunc piscem intellexerit, cum ait:*

Ἰχθὺς δ' ἔμπυρός ἐστι, καὶ οὐ πυρὶ δάμναται ἀπίστῳ
Ἔμπυρος, αἰθόμενος δὲ, μέσης διαλάμπεται ἅλμης:

Piscis vero est igneus, qui non domatur ab infido igne,
Igneus, ardens autem per medium mare refulget.

Verum ut inventor hujus symboli ad amorum fortè suorum difficultates respexit: ita nos rectius & honestius tribuere possumus viro, cujus, ut Horatii verbis utar,

Pudor, & Iustitiæ soror
Incorrupta fides, nudaque veritas,

quascunq́ue etiam iniquioris fortunæ tenebras, & adversitatum cæcos fluctus, adde etiã malignorum hominũ fuscas calumnias, splendore integritatis suæ adeo discutit ac dispellit,

stellas exortus uti æthereus Sol,

ut Lucret. loquitur. Talis fuit in vita & morte divinus Socrates, lucidisßimum virtutis & Constãtiæ sidus, quod nec adversæ sortis tristia nubila obscurare, nec indignum tandem supplicium extinguere potuit, quin ad omnem posteritatem æternùm fulgeat. Talis nempe verè, secundum Aristot. ἀτυχῶν μεγαλόψυχος, *ut idem Horat. cecinit,*

Rebus angustis animosus atque Fortis apparet.

FVLGET IN VNDIS.



Sic lux veri inter mendacia fusca refulget,
Piscis ut in media nocte Lucerna micat.

QVOD *de Sciana Oppianus refert, eam cum caput & oculos saltem occultarit, totam se latere putare: idem mugili tribuitur à Plinio, fortè ex Aristot. lib.* VIII. *hist. an. Pierius Cephalo hoc ascribit, quem & nos hîc exhibemus depictum. Vt autem similes inter se sunt isti pisces, ita sæpè confunduntur. Ideoq; consulendus hîc erit Gesnerus de Piscibus. Similis est stultitia & avium quarundam, de quibus in Embl.* LIII. *Cent.* III. *& hyænæ inter quadrupedes, de qua lepidam narrat historiam Busbequius Ep.* I. *de Legat. Turcica. Est autem hæc imago illorum hominum, qui opinionis errore flagitia sua occulta esse putant, Deiq; justam animadversionem se effugere posse impiè arbitrantur. Frustra. Nam, ut habet Græcum Epigramma lib.* I. *ἀνθολ.*

Ἀνθρώπους μὲν ἴσως λήσεις ἄτοπόν τι ποιήσας,
οὐ λήσεις δὲ θεούς, οὐδὲ λογιζόμενος.

Improba facta homines possis clam forsan habere:
Verum animi ipsa Deo singula sensa patent.

Quo & Propertii illud pertinet:

Ah miser, etsi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Pulcerrimè igitur Isocrates dixit ad Demon: μηδέποτε μηδὲν αἰσχρὸν ποιήσας ἔλπιζε λήσειν: καὶ γὰρ ἂν τοὺς ἄλλους λήσῃς, σαυτῷ γε συνειδήσεις: *Nunquam sperare debes, si quid turpe feceris, te latitaturum. Quamvis enim lateas alios, tute tamen tibi conscius eris. Etsi autem de Providẽtia inprimis divina Sacri libri pleni, & exempla, quibus Deus sæpè mirabiliter scelestos ex latebris suis ad supplicium & pænam protraxit, ignota sunt nemini, nihil tamen in hoc genere luculentius, nihil ad hoc symbolum illustrandum accommodatius modo mihi succurrit, quàm Psalmus Davidicus* CXXXIX: *quo Lectorem uno verbo remitto.*

XIX.

ME MALVS AB-STVLIT ERROR.



Ridiculum ô caput abscondis, credisq; latere,
Præcipitans toto corpore in insidias.

ΦΩΛΙΣ *piſcis Heſychio & Varino dictus, ἀπὸ τοῦ φωλεῖν nomen accepit, quod intra ſuum mucum, veluti pholeam quendam, id eſt, latibulum ſe cõtineat. quod ex Ariſtot.* IX. *hiſt.* XXXVII. *palam eſt. Pierius in hieroglyph. ſubdubitat, an non idem hic piſcis ſit cum Tinca Auſonii, ſed cauſſam eum dubitationis non habere apparet, cum proculdubio diverſi ſint. Ceterùm idem Pierius lib.* XXX. *ſcribit, Aegyptios hominem, iis quæ ſudore proprio compararit fruentem, indicaturos, pholim (melius pholidem, ut notat Gesnerus) piſcem pinxiſſe. Eam enim mucorem, quem ipſa emittat, ad altam craſſitiem ſibi obducere, ut tota viſco delibuta videatur, eoque pro nutrimento uti. Partis igitur bonis & facultatibus modeſtè nos uti hic piſcis admonet. In quam rem ſunt tot præcepta Horat. inprimis* I. *Sat.* I. II. *Sat.* III. II. *Ep.* II. *Hæc ſi quis reſpiciat, facilè diſcet, ad vitæ uſum neceſſarium homini frugi & ſorte ſua contento nihil deeſſe poſſe. Quo pertinent Euripidis verſus à Chryſippo philoſopho toties uſurpati, teſte Gellio* VII. *Noct.* XVI. *quib. Cereris munus, & aquæ poculum mortalibus ait ſufficere, quorumque nulla unquam ſit ſaties: In ceteris autem epulis verſari luxum, ut exemplis è Varrone petitis hoc Gellius illuſtrat. Certè enim, ut divinè Horatius cecinit* III. *Od.* XVI.

Benè eſt cui Deus obtulit
Parca, quod ſatis eſt, manu.

Pulcrè etiam Chryſoſt. ὁ μὴ δεόμενος τῶν ἀλλοτρίων, ἀλλ᾽ ἐν αὐταρκείᾳ νομίζων εἶναι, πάντων ἐστὶν εὐπορώτατος: *Non indigens alienis, ſed ſua ſorte gaudens, omnium eſt ditiſſimus. Inſcriptio eſt ex Lucret. verſ. lib.* I.

Ipſa ſuis pollens opibus nihil indiga noſtri.

IPSA

IPSA SVIS POLLENS OPIBVS.



Nobis nostra satis: alienæ haud indiga curæ:
Et Superûm nectar negligo & ambrosiam.

SCOMBRI, *ut & alii pisces non pauci, temeritatis & stultitiæ suæ pœnas luunt captivi. Nam cum alios Scombros vident reti aut nassæ viminea inclusos, ad eos & ipsi ingredi cupiunt, ingressi, detinentur. Et dum nassa ad litus trahitur, multos in illa scombros hærentes, ac instar cunei impactos videas utrinq; aliis adhuc ingressum, aliis verò exitum molientibus. Quod illorum sane diversum desiderium elegantiss. carmine Oppianus describit, & similitudine à pueris sumpta illustrat, qui ignis abblandientem fulgorem magno suo cum malo attingere gestiunt. Quo referantur Bapt. Mantuani versus:*

Est facile incautos offendere: parvulus infans
Innocuos rutilum digitos extendit in ignem,
Nec, nisi jam læsus, vires intelligit ignis.

Et eodem pertinet usurpatum à B. Hieronymo proverb. Prudens in flammam mitto manũ. *Ad Symboli autem declarationem valde congrua est Socratis illa comparatio, qua dicebat, Iuvenes cælibes similes esse piscibus, qui circum nassam alludunt, in eamq; se penetrare gestiunt: contra, qui jam inclusi tenentur, exire, & pristinam libertatem recuperare nituntur. Vnde idem Socrates interrogatus,* τίνες μεταμέλονται τῶν ἀνθρώπων, *quinam homines pænitentiam incurrerent: respondit juxta Stobæum,* οἱ γήμαντες, *Qui uxorem duxerunt. Sic qui hostili prælio nunquam interfuerunt, aspirant ad militiam. Nam ut est apud Pindar.* γλυκὺ ὁ πόλεμος ἀπείροισιν, ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς. *Dulce bellum inexpertis est, expertus quispiam horret, si accesserit, corde supra modum. Quod & Vegetius tangit de re militari. Sed de hoc plura legi possunt in Adagio:* Dulce bellũ inexpertis: *& in aliis.*

ANIMVS NON OMNIBVS IDEM.



Isti intrare volunt, ast hi perrumpere nassam.
Multi & cum Scombris desipiunt pariter.

SALMO *veteribus Græcis cum Oceano pariter ignotus, nominatur à Plinio, eumq́ in Mosell. eleganter describit Ausonius. Pro diversitate anni vel nomen hoc retinet, vel amittit, ut Eberus, G. Agricola, & Peucerus annotarunt. Hunc piscē ob carnositatem hirūdinibus valde obnoxium, atq; ab iis adeo vexari & privari sanguine tradūt, ut neq; in aquis, neq; in petris, neq; saltu, neq; fricationibus molestos hospites excutere unquam possit, donec tandem continuis cruciatibus fractus vel alicubi tabescens reperiatur, vel ad litora adnatans extinctus reperiatur. Sane etiam Aristot. docet, pisces à bestiolis quibusdam, quales sunt pulices & pediculi, frequenter exagitari, & de Oestro Xiphiam tandem etiam ad mortem adigente, exemplum supra vidimus. Non aliter improborum ānimi ultricib. furiis exagitantur. quo pertinent, quæcunq; apud Platonem, Ciceron. & utrumq; Senecam passim, Iuvenal. aliosq́; de Conscientiæ morsib. differuntur: & vetus dictum:* συνείδησις πλήττει τὴν ψυχήν. *Nam ut Rhadamantus Luciani ait* κατάπλῳ: ὁπόσα ἄν τις ὑμῶν πονηρὰ ἐργάσηται παρὰ τὸν βίον, ἕκαστον αὐτῶν ἀφανῆ στίγματα ἐπὶ τῆς ψυχῆς περιφέρει: *Quæcunq; quis malè in vita perpetraverit, eorum singulorum obscura in anima stigmata circumfert. Graviter Cor. Tacitus de Tiberio* VI. *Ann. Si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur. Nempe, secundum Plautum:* Nihil est miserius, quam animus hominis conscius.

HÆRET

XXII.

HÆRET VBI-QVE.



Non adeo Salmonem exsugit turpis hirudo,
Conficit ac sontes conscia mens scelerum.

SALMONI *ad delicias nostras nato variæ piscatoribus struuntur insidiæ, cũ retibus majorib. tum machinis in fluminibus extructis. Est & hæc ejus capiendi ratio, cum alibi, tum præcipuè in Anglia. Salmonem viventem feminam funi alligant, inque flumen demittunt. Astat navicula aut ponticulo in aquis facto piscator, observans, si quos fortè alios sui generis alliciat hic proditor. Quod ubi fit, ille de longe adventantes prospiciens, funem paulatim ad se retrahit, sicque Salmones vel feminæ desiderio, vel pugnandi caussa insequentes incautos ex improviso obruit, stimulisque ad id paratis conficit, aut in casses optatam prædam conjicit. Non absimile ferè Emblema Alciatus habet de anate allectatore, quod numero est L. ex quo & nostram inscriptionem desumpsimus. Sane autem istiusmodi insidiis omnis nostra vita plena est, ut longè difficilius sit amico non fidere nimium, quam hosti manifesto resistere. Quotusquisque enim, cum moribus sit improbissimis, amicitiæ tamen prætextu non & bonus videri vult, & alios reddere sibi quam similimos? Nam, ut Plautus dixit in Trinum.* Malus bonum malum esse vult, ut sit sui similis. *Convenit etiam hoc in mulierum impudicarum blanditias, de quibus dicetur alibi inferius. Convenit & in proditores & Sycophantas, qui suis versutiis & dolis incautos in discrimen adducunt, & non raro miserè pessundant: quibus voluptati etiã est, ubi contra sanguinem suum insidiantur, & in animas suas fraudem moliuntur, ut Salomon loquitur. Illorum igitur casses qui evitare volet, semper in animo Siracid. illud habeat: Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende. Quo & Martialis illi decantatissimi versus pertinent:*

Si vitare voles acerba quædam, &c.

OFFI.

OFFICIOSA ALIIS, EXITIOSA SVIS.



Hostis apertè, ast clam falsus nos perdit amicus,
Nec quisquam est structis tutus ab insidiis.

QVOD ex *Plin. proœm. in lib.* VII. *infra Embl.* XLIII. *adduximus, non sævire pisces, nisi in diversum à se genus, id cum ex Aristot.* IX. *hist.* I. *falsi cõvincitur, tum ex Polyb. loco, quẽ Embl.* LXXVI. *hac Cent. ascripsimus. Horapollo etiam ait, pisces non parcere suo generi. vnde piscem rei abominãdæ fuisse symbolum Aegyptiis, Cl. Alex.* V. στρωμ. *& Plutarch. lib. de Iside ostendunt: & sacerdotes Aegyptios ejus esu & usu in sacrificiis abstinuisse, idem Plutarch. auctor est* VIII. *Symp. q.* VIII. *Lucium certè sui etiam generis minusculos & persequi & vorare, docet experientia: Et Scaliger in Exerc. ad Cardan. se integrum Luciolum in Lucii ventre vidisse affirmat. Icon hæc est hominum in alios homines, etiam sanguine aliisve necessitudinibus sibi junctos crudeliter sævientium, cum tamen, ut est in Proverb.* Lupus non voret lupum. *Verissimè B. Ambrosius: Avaritiæ, inquit, potentiorũ subjecti ubiq; inferiores sunt. Quo quisq; infirmior, eo prædæ magis patet. Minor esca majoris est. Rursus ipse major à validiore invaditur, & fit esca alterius prædator alieni. Nam, ut Ovid.* I. *Met. cecinit:*

Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus, &c.

At ne putent isti truces, quibus miseros conculcare & consumere jocus est, semper hoc ipsis impune fore. Nam, ut breviter, sed verè Seneca, Thyeste:

Omne sub regno graviore regnum est.

Consentit & alter Seneca gravissima mehercle sentẽtia: Quod regnum est, cui nõ parata sit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis ista intervallis divisa: sed horæ momentum interest inter solium & aliena genua.

PRO-

XXIV.

PROPRIIS NON PARCIT ALVMNIS.



Lucius in proprium ut sua viscera congerit aluum,
Sic ipsi sese conficiunt homines.

IANVS Dubravius, qui postea Olumicensis Episcopus in Moravia factus, Ioannem se nominavit, cujusq; extat historia Bohemica, in libello suo de piscinis & piscibus lepidum mehercle duellum Lucii piscis & Ranæ palustris commemorat, cuius ipse & antecessor in Episcopatu suus, Stanislaus Turzonius, spectatores fuerint. Ranam in insidiis latitantem in Lucii fortè ad insidiarum locum delati, ibiq; securè apricantis caput insiliisse, lateq; divaricatis pedibus frontem piscis circumplexam oculos potissimum eius invasisse: at illum molestum insessorem nulla vi, nec corporis rotatione, nec ad arundines attritu excutere valuisse, sed victum tãdem & viribus exhaustum succubuisse, seq; ranãq; unà in ima gurgitis demersisse. Exsiliisse paulo post ranam victricem miris modis tripudiantem, & tanquam opimis de hoste spoliis receptis in palatia sua se recepisse. Extractum vero continuo retibus & lucium devictum, utroq; lumine orbatum repertum fuisse, affirmasseque tum piscatores, rem non novam hanc, sed se certaminibus eiusmodi assuetos sæpenumero lucios à ranis excæcatos piscari, quibus ad hunc modũ amissis oculis piscium captura adempta sit. Sunt autem pulcerrimæ divini Oppiani de piscium ἀλληλοφονίᾳ sententiæ, qua Deum illis, qui nec robore, nec armis præstãt, eò maiorem animi promptitudinẽ insevisse canit, qua validissimos etiã hostes suos vincant ac superent. Et eleganter Plin. scripsit: Callent in hoc cuncta animalia, sciuntq; non sua modo, verum & hostium adversa. norunt sua tela, norunt occasiones partesque dissidentiũ imbelles. Generaliter usurpari hoc poterit, cum ingenii solertiã corporis robori potiorem esse ostendere volumus.

ASTV NON VI.



Lucius imbelli miserè succumbere ranæ
Cogitur: en vires vincimus ingenio.

BARBO *pisci, quo nullus est frequentior alius in præterfluente Nicro nostro, nullum Græcum nomẽ est. Errat enim Raph. Volaterranus, qui τρίγλην, mullum, Barbum facit, cum ille marinus, hic aquæ dulcis alumnus sit. Sed & inter Latinos veteres solus Ausonius Barbum & nominat, & immortalitati consecrat in divina sua Mosella, iis versibus ex quibus & hoc Emblema, & inscriptionem ejus accepimus. Dicit autem ibi Ausonius, Barbum, quo grãdior natu & magis longævus sit, eo meliorem esse. Quæ laus ceteris animantibus, ut etiam piscibus non æquè convenit. Vnde manet in hunc usq; diem celebre:* Piscis nequam est, nisi recens. *Sic profecto ætas hominum etiam peior & declinans, melior est juvenilis incremento, & majori tum laude, tum honore digna. Solon quidem Atheniensis etiam lege vetuit, valdè juvenem magistratum gerere, vel consulere, etiamsi opt. à mente constitutus esse videretur, ut scribit Iuncus lib. de Senect. apud Stobæum. Lycurgus etiam, referente Iustino, max. honorem in sua Rep. senum esse voluit, quod & Cicero & Gellius laudant. Vnde proverb.* ἐν Σπάρτῃ μόνῃ λυσιτελεῖ γηράσκειν, In sola Sparta expedit senescere. *Nec cesserunt hac in parte Romani Lacedæmoniis. Gravissimè enim Callistratus in l. Semper D. de Iure immun. Semper, inquit, in civitate nostra senectus venerabilis fuit. Namq; majores nostri penè eundem honorem senibus, quem magistratibus tribuebant. Et Gellii cap.* XV. *lib.* II. *prorsus huc convenit. Et noti sunt præterea Iuvenalis in hanc rem locus Sat.* XIII. *& versus Ovidii. Agamemnon quoq; apud Homer.* ιλ. γ. *non optat Aiacis similes decẽ, sed Nestoris: Quod & Cicero de Senect. tangit.*

NON

XXVI.

NON ILLAVDATA SENECTVS.



Ausonio vetus hic laudatur piscis? An ergo
Perpetuam hanc laudem cana senecta tenet?

*E*χενηίς ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὰς ναῦς, *unde etiã* ναυκράτης *Suidæ, à retinendis navibus, Latinis Remora dicitur. Non eundem vero pisciculum hac proprietate præditum veteres descripsisse, ex collatione Aristot. Oppiani & aliorũ apparet. Oppian. enim* I. ἁλιευτ. *videtur mustelam marinam, Ausonii lampetram intellexisse, ubi Pindari imitatione pulcram sententiam subjicit:*

ἀεὶ γὰρ ἀπειρήτων νοὸς ἀνδρῶν
Δύσμαχος, οὐδὲ θέλουσι καὶ ἀτρεκέεσσι πιθέσθαι,
semper enim inexpertorum mens virorum
Expugnatu difficilis, neq; volunt etiã veris fidem adhibere.

Idem videtur Aelianus quoq; sensisse. Et mustelam sane seu lampetram nostram eandem vim obtinere ipse Rondeletius αὐτοψίᾳ *sua evincit. Plinius limaci magnæ similem facit, testimonio eorum, qui eam videre Caii Imp. quinqueremem inhibuisse: narratq; eandẽ pugna Actiaca Antonii properantis Prætoriam retinuisse. Quãvis vero Plutarch. & alii in pervestigãda hujus tãti arcani caussa laborent, & Rondeletius ore hujus pisciculi clavo aut gubernaculo puppis affixi id velit effici, nobis tamen summi Scaligeri candidiss. placet judicium, qui non defugit hîc salutare illud asylum occultæ proprietatis, & ad manifestas deducere omnia qualitates, summæ impudentiæ esse censuit. Hinc nostra* ἐπιγραφὴ: CAVSA LATET. *Nam & Plin. ubi de adamãte hircino sanguine fracto, differit: Nec quærenda, inquit, est in ulla parte naturæ ratio, sed voluntas. Hoc igitur constet, ex Hippocratis præcepto:* τὸ μικρὸν μηδὲν παραφρονητέον, *cum etiam spreta omnib. maximas sæpenumero mutationes afferãt. Egregiè Pausan. in Arcad.* ἔδωκε δ᾽ ἄρα ὁ θεὸς τοῖς μάλιστα ἀπερριμμένοις κρατεῖν τῶν ὑπερηρκότων τῇ δόξῃ, *At enim vilioribus plærunq; rebus Deus indidit, ut ea superent, quæ max. erant inter homines æstimationis.*

CAVSA LATET.



Sistere currentem Remora alta per æquora navim
Fertur; sic vis est maxima in exiguis.

CARPIO, *solius Benaci lacus in Italia alumnus, (ut vult Bellonius, cum Hipp. Salvianus etiam in lacu quodam prope Aluitum Campaniæ opidum reperiri eum tradat) videtur esse piscis ex truttarum genere, teretiori tamen est corpore, pedem raro excedens. Facit hujus mentionem Bembus in hist. Veneta, qui & ipse affirmat, tantum in Benaco illum pasci. Cum vero optimi sit nutrimenti, & propter raritatem magni pretii, lautioribus Italorum mēsis plurimum expetitur, atq; ideo frixus & salitus, vel etiam aromatibus conspersus ad longinquiora loca deferri solet. Hunc auri sabulo vesci vulgo creditur, ut etiam de thymallis & aliis nōnullis piscibus traditur: & Io. Pallazius in symbolis Italicis scribit se experientia observasse, rem ita habere. Alludit eodem & Hier. Fracastorius in tersissimo Carmine, quod inscripsit,* Carpio. *Omnium autem optima erit hujus rei accommodatio ad animarum nostrarum præstantiss. pabulum, quod ex sacris litteris illæ petere possunt & debent. Quo pertinet insignis locus CL. Alexandr. στρωμ. α. sub init. Operamini, inquit Dominus, non cibum qui perit, sed qui manet in vitam æternam. Sumitur autem nutrimentum & per cibos & per verba &c. Sunt enim etiam animæ propria habentes nutrimenta, & aliæ quidem augentur per agnitionem & scientiam, aliæ vero per Græcam pascuntur philosophiam, cujus, quemadmodum nucum, non est quidvis esculentum. Præclara etiam sentētia est* VIII. *Proverb.* λάβετε παιδείαν καὶ μὴ ἀργύριον, καὶ γνῶσιν, ὑπὲρ χρυσίον, *Accipite disciplinam meam, & non argentum, doctrinam magis, quam aurum diligite, ut habet vetus versio.*

PRE-

XXVIII.

PRETIOSA PA-SCITVR ESCA.



Scilicet est quovis doctrina potentior auro,
Has ergo ingenii collige divitias.

NON est usitatior, nec jucundior, utpote omnis pænè laboris & periculi expers, piscādi modus, quā, ut Martialis cecinit, piscem tremula salientē ducere dextra: eumq; dulciss. versibus graphicè descripsit Oppian. init. ἁλ. ubi Antoninū Imp. hamo piscantem fingit, cui se pisces ultro ad capiendum objiciāt. Hinc nata nobis Emblematis inscriptio ex III. Claudian. de laud. Stilic. ubi de leonibus loquitur, qui à Diana se capi gaudeant. Lud. Doleis in suis Impresis Italico verbo communiter sic dictis, addit: NON CAPIO, NI CAPIOR. Quod ut ambiguum, vel de hamo, vel de pisciculo intelligere possis. Quo non ineptè, quamvis à magno argumento ad rem ludicram, Senecæ illud in Thyeste referas:

Non poterit capi,
Nisi capere vellet. *Vt & Proverb.*


Inescare homines. *Nihil autem melius, ut puto, hæc explicare poterit, quam insignis ille Senecæ locus Ep.* VIII. *Clamo, vitate quæcunq; vulgo placent, quæ casus attribuit: ad omne fortuitū bonum suspiciosi pavidiq; subsistite. Et fera & piscis spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortunæ putatis? Insidiæ sunt. Quisquis nostrûm tutam agere vitam volet, quantum plurimū potest, ista viscata beneficia devitet, in quibus hoc quoq; miserrimi fallimur, quod habere nos putamus. Habemur. Hinc Martialis illa:*

Munera magna quidem misit, sed misit in hamos,
Et piscatorem piscis amare potest? *Et:*
Qui potes insidias dona vocare tuas?

Sic Plato in Timæo, Cicer. teste, τὴν ἡδονὴν δέλεαρ κακῶν, voluptatem escam malorum dixit, quod ea scilicet homines capiantur, ut hamo pisces, quod & Plaut. in Merc. vertit.

VLTRO

VLTRO SE VOLVERE CAPI.




Dum capimus, capimur, si linquimus, haud capiemur,
Instructas vitat, qui sapit, insidias.

ALIAM *etiam hamo piscādi rationem, quam quæ linea vulgo fit, Bellonius in Observat. suis hodæporicis, sane expeditam & uberem edisserit, qua uti soleant ad Orientem Bosphori & Propontidis accolæ. Verba ejus sunt: Ducentos aut trecentos hamos longa quadam serie ex fune, quem cucurbitæ sustinent, pendentes disponunt, quibus escam è carnibus aut piscibus constantem affigūt: eum deinde funem noctu ad integrū vel dimidium milliare in mare deferunt, isticq; tota nocte relinquunt, ut pisces, qui cibum quærunt, quales sunt murænæ, squatinæ, caniculæ, raiæ, atq; alii similes, hamis capti hæreant. Postridie mane, nisi tempestas impediat, hamos, quos è longinquo propter annexas ingentes cucurbitas statim agnoscunt, repetitum eunt, & prædam domum referunt. Compendiosam mehercle absq; sumptu magno & labore constantem piscationem, cujus periculum facere non fuerit difficile. Cum autem illi pisces spe prædæ ex cucurbitis in tectas illas hamorum insidias incurrant, ac miserè pereant, idem ferè hujus Embl. qui prioris poterit esse sensus & explicatio. Cucurbitæ illæ in speciem magni quid polliceri videntur, sed intus vacuæ sunt, & in aquis noxia illa tela abscondunt. Igitur, ut P. Syri sententia habet:* Grave est malum omne, quod sub aspectu latet. *Sic argutè nescio quis apud auctorem Etymologici:* ὡς οὐκ οἶδ' εἴτις ἰχθὺς ὑπὸ τοῦ δελέατος τῆς ἡδονῆς ἀπαλιδῶθην, *Attractus fui à voluptatis esca, ita ut nesciam, an ullus piscis potuerit magis.*

XXX.

PRÆDÆ SPES VANA CAPIT.



Pisciculos viden' ut pomposa cucurbita fallat?
Nil solidi illa tamen, sed tegit insidias.

P. *Bellonius in iisdem Obs. suis hanc ad Euxinum, Bosphorum & Propontidem piscandi rationem, quæ obscura nocte fieri soleat, inter alias commemorat. Binos viros cymbam occupantes, unum quidem hanc impellere, alterum vero & tædam accensam & fuscinam tenentem observare dormientes pisces, datoq; rectori naviculæ signo, quo illam impellere debeat, si prædæ certus jam sit, magno impetu tridentem in quiescentis piscis dorsum vibrare, eumq; captum ad se attrahere. Affirmat autem hunc piscandi modum ad lumen cum fuscina, cum ad polypos, loligines, magnas & paruas, tum ad omnis generis pisces squamis præditos max. esse accommodam. Dormire vero pisces non minus, quam terrestria animalia, certum esse: nec deesse, qui eos ronchos ducentes exaudiverint. Id quod & Plinius tangit lib. X. c. ult. quãvis Oppian. II. ἁλιέυτ. pisces plerosq; omnes, præter scarum, somnum neget capere, quod sibi metuant à potẽtioribus. Profecto autem ad excitandam in hominibus vigilantiam, & vitandam omnem omnino securitatem hoc Emblema conducit. Nam, ut Horat. canit:*

Vt jugulent homines surgunt de nocte latrones,
Vt te ipsum serues non expergisceris?

Nemo enim celerius opprimitur, quam qui nihil timet: Et frequentissimum initium calamitatis, securitas, ut præclarè Vell. Paterculus dixit. Pertinet autem huc præclara enarratio sententiæ Homericæ in progymnasm. Theonis Sophistæ:

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Dedecus est totam consultum stertere noctem:

quam ipse Iupiter protulit. unde & Theon omnibus ceteris in Homero γνώμαις eam præfert, & exemplis illustrat ac confirmat.

XXXI.

STERTENTES OPPRIMIT HOSTIS.




Vt capiat pisces, piscator nocte laborat,
Vt seipsum servet surgere nemo paret?

HICE-

HICESIVS *apud Athenæ. lib.* VII. *ait, nomen Melanuri ideam quoq; ipsius nobis proponere, ut ex caudæ nigra nota statim internoscatur ab aliis piscibus. Eundem cum Plauti ophtalmia, & Plin. oculata piscem esse, Rondelet. vult, & oculatam vertit Th. Gaza. Meminit ejus Aristot. quoq;, Artemidor.* II. *Onirocrit. Oppian. & Ovid. in Halieut. Isidorus item & alii. Hujus autem nominatim esu & usu Pythagoram suos vehemēter prohibuisse apud Suid. & Diog. Laertium reperio, his verbis:* παντὸς δὲ μᾶλλον ἀπηγόρευε, μήτε ἐρυθῖνον ἐσθίειν, μήτε μελάνουρον, *ut errasse videantur, qui ad sepiam referunt natum inde proverb.* Μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων. *Quod minus etiam rectè Mars. Ficinus, vel quisquis primus fuit, generaliter vertit, eosq; secutus Erasmus retinuit:* Ne gustes ex iis quibus nigra est cauda, *ac si Pythagoras non speciatim Melanurum piscem nominasset. Quamvis sciam Pythagoricos aliàs omnino à piscibus abstinuisse, cujus rei caussam reddit Athen. lib.* VII. *& Plut. in Sympos. Idem Plut. in fin. lib.* περὶ παίδων ἀγ. *hoc etiam Symbolum explicat: non esse habendum commercium cum improbis, qui nigris ac infamibus sunt moribus. Quo sensu Antiphanes quoq; à melanuro & mugile abstinēdum esse suasit. Tryphon autem Grammaticus Græcus inter ænigmatum exempla hoc commemorans, in hunc modum interpretatur: Ne mendacem sermonem protuleris. Mendacium enim ad extremū nigrescit & obscuratur. Sed & Horat. & Catullus, aliiq;, homines malos, nigros vocant. Vitanda igitur est improborum societas, ne & alteri cuidam Proverb. quod ex Numenio & Eubulo Athenæus adfert, & tāgit Suidas, locus sit:* ἕπεται πέρκη μελανούρῳ, Comitatur perca melanurum. *Nam & hic piscis niger est, quod nomen ejus similiter indicat.*

GVSTARE NE-FAS.



In vita quisquis niger est, hunc disce cavere,
Nausea Pythagoræ ceu Melanurus erat.

INTER *pisces ferè omnes unius Canthari castitas, & odium promiscuæ Veneris Oppiani versibus in* I. ἁλ. *celebratur:*

Vxores sargi multas, & merulus ardens
Ducunt, ast alii contenti conjuge sola,
Cantharus ætnæus, contemnens agmina lecti.

Idem etiam Phile in Iambis asserit. Oppianum imitatus Aelianus scribit, Cantharum pro una uxore decertare, non aliter, quã Menelaus olim cum Paride: quam quidem si semel sortitus sit, non attingere illum aliam: neq; ad fidem tuendam tabulis ullis ei opus esse, nec dote: neq; malæ tractationis pœnam timere, neq; Solonem vereri. Et adjungit exclamationem dignam memoria: Ὦ νόμοι γενναῖοι, καὶ πόλεις σεμναί, οἷς ἀκόλαστοι ἄνθρωποι οὐκ αἰδοῦνται μὴ πείθεσθαι: *O nobiles verò leges, & resp. graves, quibus libidinosi homines non parêre nihil verentur! Eant igitur nũc, quibus adulteria commixtionesq; nefandæ, ludibrium & jocus sunt, & piscis hujus memoria tandem se excrucient. Certè enim ut Seneca dixit in Agamemn.*

Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

Quin etiam inter quadrupedes Cameli & Elephãtes, inter volucres columbæ, turtures, cornices, & ciconiæ, ut rerum naturalium scriptores tradunt, unius comparis consortium norũt, turpes hymæneos detestantur. Qua de re in priorib. Centuriis quædam. Sed insigne est de Meleagro Oenei filio exemplum ἰλ. I. *qui cum in expugnatione patriæ neq; à civibus neq; à parentib. commoveri potuisset, tandem Cleopatræ uxoris precibus excitatus cives & urbem excidio eripuit. Ceterum de mutua & reciproca in matrimonio fide plura notatu dignißima collegit patris mihi loco reverendus, Philippus Camerarius, IC. in meditationibus suis historicis, & nos etiam alibi quædam attigimus.*

CONTENTVS CONIVGE SOLA.



Conjuge contentus laudatur Cantharus una,
Masculus & totum femina conjugium.

ACARNANIS *piscis est marinus, pagri vel erythrini forma, cum quibus etiam confundi eũ plerumq; scribit Rondeletius. Ab Athenæo dicitur* ἀκαρνάν, *& commendatur à dulcedine. Acarne apud Plinium legitur in Catalogo piscium. Aristotel. autem acharnã scribit æstate laborare & extenuari,* VIII. *hist. an.* XIX. *Vnde nobilis quidam Italus in ludis equestribus Symbolum hoc ostentavit, quemadmodum refert in suis Impresis (utamur enim hac voce usu ferè facta latina) Scip. Bargaglius Senensis. Non autẽ dubito, quin inventor more gentis ad amoris sui ignes respexerit.* Est *enim, ut de Didone canit Virg.* mollis flamma medullas. *Et ut Delphis ille apud Theocritum ait Idyll.* II.

ἔρως δ' ἄρα καὶ Λιπαραίω
Πολλάκις Ἁφαίστοιο σέλας φλογερώτερον αἴθει.
amor enim vel Lipareo
Sæpè Vulcano flammam ardentiorem excitat.

Quo etiam pertinet pulcerrimum epigramma Græcum IV. ἀνθολ. *quod vertit Alciatus Embl.* CVII. *Et quæcunq; apud Poëtas passim de amoris ignibus leguntur. Quin & B. Augustinus etiã in sacris litteris non semel ignem pro amore usurpari observavit, ut Iob.* XXXI. *& Psalm.* LVII. *Caveat igitur sibi unusquisq;, ne dum amoris illecebras veluti Solis sui radios excipit, aduratur ab iis, & sic non tantum corpore & facultatib. extenuetur, sed quod longè gravius est, in animæ quoq; periculum, ac veluti Phædria Terentianus in exitium ruat voluntarium. Argutè sane & lepidè, atq; ad hoc Emblema non impertinẽter de Thrasilli amoribus L. Apulejus* VIII. *Metam. ait, Quidni? Cum flamma sævi amoris, parva quidem primo, vapore delectet, sed fomento consuetudinis exæstuans, immodicis ardoribus totos comburat homines. Simile autem huic est Embl.* XV. *Cent.* III.

VIO-

XXXIV.

VIOLENTO ABSVMITVR ÆSTV.



En radii poßint quid Solis, & æstus amoris,
Ii torrent piscem, torret at hic homines.

POMPILVS *piscis est pelagius, & circa naves frequens, quas & comitari eum, & in portum tuto deducere tradũt Oppian. Athen. Aelianus, Ovid. & Plinius. De experientia autem ipsa attestatur Gu. Rondeletius. Hinc & καλλιχθυς καὶ ἱερὸς ἰχθὺς dicitur, tanquam servator navigantium, ut apud Eustathium & Varinum in* ἱερὸς *legimus: Quod ubi minus securè naves agi in pelago animadvertat, prænatatione sua tutum iter demõstret, ut P. Bellonius tradit. Hinc & Neptuno, & incolis Samothraciæ sacratus est. Quod si nautæ huic suo duci magnam habent gratiam, & eum sanctè venerantur: & quam gratiam referent memores discipuli fidis suis magistris, qui Vlyssis exemplo illorum aures adversum noxios Sirenũ cantus obstruentes præter horrendos scopulos Scyllæ & Charybdis eos ad virtutis & sapientiæ portum salvos perducunt? Iuvenalis quidem in hanc rem divinum votum est Sat.* VII. *& accurata Aristot. disputatio* IX. *Eth.* I. *Graviss. etiã Artemidorus* II. *Onirocrit.* LXXIV. *dixit:* Γονεῖς καὶ διδάσκαλοι. καὶ γὰρ οὗτοι ὅμοιοι εἰσὶ θεοῖς. οἱ μὲν, εἰσάγοντες εἰς τὸ ζῆν. οἱ δὲ, ὅπως χρὴ τῷ ζῆν χρῆσθαι διδάσκοντες: *Parentes & præceptores: Et hi namque sunt diis similes. Alteri scilicet in vitam inducentes: alteri vero, quomodo vita instituenda sit, docentes. Non minus rectè usurpari etiam hoc Embl. poterit ab iis, qui inter varios hujus mundi casus, tanquam in Oceano quodam jactati, omnem spem suam in Deo collocant, eoque duce & comite ex omnibus periculis emergunt. Igitur secundum Synesium in Epist.* θεὸς ἡγείσθω παντὸς ἔργου καὶ λόγου: *Deus cujusvis & dicti & facti auspex esto. Quem sic alloquitur Boetius lib.* III. *metr.* IX.

> Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
> Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Inscriptio Symb. est ex Ovid. I. *de amore.*

XXXV.

ME DVCE NAVIS EAT.



Pompilus hic navim tuto propè littora ducit;
Vnus sed mihi sit duxque comesque Deus.

INSI-

INSIGNIS fides & mirè ingeniosa calliditas Scaros pisces celebrat. Scarus enim, teste Plinio, inclusus nassæ non fronte erumpit, nec infestis viminibus caput inserit, sed aversus caudæ ictibus crebris laxat fores, atque ita retrorsum erumpit. Quem luctatum ejus si fortè alius scarus extrinsecus viderit, apprehensa mordicus cauda adjuvat nixus erumpentis. Quæ ad verbum ex Plinio exscripsit Isidorus. Rem porro ipsam Aelianus quoque, Oppianus, Plutarch. Ovid. in fragm. halieut. & Io. Tzetzes, satis superque confirmãt: Et propterea apud Athenæum λάβραξ ὁ πάντων ἰχθύων σοφώτατος dicitur. Nam profecto admiranda hæc illius cum ad se, tum ad socios liberandos solertia est, & fides non minori laude digna, quam vel Thesei & Pirithoi, vel Damonis & Pythiæ, vel Orestis & Pyladis, vel quorumcunque aliorũ, quos sinceræ amicitiæ cultus immortalitati inseruit. Præclarè autem Val. Max. lib. IV. cap. VII. disserit: Sinceræ fidei amicos præcipuè in adversis rebus cognosci: in quibus quidquid præstetur, totum à constanti benevolentia proficiscatur. Et quæ ibi sequũtur plura, lectu utilissima. Quibus omnino conveniunt & illa Orestis Euripidei:

τοὺς φίλους
Ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοισιν ὠφελεῖν.
amicos in malis
Prodesse amicis convenit.

Vbi & ratio subnectitur eadem, quam Valer. Max. exprimit. Neruosè Seneca in Agamemn.

Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt.


Igitur non malè, ut puto, hæc nostra inscriptio symbolo huic convenit, quæ est ex Lucani vers. lib. VIII. de bello civil.

Adversis non deesse decet, sed læta secutos
Nulla fides unquam, miseros elegit amicos.

ADVER-

XXXVI.

ADVERSIS NON DEESSE DECET.



Ecce ſcari ſocios prendant ut vimine clauſos,
Scilicet eſt veræ hoc ſymbolum amicitiæ.

SARGORUM *mirum erga capras amorem, & quæ sit ejus occasione illorum captura, cum Oppian. admodum poëticè describit, tum rem ipsam Aelian. quoq;, Phile in Iamb. & Plinius confirmant. Aeliani locum, ut eum Gellius vertit, ascribam: Sargi capras vehementiss. amant. namq; cum caprarum prope litus pascentium, unius aut alterius umbra in litore apparuerit, protinus gaudio exilientes, summo studio adnatant, ac saltu nō admodum ad saltandum idonei, capras contingere affectant, sensum caprini odoris percipiunt, etiamsi sub fluctibus natent, itaq; voluptate gestientes ad eas accedere student. Quod autem tanta amoris insania in capras existunt, ex iis idcirco capiuntur, quæ tantopere desiderant. Nam piscator caprinam pellem extractam cum cornibus induens, insidias parat, sole à tergo relicto, atq; farinam caprino jure madefactam in eam maris partem spargit, ubi habitare solent sargi, qui tanquam philtro quodam odoris allecti accedunt, farina vescuntur, pellis assimilatæ capræ conspectu permulcentur: ex his autem piscator multos hamo robusto capit. &c. Miranda mehercle hujus piscis cum à natura ad amorem quadrupedis & terrestris animalis inclinatio, tum ex eodem noxia stultitia. Sed eo Emblemate meretricius amor rectè exprimitur, quod est Alciati* LXXV. *ubi elegantiss. Epigrammate rem depingit. Apud Athenæum, nisi fallor, Nico Attica meretrix, αἶξ, Capra cognominatur, quod Thallū adolescentem, qui in Atticam mel & caricas empturus advenerat, abligurivisset. Et plane jucundum est de capra & hædo Senis Plautini somnium in Mercat. act.* II. *sc.* I. *Satyri quidem capripedes finguntur esse monstra libidinosiss. De quibus præter alios videatur Plinius & Pausanias.*

XXXVII.

FALLACIS FRVCTVS AMORIS.




Vt stolidus capitur specie deceptus amati
Sargus, sic capitur quisquis amore furit.

SCITE *Aristot.* IX. *hist. an. cap.* XXXVII. Ἔστι δὲ καὶ ἐν τοῖς θαλαττίοις ζώοις πολλὰ τεχνικὰ θεωρῆσαι πρὸς τοὺς ἑκάστων βίους, *sed in marinis quoque animantib. permulta intelliguntur nō sine solerti ingenio effici ratione vitæ commodioris. Subjicitque statim & primo loco Ranæ piscatricis exemplum, quam in cœno absconditam gemina ante oculos dependentia fila exerere, & creberr. commovere scribit, quæ occurrentes pisciculi præhendant, at ipsa post subducens fila occultis quibusdam viis, in latas maxillas suas deceptos ingerat. Ex quo Aristot. loco & Aelianus hanc historiam, & Plin. quoque ac Plutarch. transcripserunt, & meminit etiam Cicero* II. *de N.D. Sed Oppian.* II. ἁλ. *admodum poëticè hanc ipsius fraudulentam solertiam depingit, eamque similitudinibus pulcerrimis suo more illustrat. Ad quarum priorem quidem de aviculis, tritico & ante & intra portam à captante disperso illectis & captis, locus Dionis Sophistæ pertinet* ἐν τῷ περὶ ἀπιστίας: τὰς νήττας οὐ πρότερον θηρεύομεν, πρὶν ἂν φάγωσι παρ᾽ ἡμῶν, *Anates haud prius capimus, quam à nobis objecta edant. Id quod ad falsos amicos, qui benevolentiæ simulatione homines in nassam illectos pessundant, accommodat, quod & nostrum hoc symbolum exprimit. Nam, ut præclarè Livius dicit, fraus fidem in paruis sibi præstruit, ut cum operæ pretium sit, cum magna mercede fallat. Et verè Seneca init. Declamat: Magis nocent insidiæ, quæ latent. Convenit etiam hoc symbolum ex inscriptionis indicatione in homines industrios, qui suo labore & solertia victum & res necessarias sibi acquirunt ac comparant.* Dii *enim, ut est in Proverb.* facientes adjuvant, *quia non cessantibus & ignavis, sed industriis, & pro virili sua laborantibus solent esse auxilio.*

XXXVIII.

INDVSTRIA PROPRIA NVTRIT.




Fallax rimosas piscatrix rana paludes
Obsidet, incautos pisciculosq́ capit.

RAIA à Græcis βάτος & βάτις, pro sexus differentia, ut ex Aristot. potest colligi, dicitur. Ex eo scilicet, quod caudam & dorsum recurvis aculeis, agrestis rubi instar, quem Græci βάτον appellãt, armatum habeat. Marinus piscis est, & ad magnitudinem non cõtemnendam excrescit. Aelianus quidem non majores Argolico clipeo in India non procul à litore gigni prodidit. Sed longè maximas esse in mari Gothico Olaus M. observavit. Variæ autem sunt Rajæ species, & non raro illa cum Rana piscatrice confunditur, cum toto genere tamen inter se differant: etsi pisciculos capiendi eadem ferè utriq; sit ratio & calliditas. Cæterum Iul. Cæsar Scaliger de Subtil. ad Cardanum scribit: Solam Rajam inter omnes pisces in mari Gothico, ubi Rocca dicatur, (Gesnerus eam à Germanis & Flandris nominari dicit, Rooch) observatam esse, insigni pietate, naufragorum cadavera à graßatoribus piscibus tueri. Quod fortaßis ab Olao M. accepit, qui commemorat, hominem naufragum in mari natantem à canibus sive caniculis, marinis piscibus tanto cum numero & impetu impeti, ut non tantum crebris morsibus, sed pondere etiam in profundum eum demergant, ac devorent. Vbi vero Raja caniculis illis supervenerit, tum eam ut injuriarum vindicem, magno conatu (cum quidem naturalibus aculeorũ armis instructa sit) grassatores abigere, hominemq;, ut enatet, adjuvare pro virib. Tamdiu etiam illum sæpè tueri, donec spiritu penitus intercluso post dies aliquot, dum mare naturaliter se purgat, sursum feratur. Vnde hominem, qui afflictis calamitate opem ferat, eosq; tueatur contra improborum injurias, quiq; in extinctos pius sit, Rajæ symbolo significabimus.

MISE-

XXXIX.
MISERIS SVCCVR-RERE PROMPTA.



Sum pietatis amans, hominis nam Raja cadaver
Non patior pelagi monstra vorare fera.

TORPEDO *piscis, Græcis* Νάρκη, *quæ vi polleat, ejus nomen exprimit. Suo enim contactu pisces in stuporem & ἀναισθησίαν conjectos, capit & devorat, quamvis tarda ipsa, velocissimos, ut scribit Aristot. Nec in suum tantum genus hæc illi potentia, sed etiam in hominem. Nam licet illa nō tangatur, stuporem tamen manibus piscatoris impingit, per lineam aut setam ascendens ac subiens. Tradunt hæc præter Aristot. & Oppianum, Theophrast. Galenus, Averrhoes, Alex. Aphrodis. Plinius, & alii. & de hoc etiam pisce extat tersiss. Epigramma Claudiani* XIV. *Et Plato ejus meminit in Menone:* ἡ νάρκη τ̓ πλησιάζοντα ναρκᾶν ποιεῖ. *Diphilus autem Laodiceus in lib. de Nicādri Theriacis non totum piscem scribit torporem inducere, sed partem ejus tantum. Sed ut ut ista se habeant, certè ad munerum illicitā & clandestinam acceptationē, quæ non quidem corpus, sed quod pejus est, animum ipsum obstupefaciunt, rectè transferri posse videntur. Illorum sane quanta vis sit, expressit Euripides, cum etiam Deos muneribus duci scribit:* πείθειν δῶρα καὶ τοὺς θεούς. *Cui & Ovidius astipulatur. Et pulcrè Seneca Thyest.*

moventes cuncta divitias,

dixit. Apuleius etiam IX. *Met. ait, pecuniæ difficultates omnes esse pervias, auroq; adamantinas perfringi fores. Referenda huc est Horat. Ode* XVI. *lib.* III.

Inclusam Danaën turris aënea &c.

Philippus quidem Maced. Rex, ut Cic. meminit ad Att. omnia castella expugnari dicebat, in quæ modo asellus onustus auro posset ascendere. Non mirū. Nam Pythia ei consulenti responderat:


ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις,

Ex argento hastis pugna, sic omnia vinces.

Verum τῆς ναρκήσεως *in Torpedine pisce caussam pulcrè enucleat Theophylactus Simocat.* ἀπορ. φυσικ. δ. *ex quo loco hoc Embl. quis in contagia mala & perniciosa usurpare non ineptè posset.*

XL.

MVNERA SIC ANIMVM.



Anne manus torpent tibi cum clam munera sumis?
Non sentis? certè mens animusq; stupent.

PASTINACÆ, *quam τρυγὼνα Græsi vocant, radius sive aculeus adeo venenatus est, ut tam piscatores, quam pisces lethaliter vulneret, quibus etiam eo ictis intra paucas horas, nisi remedia adhibeantur, occumbendum est. Ea de re post Arist. Athen. Aelian. Nicand. Plin. inter veteres vel inprimis Oppian. legendus est, cujus pulcerr. de Pastinaca versiculos Had. Iunius Embl.* VIII. *latinè reddidit. Clam autem in mari delitescit, adeo ut stabilis ac quieta videri possit. accedentes igitur incautius pisces, radio, quem in media parte oblongæ caudæ infixum, quo vult, dirigere potest, miro astu & nocendi libidine ex occulto figit & enecat. In piscatorem quidem quod radium etiam ejaculetur, inde Proverb. natum esse quidam existimant:* Piscator ictus sapiet. *Tales sunt homines pestiferi, qui cum virus suum palam in bonos effundere nequeant, latent in insidiis tamdiu, & calumniis sibi occultè ad nocendum viam sternunt, donec eos vel otio suo, vel aliena fraude securiores factos, tandem ex aperto aggrediantur, & omnibus fortunis exuant. Nam, ut verè Achill. Tatius lib.* VI. *ait:* ἔστι μὲν ἡ διαβολὴ μαχαίρας ὀξυτέρα, πυρὸς σφοδροτέρα, *Calumnia est gladio acutior, igne ardentior. Sic Dionysius Syracusarum tyrannus, cum ob facinora ferri amplius non posset, ocio se & inertiæ, ad eximendam tyrannidis suspicionem suis, dedidit, donec eam denuo consecutus, longè crudelius, quam antea exercuit, ut de eo Plutarch. refert. Sed & arbores pastinacæ radius enecat, Aeliano & Plinio testibus, Ex quo est Hadr. Iunii Embl. doctissimum, in delatores itidem contortũ. Busbequius in Itinerar. suis, pastinacam sævo aculeo metuendam à suis comitibus captam fuisse narrat, quo dum ipsos appetebat, se ipsam transfixerit. Quod & Scorpioni consuetum esse sæpè vidimus.*

QVIE-

XLI.

QVIESCENS LÆDIT.



Sæva venenatæ cautus fuge ſpicula linguæ,
Plus ea quam ferro vulnera facta dolent.

RADII *Pastinacæ tam exquisita virulentia est, ut etiam à corpore reliquo piscis avulsus, tamē noceat, & ejus contactu herbæ, arbores, & saxa exarescant, quod proximo etiā symb. attigimus. Hoc igitur Telegonum Vlyßis filium à Circe donatum, eoq; hastili suo præfixo, patrem, sed inscienter interfecisse canit Oppian. & meminit Parthenius* ἐν ἐρωτικοῖς. *Qua etiam de re B. Ambros. V. Hexae. c. X. Quid, inquit, loquar turturis (pastinacam intelligit) aculeum, & hoc mortuæ? Sicut enim viperæ os si quis calcaverit recens, nocere perhibetur, & immedicabile vulnus serpere: ita etiam turtur aculeo suo mortua amplius, quam viva periculi afferre memoratur. Hæc quamvis ita sint, reliquum tamen pastinacæ corpus salubre nutrimentum præbere, & jucundi cibi esse constat, adeò ut etiam Galenus inter boni succi alimenta referat, cum caro eius mollis sit, & facilis concoctionis. Convenit in illos, qui nocendi facultate & viribus instructi, iidem tamen juvare etiam & benè de Rep. mereri possunt. Quo Plauti illud referri queat in Bacch.* Nemo frugi esse potest homo, nisi qui & benè & malè facere norit. *Et Adag.* Qui nocere potest, & idem prodesse. *Sed rectius cōvenit in illos, qui vitiorum malitiæque aculeis resectis & abjectis, salutare in Rep. alimentum in posterum honestis & laudabilibus virtutis actionibus esse annituntur. Nam ut Seneca pulcrè dixit:*

Sera nunquam est ad bonos mores via.

Sic Phædo ex lupanari, Socratis: Polemon ex Bacchi Schola, Xenocratis beneficio in Academiam perducti philosophi facti sunt. Sic Gelonem ex Plutarch. scimus & Hieronem & Pisistratum, cum malis artibus tyrannidem occupassent, moderatos tamen postea & reip. salutares fuisse principes.

HAC

XLII.

HAC NOCEO, HAC NVTRIO.



Noxia tela quidem mea sunt; innoxia cuncta
Sed reliqua, & sanum dat caro nostra cibum.

MVRÆNAM, *quæ adeo Romanis in deliciis fuit, ut ex Macrob. Cicer. Plin. Columella, & aliis constat, rectè, ni fallor, exhibet Hipp. Salvianus in pulcerr. suo opere Histor. aquatil. & an eadem illa sit cum lampetra nostra, & Auson. Mustella, multa affert aliis nō animadversa Ios. Scaliger in Auson. Lect. Eius capitale odium cum polypo, præter Aelian. & alios Oppian. elegantiss. describit* II. ἁλ. *Posse nimirum Polypum nullis artibus, nullis virib. murænæ evitare insultus, sed cogi quamvis invitum ad necessariū prælium devenire, & frustra quidem miserum suis cirris & flagellis, velut spiris ac vinculis, murænam implicare. Nam & sua lubricitate illam elabi, & denuo adorientem hostem, brachia illi abscindere & discerpere, ac ita tandem devictum conficere. Sic videlicet ratione etiam carentibus implacabile quiddam natura ingenuit, ut Aelian. queritur. Sed cur ita? cum ubiq; fere terrarum, ut est in versu Timonis Phliasii apud Cl. Alexandr. & Euseb. lib. ult. præparat. Evangel.*

φοιτᾷ δὲ βροτολοιγὸς ἔρις κενεὸν λελακῦα,

Rixa hominum pestis stridore vagatur inani.

Et muræna quidem in polypum, in murænam locusta, in diversum nempe à se genus piscium, odia sua exercent: at in se ipsos & genus proprium, & viscera sua, sæviunt homines. Verissima igitur est Iuvenalis querela: Sat. XV.

Sed jam serpentum major concordia, &c.

Et eodem pertinet Plinii hic locus: Cetera animantia in suo genere probè degunt: congregari videmus, & stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat: Serpentum morsus non petit serpentes: nec maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diversa genera sæviunt. At hercule homini plurima ex homine sunt mala. Iunge cum hoc, quod est in III. *Cent.* LXXVIII.

XLIII.

BELLI DISCRIMINA VBIQVE.




Nusquam tuta fides, sunt undiq; tristia bella
In terris, cælo, maximo & Oceano.

MVRÆNA *de polypi victoria facta ferocior, & dentium firmitati confidens, provocata vicissim à carabo seu locusta, non cunctatur, sed audacter descendit ad prælium, quod ibidem eleganter describunt Oppian. & Aelianus. Vt autem ab initio superbè contēnit hostem, ita temerè etiam cum illo congreditur, frustra suis dentibus locustæ aculeatum dorsum & partes duriores complectens. Nam hujus siliceis forcipibus & robustis aculeis, in quæ cæco furore ipsa incurrit, transfixa tandem, sua stultitia miserè occumbit. Sic videlicet, ut præclarè Livius ait, sæpè contemptus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi regesq́ per levi momento victi sunt. Quo magis præceptum illud in omnium animis esse debet: Nihil in bello oportere contemni; nec sine caussa dici, Matrem timidi flere non solere, ut Aem. Probus in Thrasyb. scribit. Poterat Muræna in suo domicilio tuto consistere, & spernere Locustæ provocantis minas: sed nimia fiducia protracta in proprium volens ruit exitium. Vnde rectiss. idem Livius, Temeritatem, præterquam quod stulta sit, infelicem etiam esse, pronunciat. Et pulcrè Polyb.* προπέτεια γε μὴν καὶ θρασύτης καὶ θυμὸς ἄλογος, ἔτι δὲ κενοδοξία καὶ τῦφος, εὐχείρωτα μὲν τοῖς ἐχθροῖς, ἐπισφαλέστατα δὲ τοῖς φίλοις. πρὸς γὰρ πᾶσαν ἐπιβουλήν, ἐνέδραν, ἀπάτην ἕτοιμος ὁ γε τοιοῦτος: *Celeritas & audacia & impetus præter rationem, & vanitas & typhus, hostibus quidem percommoda, noxia vero maximè amicis. Nam ad omnes insidias, fraudes atq; astus obnoxius est talis. Potest etiā hoc Embl. significari Martis* τὸ ἀλλοπρόσαλλον, *qui se ab alio ad alium confert, & modo harum modo illarum est partium. Homer.* ιλ. σ.

Ξυνὸς ἐνυάλιος, καὶ τὸν κτανέοντα κατέκτα,
Communis Mars, inque vicem perimit perimentem.
Et eod. lib. νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας,
Nunc his, nunc illis contingit vincere.

XLIV.

FACTI FORTAS-SE PIGEBIT.



Non semper nimium promptis audacia felix,
Sæpius ast miserum duxit in exitium.

ANGVILLAS *vel max. turbatis & limosis aquis capi, præter Aristotelem, Athenæus quoq; & Cl. Alex. tradunt, & docet experientia. Basilius M.* IX. *Hexaëm.* τὰς δὲ ἐγχέλεις οὐδὲ ἄλλως ὁρῶμεν, ἢ ἐκ τῆς ἰλύος συνισταμένας. *Ex quo loco & Athen. indicatione rectè Dav. Hoeschelius, doctiss. vir, amicus noster Etymologum corrigit, apud quem* ἐγχελὺς παρὰ τὸ ἔχεσθαι ἐν τῇ ὕλῃ, *legitur, pro* ἐν τῇ ἰλύϊ. *Symbolum autem hoc vel ex Aesopi apologo, vel ex Aristophanis Equitib. rem in turbulentos cives, qui ex Reip. motu ditescere, & sæpè, ut Tacit. loquitur, privata vulnera reip. malis operire statuunt, detorquentis, desumpsit Alciatus, cujus elegantiss. in divites pub. malo Epigramma legitur Embl.* LXXXVIII. *Ad illos pertinet Ciceron. in Orat. in Catilin.* II. *dictum: Honores quos quieta rep. desperant, turbata cõsequi se posse arbitrantur. Nam, ut apud Plutarch. Callisthenes ait:*

ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς,
In ſeditione honore afficitur etiam peſſimus.

Cui simile est & illud, quod à Suida, Diogeniano, & Plut. refertur:

ἐν δὲ διχοστασίῃ κ' Ἀνδροκλείδης πολεμαρχεῖ:
Seditione orta dux eſt etiam Androclides.

Et sunt similia proverbia alia, quæ itidem huc referri possunt: Sed inprimis illud: ἐγχέλεις θηρᾶσθαι, Anguillas captare. *Iunganturq; cum hoc Embl.* XV. *Cent.* II. *& Embl.* LXX. *hac* IV. *Cent. Sed illam quidem* διχοστασίην *Philippo Maced. Regi, magnitudinis & potentiæ occasionem & caussam extitisse, ajebat Callisthenes: Qui, ut Iustinus inquit, veluti è specula quadam libertati omnium* (civitatum Græciæ puta) *insidiatus, dum contentiones civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresq; subire regiam servitutem coegit.*

TVR-

XLV.
TVRBATO FLVMINE CAPTA.



Turbato anguillæ capiuntur flumine. ſic res
Turbare in patria ſeditioſus amat.

ASELLI *piscis species est, qui Germanis* Stockfisch *dicitur, à trunco videlicet, cui aridus & induratus tundendus imponitur. Riget enim tanta ariditate, ut nisi præmaceratus aqua, & insigniter contusus, coqui nequeat. Alius piscis est Salpa, licet & is, sed recens, ferulæ ictibus præmolliatur, ut ex Plin. discimus. Erasmus à re ipsa fustuarium piscem hunc appellavit: sed à trunco potius eum sic nominari, notavit Georg. Fabricius. Cõgruit in homines stupidos, insulsos & bardos, quos frustra obsequio aut rectis præceptis emendes, sed plagis & verberibus adigere necesse habeas, ut faciant officium. Quo etiam Adag. pertinet:* Phryx plagis emendatur. *Quod salsè Cicero adducit pro L. Flacco in testes Asiaticos: Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia. Vtrum igitur nostrum, aut vestrum est hoc Proverb.* Phrygem plagis fieri solere meliorẽ. *Quod & apud Suidam similiter extat:*

Φρὺξ ἀνὴρ πληγεὶς ἀμείνων καὶ διακονέστερος:
Verberatus Phryx melior & obsequens erit magis.

Servos sane naturâ etiam quosdam esse, Aristoteles in polit. disputat; & quidam ingenio adeo sunt duro, ut nisi severè coerceãtur, frugi esse nequeant. Sed & hîc tamen modus tenendus est. Nam & M. Varro servos quoq; verbis potius, quam verberibus castigari putat oportere: Et rescripto D. Antonini nimia dominorum asperitas in servos adeò punitur, ut cogantur eos bonis conditionib. vendere. Expedit enim, ut Iustinianus Imp. ait in Instit. Reip. ne sua re quis malè utatur. Sed modica castigatio servorum legibus permittitur, ut & propinquorum, tit. C. de emendat. seru. & propinqu.

XLVI.

NON NISI CONTVSVS.




Durus asellus amat fustes, & verbera. numquid
Sic piger attrahitur verbere ad officium?

SEPIAM *piscem insectantibus se ad capturam piscatoribus atramēto, quod pro sanguine ipsi est, effuso ipsum mare offuscare, atq; ita oculis illorum subtractam per incerta itinera elabi ac effugere, ex Aristot. Oppian. Aelian. & Plin. discimus, qui etiam ex Anaxilao tradit, atramenti illius tantam vim esse, ut in lucerna additum, summotis aliis luminibus efficiat, ut cuncti astantes videantur esse Aethiopes. Meminerunt etiam sepiæ Nicand. in Theriacis, Phile in Iamb. Plutarch. & Horapollo in hierogl. Et similia nostris sunt apud Nazianz. Orat. ad Cl. Episcopos, & Carm. I. vers. CCCCC. De Sepia autem omniū elegantiss. versus sunt Ovid. in fragm. hal. Ex quo inscriptio etiam est hujus Embl. Aegyptii Sacerdotes, hominem qui magna polliceretur, sed fœdè spem de se conceptam falleret, hac figura demonstrarunt, ut paulo aliter quam Horapollo annotavit Pierius. Vafri enim & tecti hominis, & simulatione artificiosa cunctos fallentis signum fuisse sepiam, Sebast. Erizius in expositione antiquorum numorum Italica affirmat, ubi numisma, sub Neronis Cæs. nomine valdè, ut ait, vetus describit, in quo piscis, vulpis, sepia, pelagii cuncti, & fluviatilis gammarus incisi fuerint, quæ cuncta in Neronis infamiam fuisse ita composita existimat. Nostrum quidem hoc etiam in Sophistam torqueri posit, secundum Platonem, δυσθήρατον ζῶον, quem dum veritatis reti comprehendere niteris, ille effusa fumorum atra fuligine subito evanescit. Horat. etiam I. Sat. IV. per nigræ loliginis (est hæc è sepiarum genere) succum, livorem mentis intellexit, uti vetus ejus Comment. innuit. Ipsum deniq; Aristot. Picus Mirandul. sepiæ comparat, fortè quod de animæ immortalitate animi sui sensum obscurius proposuisse illi visus fuisset. Quod nos in medio relinquimus.*

HAC

HAC ELVDIT RETIA FRAVDE.



Hic niger est piscis, fallitque cruore sequentes,
Nempe etiam mendax fallit ubique niger.

INTER

INTER *marinas testudines, de quibus cum veteres, tum recentiores, quædam miræ sunt magnitudinis. Et Indicæ quidē, Taprobanicæ max. ut Plin. Aelian. & ex Plin. Solinus scribunt, tantæ, ut singularum superficies habitabiles casas integant. Rōdeletius in mari Gallico captam fuisse anno* M. D. XX. *tam magnam refert, ut funibus tracta homines tres supra dorsum stantes veheret. Tradunt autem de marina testudine Aristot. Oppian. & Plinius, illam fervente sole, circa meridiem maximè, liberius se radiis ejus in summitate maris exponere, donec sui oblita, cortice interim testaceo Solis calore exiccato, amplius in ima maris se immergere nequeat. Hoc igitur pacto voluptate liberè spirandi deceptam, frustraq; se supernè volventem & gurgitem desiderantem, in piscatores hoc observantes incidere, illisq; prædæ fieri. Simili modo ex Varrone Macrobius asserit, murænas solaribus radiis siccatas & torrefactas amplius se curvare non posse, nec in aquam immergere, atque ita in summo fluitātes opportunam præbere venantibus capturam. Sic Martialis in Xeniis:*


Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exustam mergere sole cutim.

Contra illos locum habebit, qui cæca voluptatis libidine capti, ei adeò se exponunt, ut non animadvertant paratam sibi perniciē, donec ab ea penè consumpti fuerint, ita ut omnium direptioni, adde etiam ludibrio, pateant. Sit itaq; cunctis perpetuo in mēte gravissima illa Musonii apud Gell. lib. XVI. *cap.* I. *nota sententia: & illud etiam, quod Phornutus refert, ut vulgo jactatum:*

Μὴ τὰ μαλακὰ μώεο, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχῃς.
Ne quære mollia, ne dura feras.

EMTA

EMTA DOLORE VOLVPTAS.



Nemo voluptatum facile hämis se explicat, ustam
Vt testudo nequit mergere sole cutim.

NAVTILVS, *ut de eo Arist. Athen. Oppian. Plinius, aliiq; memoriæ prodiderunt, in mari veluti remigans & velificãs, ut verbis utar doctiss. Scaligeri, adeo scitè, miro naturæ lusu, concham suam regere novit, ut mari tranquilliore pedes duos extra illam tanquam rudentes extendat, intra quos tenuis membrana velut velum panditur vento aspirante, subter vero alii duo aquam contingentes gubernaculis similes & domum & navem & piscem deducunt: Sic ut ad hanc similitudinem naves primum exædificatas & conformatas Oppian. existimet. Quod si mali quid alicunde immineat, tum rudentes omnes, vela, gubernacula contrahens, impletusq; multa aqua in fundum maris tuto se demergit. Et hanc Nautili navigationem elegantiss. epigrammate Callimachus quoq; descripsit. Icon autem hic piscis est hominis ad utramq; fortunam rectè compositi. Sapiens enim, ut præclarè Apulejus ait, nec in secundis rebus effertur, nec contrahitur in adversis. Sed rectos oculos tenet, ut Seneca loquitur, nihil ex vultu mutat, sive illi dura, sive secunda ostendantur. Quin imo dura prævidet, & declinat. Ergo unicuiq; in promptu esse debet Terentii admonitio:*

Quamobrem omnes cum secundæ res sunt, maxumè
Meditari secum oportet, quo pacto adversam ærumnã ferãt.

Nam ut pulcerr. B. Basilius scripsit: οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νοήμων κυβερνήτης, ὁ ἐστοχασμένος τῆς ὑποκειμένης φύσεως, μεταχειριζόμενος τὰ συμπίπτοντα, καὶ ὁμοίως ἀεὶ αὐτὸς ἑαυτῷ διαμένων, μήτε ἐπαιρόμενος ἐν ταῖς εὐθυμίαις, μήτε καταπίπτων ἐν ταῖς συμφοραῖς: *Nam ille demum prudens est gubernator, qui naturæ scopum, quo tendat, sibi proponens, ea quæ accidunt, moderatur, sibiq; semper similis, neq; prosperis extollitur, neque adversis corruit.*

TVTVS PER SVMMA, PER IMA.



Nautilus ut placidum & sævum mare sustinet æquè,
Sic itidem fortis sorte in utraque animus.

ECHINI *marini tempestatem ingruentem vi naturâ præsentientes, lapillis in tergum cõjectis se operiunt, & arena saburrant, ne fluctibus obortis ob levitatem evertantur aut allidantur ad litora, sed ut hac veluti anchora nixi, inconcussi consistant. Quod quidem nautæ animadvertentes, statim pluribus anchoris naves infrenare & ipsi solent. Id cum alii (inter quos præcipui sunt Aelian. Oppian. Plut. & Plin.) constanter affirmant: tum Basilius M. & B. Ambros. uterq; in Hexaem. eleganter adducũt & explicãt. Quæ autem possit esse accuratior prudentiæ adumbratio? Hæc enim, Seneca paucis omnia complectente, præsentia ordinat, futura providet, præterita recordatur. Quo etiam pertinet Panætii aurea sententia, quam ex* II. *ejus de Officiis A. Gellius recitat. Argutè Pindarus:*

Σοφοὶ δὲ μέλλοντα τριταῖον ἄνεμον ἔμαθον:

Sapientes futurum perendie ventum noverunt.

Nam, ut præclarè Aristot. in Eth. disputat: Φρονίμους οἰόμεθα εἶναι, οἳ τὰ αὑτοῖς ἀγαθὰ, καὶ τὰ τοῖς ἀνθρώποις δύνανται θεωρεῖν: *Prudentes censemus, qui ea, quæ sibi, quæq; aliis conducunt, possunt dispicere. Cui & Platonis illud planè par est:* Φρόνιμόν γε φήσομεν ἀποχρῶντα ξύμβουλον καὶ αὐτὸν αὐτῷ καὶ τῇ πόλει: *Prudentem dicemus, sibi & Reip. consulere potentem ac validum. Vnde Achilles apud Hom.* ιλ.α. *Agamem nonis accusans imprudentiam, cum is Briseidẽ abduxisset, ait:*

Οὐδέτι οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω:

Nec poteſt proſpicere ſimul præterita ac futura:

ubi omnino videndus est Eustathius Commentator. Pertinent huc Proverb. Sapiens divinat: *& similia.*

TVMI-

TVMIDIS NON MERGIMVR VNDIS.



Disce meo exemplo casus prænosse futuros;
Prævisa ante minus namq; pericla nocent.

CANCRORUM *genus, inquit Arist.* IV. *hist. an.* LI. *multiplex est, nec facilè enumerandum. Conveniunt autem in hoc omnes, quod universis sit pars dura & testacea foris pro cute, mollis & carnea intus, supina corporis planiora & tabellata magis, quibus & ova deponunt, quando pariunt. De his etiam Plin. lib.* IX. *cap.* XXXI. *Omnia ejus generis hieme læduntur, autumno & vere pinguescunt, ac plenilunio magis, quia nocte sidus tepido fulgore mitificat. P. Bellonius scribit, eos plena luna uberiores, silente flaccidos fieri. Quod ex Ciceron.* I. *de divinat. habet, qui generaliter ait, ostreis & conchyliis omnibus contingere, ut cum luna crescant pariter, pariterq́ decrescant. Sed & Lucilii illud apud Gel. lib.* XX. *c.* VII. *notum est:* Luna alit ostrea, & implet echinos. *Sed hoc quidem symbolum, quamvis quidam ad suos potissimum amores applicuerunt, indicantes se ad vultum feminæ adamatæ vel crescere, vel decrescere, rectius tamen, & ἠθικωτέρως nos ad Principum & magnatum erga suos ministros gratiã, vel contra neglectum ac contemptum referre poterimus. Quin & ad litteratos, doctos & ingeniosos viros accommodare, quorum vigor & incrementum, sicuti econtra miseriæ & squalor ferè in manu sunt potentum, secundum usitatiss. versiculum:*

Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones.

In quam rem sane est memorabilis Plutarchi in Orat. II. *de fortuna & virtute Alexandri sententia; ita latinè reddita: Vt enim frugum copiam bona temperies & tenuitas aëris gignit, ita artium & bonorum ingeniorum incrementa, benignitas, honor & humanitas regis efficit: & contra principum invidia, sordes aut studium contendendi omnia ista extinguit & perdit.*

AD MOTVM LVNÆ.



Crescente adcresco luna, decresco minuta,
Aulæ num melius pingitur effigies?

REM

REM totam huius ſive Symboli ſive Emblematis & narrat & explicat omnium pulcerr. B. Baſilius in Hexaem. prout hunc eius locum ſelegit Simon Logotheta, eũq; latinè vertit Simon à Maillé. Archiep. Turon: Velim itaq;, ô homo, doloſorum ac maleficorum exemplum fugias, in imbecilli etiam animalculo fraudis plurimum doliq; animadvertens. Cuiusmodi iſtud eſt: Cancer ſummo carnis oſtreorum deſiderio tenetur: ſed propter teſtæ ambitum, difficilis illi eſt huius præda. Teneram enim eius carnem firmiſſ. natura munimento circumvallavit, quo fit, ut ὀστρακόδερμα, teſtam habere ſiliceam dicantur. Atq; ubi duæ illæ conchæ cavæ adamuſſim inter ſe commiſſæ oſtreum circumplexæ fuerint, vanas atq; inutiles cancro dẽticulatæ forcipes ſint neceſſe eſt. Quid igitur facit? Cum deprehendit eam in ſerenis ventoq; carentibus locis cum voluptate apricantẽ, atq; ad Solis radios ſuas pandentem conchas, tum calculo clam interjecto commiſſuram impedit, atq; virium ſuarum imbecillitatem ille hoc artificio adjuvare dignoſcitur. Hæc illa eſt animalium, quæ & ratione & voce carent, malitia. Talis eſt qui fratrem dolo aggreditur, quiq; proximi anguſtias obſervat, atque alienis calamitatibus inſolentius exultat. Eodem ferè modo B. Ambroſ. & ipſe in Hexaem. Veteratoriam autem hanc cancri calliditatem latè deſcribunt Oppian. Plutarch. Plinius. Volunt quidam, dum oſtrea piſciculis capiendis aperta teſta inhiant, ſic illorum dolum à cancro confundi: Vnde etiam originem huius Symb. deſumpſit Iul. Cæſ. Capaccius. Sed verè ne iſta ſic ſe habeant, Rondeletius diſputet. Symbolica certe ſunt, atq; ideo huc pertinet veteris Poëtæ apud Ciceron. illud. Qui alteri exitium parat, eum ſcire oportet, ſibi paratam peſtem, ut participet, parem. Adagium item: Captantes capimur: & ſimilia.

DECI-

LII.
DECIPIENS CAPITVR.



O benè factum, aliis qui fata inimica parabat,
Se magis astutum repperit artificem.

FACIBVS *nocturno tempore accensis & pisces elici, & inprimis paguros, astacos, & cancros, experientiâ etiam cavernis extrahi, capiq; cum Oppianus, tum Olaus item M. inter recentiores, scribunt: nec fallit experientia. Plato quidem in Sophist. hoc τῆς θηρευτικῆς τέχνης μυστήριον vocat θήραν πυρευτικήν: Quam prolixè admodum describit Q. Smyrn. lib.* VII. *ubi Neoptolemum in Trojanos pugnantem cum piscatorib. noctu ad hunc modum piscantibus comparat. Simile autem nonnulla ex parte huic est Embl.* LXXIII. *infra, docetq; nihil tam esse abditum, quod non veritatis lux in conspectũ proferat:* quæ, *ut Seneca ait in Troad.* nunquam latet. *Nam, ut Pindar. inquit* X. *Olymp.* ὅτ᾽ ἐξελέγχων μόνος ἀλάθειαν ἐτήτυμον χρόνος, τὸ δὲ σαφανὲς ἰὼν πόρσω κατέφρασεν: *Et solum tempus quod veritatem certam prodit, quodq; latebat in obscuro, progrediens enarravit. Cui congruit Matth.* X. *illud:* οὐδέν ἐστι κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, καὶ κρυπτὸν, ὃ οὐ γνωσθήσεται: *Nihil opertum, quod non revelabitur, nihil occultum, quod non scietur. Potest etiam huius Embl. hic usus esse, ut quemadmodum luminis fulgore deteguntur in tenebris pisces & paguri: ita quoq; veritatis splendore detegi & dispelli omnia fusca mendacia. Vtrumq; certè præclara Polybii* γνώμη *complectitur, quæ legitur in eius libri* XIII. *Epitome, sed quia prolixior est, hîc inseri non potuit. Pulcrè Menander:*

Ἔρχεται τ᾽ ἀληθὲς εἰς φῶς ἐνίοτ᾽ οὐ ζητούμενον:
Venit veritas in lucem, interdum non quæsita.

Et idem Menander:

Ἀλήθεια θεῶν ὁμόπολις, μόνη θεοῖς συνδιαιτωμένη:
Veritas cœli civis est, & sola fruitur convictu Deorum.

LIII.
SECRETA REVELAT.



Elicit obscuris cancros lux clara cavernis,
Falsa etiam vero sic veniente vides.

VETERES *hieroglyphicorum auctores, cum rei alicujus irritum eventum & ſpem fruſtratam exprimere voluerunt, cancrum ſive gammarum potius noſtrum fluviatilem, retrogradientem ſæpius, quam rectà prorepentem, pingere ſolebant, ut apud Pierium Val. legere licet: Et notus eſt verſus Proverbialis Ariſtophan. in Pace, quamvis de Cancro:*

Οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν,

Ambulet ut cancer rectà haud effeceris unquam.

Hujus quidem picturæ inventor fuit Rever. & Nobiliſſ. vir ex antiquiſſ. Franconica equeſtri familia, Laurentius Truchſeſius, Canonicus VVirtzburgenſis, bonarum litterarum amantiſſimus. Eſt autem vetus hæc & communis de Mundi perverſitate querela, de qua inſignis Horatii locus III. *Carm.* VI.

Ætas parentum pejor avis, tulit &c.

Cui convenietèr etiam Seneca: Hoc, inquit, majores noſtri queſti ſunt, hoc nos querimur, hoc poſteri noſtri querentur, everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi. Similiter Euripides in Hipp.

φεῦ τῆς βροτείας ποῖ προβήσεται φρενός;
Τί τέρμα τόλμης καὶ θράσους γενήσεται;
εἰ γὰρ κατ' ἀνδρὸς βίοτος ἐξογκώσεται,
Ὁ δ' ὕστερος τοῦ πρόσθεν εἰς ὑπερβολὴν
Πανοῦργος ἔσται, θεοῖσι προσβαλεῖν χθονὶ
Ἄλλην δεήσει γαῖαν, ἣ χωρήσεται
Τοὺς μὴ δικαίους καὶ κακοὺς πεφυκότας:

Hei; quo progredietur humana mens?
Quis finis temeritatis & audaciæ erit?
Si enim uniuscujusque viri vita ſuperbè propagetur,
Et poſterior priore longè
Deterior ſit, Deos adjicere terræ
Oportebit aliam terram, quæ capiat
Eos qui ſunt injuſti & mali.

ORBIS

ORBIS ITER.



Miraris cancri dorso consurgere mundum?
Desine: sic hodie vertitur orbis iter.

GAMMARI *ſive Gammari noſtrates caudati, quos Cardanum cum Cancris confundentem Scaliger acriter caſtigat, & prorſum & retrorſum promovẽtur. Illud, collecta leniter & ſublata parum, citoq́ impulſu rurſum correcta cauda: hoc, contracta ea celeriter, & retrorſum collecta. Sic uti volunt, ſe movent, & imminenti atque urgenti ſe ſubtrahunt incommodo. Dionyſius Lebeus Batillius, Regius Mediomatricum Præſes, acri cum invectiva in Sophiſtam hæc dirigit, (quamvis non gammarum, ſed cancrum ab Hercule debellatum exhibeat depictum) qui quidem adeo lubricus ac verſatilis eſſe ſolet, ut cum jam te conſtrinxiſſe fugitivum putas,*

Effugiat tamen hæc ſceleratus vincula Protheus.

Vnde & Plato Sophiſtam deſcribit ποικίλον εἶναι θηρίον, καὶ (τὸ λεγόμενον) οὐ τῇ ἑτέρᾳ ληπτέον: *multiplicem eſſe belluam, & (ut eſt in proverbio) non una manu apprehendendam. Scipio verò Bargaglius in Italicis libris de Impreſis, ut vocant, nos docet, rectè etiam eos uti hoc ſymbolo, qui dum in virtutis curriculo, atque bonarum artium ſtudiis retrogredi exiſtimantur, tanto in illis ſæpè promoventur celerius, atq; ad illuſtrem Honoris metã tandem pertingunt; Tribuitq́; hãc Inventionem Ludovico Ludovici Bononienſi Comiti, cum dicto:* RETROCEDENS ACCEDIT. *Nos in adjecto diſticho magis* ἠθικῶς *eos, qui ſibi jam ad propoſitum felicitatis gradum perveniſſe videntur, monuimus, ut caveant, ne res ipſorum ſubito retro ſublapſæ ferantur. Nam ut P. Syri ſententia habet:*

Fortunam citius reperias, quam retineas.

Igitur juxta vetus monoſtichon:

ὅτ' εὐτυχεῖς μάλιστα, μὴ μέγα φρόνει:

Minus inſoleſce, quo magis beatus es.

SIMVL ANTE RETROQVE.



Ne tibi confidas nimium, ne cepta ferantur
Mox tua, retrogradus cancer ut ire solet.

CANCELLUS *hic vulgo Bernhardus eremita dicitur, quod solus in aliena domo diversetur. Eũ accuratè describit Arist.* IV. *hist.an.* IV. *Scaliger vacuarũ testarum inquilinũ vocat. Cogi. n. in alienis ædibus habitare, quia cauda crustis careat. Conchas igitur, quas ad litus vacuas invenit, turbinum puta, buccinarum & purpurarum, ingreditur, teneriores sui partes illis abscondens. Factus grãdior, capaciores usq; conchas quærit, & incolit, nec unquam nisi ob jam dictam caussam eas deserit. Quo Emblemate an non vita hæc nostra egregiè exprimitur? Nam præclarè Cato Major apud Cicer. de Senect. dixit: Ex vita ista discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. Et pulcrè Clem. Alexandr.* IV. *στρωμ. differit, quod libenter relinquere debeamus tabernaculum hoc mundanum, & ad cœleste potius transire. Quæ igitur insania est, tam operosè & splendidè ædificando thesauros profundere? cum verißima sit Horatii sententia:*

Multo ille tutius vitam exigit
Quicunque parvis primus in ædibus,
Nullum timens, nulli timendus
Pelle sub exigua quiescit.

Perpendant igitur illi, qui ac si æternùm in hoc mundo victuri essent, ita domos sibi & palatia extruunt, & ista Hor. II. *Sat.* II.

Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quenquam statuit: nos expulit ille,
Illum aut nequities, aut fabri inscitia Iuris.
Postremum expellet certè vivacior heres.

Vsurpari etiam potest hoc symbolum ab iis, qui avitis sedibus vel ob egestatem, vel alias caussas necessario relictis, in peregrino solo stationem tamen Dei beneficio tutam & commodam alicubi nanciscuntur, vnde etiam non facilè, nisi & hujus in melius commutandæ occasione recedunt.

LVI.

SEMEL EMIGRABIMVS OMNES.



Hic nusquam certis habitamus sedibus, ast hinc
Ibimus ad superi cælica regna Dei.

ATHÆNEVS ex Chrysippi Stoici lib. περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς hæc refert: Pinna (inquit, interprete Dalechampio) ac pinnæ custos mutuas operas præstant, nec vivere seorsum queunt. Pinna quidem ostreum est. Pinnæ vero comes & tutor, exiguus cãcer. Pinna igitur disclusa testa, otiosa & quieta expectat adventantes pisciculos. Astans vero custos si quis subierit, morsu significat. Vellicata sic concha os comprimit, & eo quod intus est exceptum ac inclusum, communi dape cum socio vescitur. Eadem etiam ex Chrysippo Plutarch. de solert. an. affert, ubi ait, Chrysippo plurimam atramenti in omnibus libris absumpsisse hunc pinnotherem. Eadem tradunt Aristot. quoq;, Theophrast. Aelian. Oppian. Phile in Iamb. Cicero & Plinius. Pinnæ etiam meminit Nemesius cap. I. de nat. hom. Et pinnotheris Scholiastes Aristophan. in vespis. Horapollo quidem, eumq; secutus Pierius, scribunt, Aegyptios hominem qui à propinquis curetur, hoc hieroglyphico expressisse. Sed nos ex Ciceron. II. de Nat. Deor. ad civilis societatis conjunctionem inter homines referimus, quam primum constituit ἡ ἔνδεια, indigentia. Nam, ut Artemidor. ait III. Onirocr. IX. δεῖ δὲ τοῖς ἀνθρώποις βοηθείας. δεῖ καὶ τῶν συλλαμβανομένων: Auxilio homines opus habent, & adjumento aliorum. Qua de re in Platon. & Aristot. politicis leguntur plurima. Ad hospitalitatis etiam, cujus Iupiter ipse ξένιος, Homer. & Virg. testibus, præses sit, iconem exprimendum non inepta fortè hæc pictura fuerit. Qua si quis in parasitos quoq; ἀλλοτριοφάγους, ut eos Athenæus vocat, utatur, non malè fecerit. Nam & Plinius hunc pinnotherem cancrum dapis affectatorem nuncupat, & Pierius à nonnullis piscem parasitum eum dici scribit, quamvis si hoc parasito pinna careat, fame ipsi pereundum foret.

COMMVNIA TECTA.



Quam benè conveniunt, & in una sede morantur?
Quos natura, usus, junxit & unus amor.

PINNA *fundo maris ad litora perpetuo affixa, lana quadam ſeu villo extra concham propendente, tanquam radice nititur. Ea lana tenuiſſima eſt, & byſſus Ariſtot. dicitur, ex qua ſunt byſſinæ veſtes nobiliſſimæ, quas IC. per byſſicum opus videtur intelligere in l. ult. §. ſpecies. D. de publican. & vectig. Certum autem eſt, quod pinna hanc ſuam lanam, veluti manum quandam, ad alimentum attrahendum, expandat, ut apud Aelian. legimus: plane ad ſimilitudinem retis piſcatorii: in quam ubi piſciculos & minuta conchilia, ceterasque maris quisquilias attraxerit, illis delicatè veſcitur. Et Aelianus quidem hanc ejus lanam* σαρκίον *vocat:* καὶ προτείνει σαρκίον ἐξ ἑαυτῆς, οἱονεὶ δέλεαρ τοῖς παρανηχομένοις τῶν ἰχθύων: *& carunculam extra cõchas eminentem ex ſeſe prætendit, tanquam eſcam circumnatãtibus piſcibus. Sed quid fit? Ipſa pinna ſuis his inventis & piſcatori ad retia conficienda primitus monſtravit viam, & ſimul illi oſtendit, hoc ipſo pacto & aſtu etiam ſe capiendam eſſe. Quod plane ita accidit. Nempe, ut præclarè Seneca in Herc. fur. admonet:*

> Quod quisque fecit, patitur: auctorem ſcelus
> Repetit, ſuoque premitur exemplo nocens.

Nec reprehendi poteſt, qui hoſtium artes & dolos ſimiliter eludit, eosq́ꝫ propriis ipſorum invẽtis & machinationibus circumvenit ac ſuperat, atqꝫ ita in auctores technas rejicit. Sic enim, ut idem Seneca ait in Thyeſte: Sæpè in magiſtrum ſcelera redierunt ſua. *Pertinent huc noti verſus Ovidii:*

> Iudice me fraus eſt conceſſa repellere fraudem,
> Armaque in armatos ſumere jura ſinunt.

Et iſti M. Palingenii in Capricorno:

> Nam jus fasque ſinunt, vim vi propellere, fraudem
> Fraude, velut meritum merito penſare decorum eſt.

INSIDIIS CAPIOR PROPRIIS.



En quæ pisciculos capere insidiosa solebam,
Sum Pinna inventis mox peritura meis.

PVLCERRIME *Plinius conchas margaritiferas describens ait, eas anni genitalis impetu stimulatas naturali quadam oscitatione pandere se, atque ita impleri roscido conceptu, gravidas postea eniti, & si sereno cælo purum nitidumq; rorem imbiberint, lucidißimas purißimasq; margaritas progignere. Sed hoc ut fabulosum Hieronymus Cardanus deridet. Nos utut ea sint, rectè tamen & piè, opinor, ad hoc accommodabimus, ut quemadmodum margaritæ exiles & nullius adhuc decoris Solis & roris beneficio, crescunt, augentur, illustrantur: Ita nostrarũ virium debilitatem & intellectum in rebus divinis obscurum adhuc & hebetem, veluti serenari ac perfici ab æterno Sole, Domino Salvatore nostro Ihesu Christo, S. Spiritus ejus divino rore, cujus infusa dona sunt pietas, fides, religio, lucidißimæ margaritæ, quarum efficacia mentis tenebræ & errores universi discutiuntur, sic ut omnia nostra, divina illustrante gratia puriora & clariora fiant. In S. enim litteris Sol Iustitiæ Christus est: & cæli sereni icon Deum nobis propitium faventemque significat. Rore vero, virtus & fœcunditas exprimitur. Vnde Isaac filio suo Iacobo benedicens præcabatur: Vt Deus illi daret de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini, Genes.* XXVII. *Quidam ad amores suos, prout illi sive læti, sive turbidi fluxere, Symbolum hoc transtulit, cum inscriptione Hispanica:* SEGVNDO EL TIEMPO. *Alii addunt:* HIS PERFVSA: *ostendentes nimirum ceu margaritæ Solis & Roris radiis & humore perficiuntur, sic se virtutis & præclaris actionibus celebritatem & gloriam consecuturos esse.*

LIX.

CLARESCVNT ÆTHERE CLARO.



Perfunde ô vera fidei me Christe liquore,
Tunc mea in æternum vita serena fluet.

ELEGANS *profecto & argutum est Epigramma Græcum, quod ex lib.* I. *Epigrammat. feliciter expreßit latinè Andr. Alciatus Embl.* XCIV. *quo mus ostreis hiulcis furtivè ob prædam se insinuans fingitur conclusa ab illis testa multari miseris modis; Ex quo etiam petita est nostra inscriptio. Convenit autem Emblema in eos, qui ditiorum domos ventris caussa turpiter sectantes, spontaneæ se servituti mancipãt, & nihil inde, nisi infamiam & damnum reportant. Quod Lucianus aureolo plane tractatu* περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων *graphicè admodum demonstrat. Convenit & in eos, qui perpetua luxuria, & gulæ impotentia, nimiaq; vini ingurgitatione præproperum sibi accersiverunt exitium. Sicuti re vera plures semper gula, quam gladius perdidit: Et ut habent Theognidis versiculi:*

Πολλῷ τοι πλέονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἤδη
Ἄνδρας, ὅσοι μοίρης πλεῦν ἐθέλουσιν ἔχειν:

Multo plures perdidit satias, quam fames,
Viros, qui plus sua sorte habere volunt.

Exempla in omni historia occurrunt innumera. Sic Elpenor Vlyßis socius apud Circen vino largius hausto de scalis lapsu exanimatus: Antinous autem poculum adhuc manu tenens ab Vlysse interfectus est. Quin etiam Alexandrum Magnum, alioquin contra omnem vim humanam invictum, gula & vinum prostravit. Gravißima igitur est optimi poetæ Oppiani ad vitandam ingluviem exemplo interitus, quem pisci Noctuæ affert voracitas, adhortatio in II. ἁλιευτικῶν. *Sed Christianis præcipuè ante oculos esse debet Salvatoris nostri sanctiß. præceptum, Luc.* XXI. προσέχετε ἑαυτοῖς, μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ. *&c. Repete huc quæ dicta Embl.* LIV. *Cent.* II.

FALSA OSSA MOMORDIT.



Ostrea mus petulans avido consumere morsu
Dum cupit, ecce refert præmia digna gulæ.

EX Conchyliorum genere est & purpura, quam Oppianus Ostreis, & Aristot. ὀστρακοδέρμοις annumerant. Vnde etiam pretiosissimus ejus liquor Ostrum vocatum à veteribus fuit. De quo cum alii legi possunt, tum inprimis Vitruvius lib. VII. arch. cap. XIII. & Iul. Pollux lib. I. cap. IV. Purpuræ autem lingua est longitudine digitali, acie & duritie tanta, ut proditum sit, ea & conchas, & quascunque sui generis testas illam perforare posse, unde & Proverb. Purpura voracior, origo esse creditur. Vt autem ad pastũ hoc ex lingua commodum habet, ita eadem ipsi affert extremam perniciem. Ita enim Purpuras capi cum alii referunt, tum Plinius. Contexere piscatores exiguas nassas, quibus conchas & ostrea escæ loco injiciant, aut appendant. Eas semineces, sed mari redditas avido hiatu reviviscentes purpuras appetere, exertisque, quantum possunt, infestare linguis. At conchas aculeo exstimulatas claudere sese ac comprimere: itaque pendentes aviditate sua tolli purpuras. Aristot. & Oppian. paulo aliter purpurarum hanc capturam describunt, & στρόμβοις eas inescari tradũt. Potest autem & hujus Embl. varia esse accommodatio. Nam hîc quoque captans capitur, & fraus in auctorem recidit. Sed omniũ rectiss. de lingua hominis usurpari poterit. Nam & illi hæc, non minus quam purpuræ, secundum Anacharsidis Scythæ apud Diog. Laertium dictum, simul & bonum & malum est. Vnde & Adag. celebratur à Suida & Zenodoto: Γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; πόλιν ὀρθώσουσα καὶ πάλιν ἀνασρέψουσα: Lingua quo vadis? urbem ut struam, & rursus ut destruam. Cum quo & Solomonis illud congruit, cap. XVIII. Mors & vita in manibus linguæ. Rectè igitur Hesiodus:

γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης:
Linguæ thesaurus est optimus inter homines
Parcæ, & plurimum gratiæ meretur, si fuerit moderata.

PRÆDÆ

LXI.

PRÆDÆ PATET ESCA SVI.



Ex lingua vitam, ex lingua haurit Purpura mortem,
Lingua homini & vitam præbet & interitum.

VT ad marina quædam monstra nunc veluti divertamur, plures fuere Glauci, unde etiam diversa de iis figmenta ab Athenæo, Strabone, Clearcho, aliisq́ commemorantur. Nasonis autem de Glauco Anthedonio fabula vulgo etiam nota est. Eum ut piscatorem, cum fortè captos pisciculos in herba quadã (Athenæus ἀείζωον, Sempervivum nominat) ad litus expositos, illa tacta in mare subito resilire conspexisset, eadem degustata & ipsum in mare se dedisse præcipitem, & ilico in marinum Deum Oceani Thetyosq́ ope transmutatum fuisse. Hæc Glauci ἀποθεώσις est, quæ etiam proverbium peperit: Glaucus comesa herba habitat in mari. *Cujus tamen veram originem Erasmus explicat. Est & Glaucus piscis, sed à colore, non ab hoc fabuloso maris Deo nomen habens. Sane autem hoc symbolo significare possumus, nullam adeò depressam & humilem hominum conditionem esse, quam non Dei benignitas & gratia facile extollere & illustrare posit, atq́ idcirco eius providentiæ obsecundandum, & quo Fata, hoc est, divina eius voluntas, vocant, sequendum esse. Nam, ut pulcrè Horatius cecinit:*

valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus,
Obscura promens, &c.

Id quod ab Hesiodo mutuatus videtur, ut dictum est alibi. Pulcerr. etiam est Xenophontis sententia: Καὶ ὁ θεὸς δ᾽, ὡς ἔοικε, πολλάκις χαίρει τοὺς μὲν μικροὺς, μεγάλους ποιῶν, τοὺς δ᾽ μεγάλους, μικρούς. *Igitur*

Quo fata trahunt, retrahuntq́;, sequamur.

Vt præclarè Virg. VI. Aen. apud quẽ etiam Sibylla de aureo ramo Aeneam sic affatur, ut fati providẽtiæq́ divinæ vim exprimat:

Carpe manu. namq́; ipse volens facilisq́; sequetur,
Si te fata vocant: aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

LXII.

QVO FATA TRAHVNT.



Quid non fata queant? & Glaucus, fabula nota est,
Ex humili est factus conditione DEVS.

DE Sirenum origine, numero, figura, cantu & interitu, alii aliter: & frustra in poëticis fabulis quæritur consensio. Videri autem de his possunt Homer. ὀδυσ. μ. *cujus versus interpretatur Cice.* V. *de Fin. Apollonius in Argon. Plato in Phædro, Virgilius, Ovidius* V. *Met. Lycophron in Cassandra, Io. Tzetzes in* I. *Var.* XIV. *&* XVI. LXXV. *& alii. Nec me latet ex quorundam sententia nostram hanc figuram Nereidum potius esse: Sed cum & communior sit, & Th. Gaza ac Trapezuntius insuper affirment, se Sirenes hac ferè forma in mari conspexisse, idcirco cum And. Alciato eam retinuimus, inscriptione petita ex Claudiani Epigr. de Sirenibus. Sane autem nihil hæ fuerunt aliud, quam formosæ meretriculæ, habitantes in litoribus, quæ quia transeuntes redegerunt ad inopiam, his dictæ sunt inferre naufragia. Nam hoc expreßè tradit Dorion in lib. de Piscibus, & probant Plutarch. junior, Servius & Palæphatus. Isacius autem Tzetzes,* ἀλληγορικώτερον, *inquit,* δὲ σειρῆνες εἰσὶν αἱ ἡδοναί. *Prudenter igitur Socrates:* τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν, τὸν σπεύδοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὥσπερ πατρίδα: *Voluptates opus est præterire, veluti Sirenes, eum qui ad virtutem tanquam patriã festinat. Heliodorus etiam eleganter narrationem mellifluam & illecebrosam dixit* σειρήνιον. *Vlysses itaq; hîc imitandus, qui Sirenes præternavigaturus,* Illevit cera sociorum callidus aures. *Quo pertinet pulcerr. Senecæ adhortatio ep.* XXXI. *ad Lucil. Ad summam sapiens eris, si clauseris aures, quibus ceram parum est obdere. Firmiori spissamento opus est, quàm usum in sociis Vlyssem ferunt, &c. Sic ὁ θεῖος παιδαγωγὸς apud Clement.* II. *pæd.* VI. πρὸς τὴν ἀκοὴν τῶν αἰσχρῶν, *puerorum auribus circumponit* σώφρονας λόγους, καθάπερ ἀντωτίδας, *quasi aurium quadã munimenta, quæ athletis circumligabantur. Et idem Clemens ait:* ἀφεκτέον τῶν αἰσχρῶν ἀκουσμάτων καὶ ῥημάτων καὶ θεαμάτων: *Abstinendum à turpib. acroamatis, verbis & spectaculis.*

LXIII.

MORTEM DABIT IPSA VOLVPTAS.



Dulcisono mulcent Sirenes æthera cantu:
Tu fuge, ne pereas, callida monstra maris.

SCRIBIT

SCRIBIT *Paul. Iovius in Dial. de Impresis Italico, Sirenem antiquissimæ inter Romanas familiæ Columnensium gentilitium signum fuisse: Sed se fortiss. heroi Stephano Columnæ, hoc nostrum peculiariter inventum dedicasse, quod & Capaccius attingit. Ostendere autem illo voluit, quemadmodum Siren sævas maris tempestates, utpote cujus domicilium sit mare ipsum, contemnit: Ita etiam magnanimum illum & strenuum ducem omnia pericula, omnes hostium minas fortiter sustinere debere. Columnæ enim tantum ut familiæ istius insignia appictæ sunt. Animosè igitur Iocasta apud Senecam in Oedipo:*

——regium hoc ipsum reor,
Adversa capere: quoq; sit dubius magis
Status, & cadentis imperii moles labet,
Hoc stare certo pressius fortem gradu.
Haud est virile terga fortunæ dare.

Et alter Seneca Consol. ad Marc. vel in naufragio laudandum censet, quem obruit mare clavum tenentem & obnixum. Quo Proverb. pertinet ex Ennii versu:

Dum clavum rectum teneam.

Fortiter etiam Iustinus Imp. ad Senatum, referente Corippo:

Qui pedibus rectis graditur, mala nulla veretur,
Non timet offensam, nescit via recta ruinam.

Sed omnium mehercle magnanimitatem Germanorum legati illi superarunt, qui interroganti Alexandro: Et quidnam in rebus humanis extimescerent, rato nominis sui magnitudinem ante omnia ipsis formidolosam videri, responderunt, Nihil se metuere, nisi fortè, ne cælum rueret. Vt refert auctor supplementi in Q. Curtium, hauriens ea ex Strabonis lib. VII. *& Arriano de Alexandro.*

CONTE-

CONTEMNIT TVTA PROCELLAS.



Fluctibus en mediis lascivit florida Siren,
Hanc mare, sed fortem sors inimica beat.

INTER ἀμφίβια, quibus, ut Florus loquitur, aquam terramq; incolendi gemina natura est, omnium max. & monstrosiss. est Hippopotamus, Nili & Hydaspis fluviorum Aegyptii & Indiæ alumnus, cuius Herodot. Horapoll. Aelianus, Strabo, Q. Curtius, Solinus, aliiq; mentionem faciunt. Ejus descriptio extat apud Arist. II. hist. an. VII. Sed inprimis graphica est Ach. Tatii lib. IV. Nili, inquit, equum Aegyptii appellant, reveraq; & ventre, & pedibus, sicuti fama fert, equus est, nisi quod scissas ungulas habet. Corporis magnitudine max. quemq; bovem æquiparat. Cauda ei brevis est, & pilorum asperitate, quemadmodum corpus etiam reliquum, carens. Caput rotundum, non parvum: maxillæ ferè equinæ, nares perquam patulæ, ac ignitum fumum tãquam ignis scaturigines quædam, spirantes: mentum latum, quemadmodum etiam maxillæ: oris hiatus ad tempora usq; protensus: dentes qui canini vocitantur, curui, forma & situ equinis similes, verum triplo majores. Effigies ejus est cum in antiquo numo Adriani ad Nili imaginem addita: tum in marmoribus etiam quibusdam vetustis. Voraciss. autem est animal, ut totas etiam segetes depascat, ut apud Aelian. & Nonn. in Dionys. lib. XXVI. memoratur. Hinc sanguine se gravatum sentiens, in arundinum cæsuras & acutiss. stipites corpus inprimens, venas discindit, & sic morbum præcavet, plane ut artis in venæ sectione magister videri possit: ut Plinius innuit. Sed paulo aliter Am. Marcellin. lib. XXII. ista commemorat. Constat autem non in arte Medica solum, curationem progredi ex contrariis, ut ex innumeris Hippocr. & Galeni locis liquet, cum quidem sit medicina πρόσθεσις ἐλλειπόντων, καὶ ἀφαίρεσις τῶν ὑπερβαλλόντων: Sed in omni etiam vita, & max. in Reb. pub. locum hoc habere, in quib. ut seditiones & morbi intestini evitentur, sæpè purgatione violenta, ac veluti sanguinis superflui quadam eductione opus est.

CON-

LXV.

CONTRARIA PROSVNT.



Et fluvialis equus corpus cum ſanguine purgat,
Purgatur cæſis publica resque malis.

DE Crocodilo, terrestri simul animali & aquatili, nonnulla jam in II. *Cent. circa fin. dicta sunt. Qui verò accuratam illius historiam plenè cognoscere cupit, is legere poterit Herodot. lib.* VI. *Aristot.* IX. *hist. an. cap.* VI. *Diodor. Siculum lib.* I. *Achill. Tatium lib.* V. *in fin. de Clitoph. & Leucipp. Heliodorum in Aeth. Solinum cap.* XXXV. *Plinium lib.* VIII. *cap.* XXV. *& Ammian. Marcellinum lib.* XXII. *Et Herodotus quidem ac Strabo urbis etiā Crocodilopoleωs meminere. Inter alias hæc Crocodilo esse proprietas fertur, ut quamdiu vivit, crescat. Vivit autem longiss. tempore, ut Plinius scribit, quamvis Plutarch.* περὶ ἰσιδ. κ̀ ὀσιρ. LX. *annorum spacium non excedere eum asserat. Problema autem, an semper crescat Crocodilus, & quæ sit eius rei caussa* φυσικὴ, *Magnus ille Scaliger in exerc. ad Cardan. enucleat. Ex eo sane Nobilis vir, Bernhard. Rota Neapolitan. dolorem ob amissam conjugem suum perinde crescere ac augeri, quamdiu vivat, hac Crocodili effigie exprimere voluit, teste Scip. Amirato in Dial. Italico de Impresis. Quo referendi sunt Ovid. elegantiss. versus* II. *Trist.* V.

Mens tamen ægra manet, nec tempore robora sumit,
 Affectusque animi qui fuit ante manet.
Quæque mora spatioque suo coitura putavi
 Vulnera, non aliter, quam modo facta, dolent.
Scilicet exiguis prodest annosa vetustas,
 Grandibus accedunt tempore damna malis.

Præclarè etiam Cicero disputat III. *Tusc. ægritudinis ex vetustate levationem non in die esse positam, sed cogitationem diuturnam, nihil esse in re mali, mederi dolori. Hæc igitur ubi abest, frustra in tempore quæritur remedium. Sic Arthemisia illa Mausoli Cariæ Regis uxor, quæ nobile illud Halicarnaßi fecit sepulcrum, quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemq; etiam confecta contabuit.*

CVM TEMPORE CRESCIT.



Noster sæpè dolor pariter cum tempore crescit,
Non secus ac Nili bellua vasta solet.

CROCODILVS *quadrupes ad Nilum malum, ut Plinius loquitur, tanto hiatu est, ut integram buculam possit excipere. Non igitur mirum, si homines quoque devoret. Sed hoc cum facit, plorare scribitur, de quo videatur Adag.* Crocodili lacrimæ. *Verum ut rarus, ita memorabilis est de hac re locus apud Photium in Eclogis Asterii Amaseæ Episcopi:* τοὺς νειλώους κροκοδείλους μιμεῖσθε, οὕς φασι ταῖς κεφαλαῖς ἐπιθρηνεῖν τῶν ἀνθρώπων, ὧν ἔφαγον, καὶ δακρύειν ἐπὶ τοῖς λειψάνοις τῶν φόνων: οὐ μετάνοιαν τῶν γεγενημένων λαμβάνοντας, ἀλλὰ τὸ ἄσαρκον τῆς κεφαλῆς (ἐμοὶ δοκεῖν) ὀδυρομένους, ὡς εἰς βρῶσιν οὐκ ἐπιτηδείων: *Niloticorum Crocodilorum imitatores estis, quos fama deflere hominum capita, postquam eos devorarunt, & illacrimari cæsorum reliquiis: non quod pœnitentia facti aliqua afficiantur: sed quod ita doleant (quantum mihi videtur) ob capitis macilentiam, quasi quod ad vescendum minimè sit idoneum. Vsus autem fuit hoc symbolo Sigismundus Gonzaga Cardinalis, postquam evecto sua quoque opera ad Pontificatum Leone X. ejus postea ipsum pœnituit, cum adjectione Proverb.* CROCODILI LACRIMÆ, *testante Iovio. Tales fuerunt Baßiani Imp. lacrimæ, quas ficta pietate semper promere solitus est, ut Ael. Spartianus refert, quoties aut mentio incideret, aut imagines conspiceret Getæ fratris, qui tamen ejus jussu fuerat interfectus. Talem etiam describit peßimam illam novercam Demænetam Heliodorus in Aeth. ejulãtem nimirum super Cnemone privigno, quem tamẽ ipsa suis calumniis ibat perditum. Tales sunt etiam nostro tempore hei nimis multi, qui licet ex intimo corde lætentur miseriis nostris, ficto tamen vultu & sermone, dolore se mutuo affici simulant.*

DEVO-

LXVII.

DEVORAT, ET PLORAT.



Non equidem ambigui dictis mihi fidere amici,
Certum est, ut lacrymis nec Crocodile tuis.

INTER ἀμφίβια vitulus quoque marinus est. Nam in mari & terra degit, adeo ut Iul. Cæsar. Scalig. in Exerc. ad Cardanum testetur, se in Illyrio vitulum marinum vidisse vineas populantem. Somniculosum maximè est animal, quod præter Plinium aliosque Martialis etiam attingit hoc versu:

Dormitis nimium glires vituliq; marini.

Dormit autem extra aquam, sæpè super saxa, ut Oppian. & ex Homero Aelianus asserunt, & quidem turbato licet mari, securißimè. Huius enim fluctus altißimo somno oppressus nequaquam sentit, fulminib. verò solum ex omnib. marinis non tangi Plinius & Plutarch. auctores sunt, quod tamen vanitatis arguit Brodæus III. Misc. II. Sed Pierius etiam docet in hieroglyph. Aegyptios hominem contra omnia pericula, max. contra potentiorum vim, tuto se præmunientem significantes, marini vituli pelle indutum pinxisse, quod eam fulminis ictum nõ admittere observatum, & Principum iras fulminum instar esse ex Poëtis notum sit. Augustum certè illa pelle pro ἀποτρόπαιῳ fulminis usum, à Sueton. in eius vita: & de Severo Imp. refertur, quod eadem superstitione lecticam suam corio illius tegi curaverit. De Tiberii etiam corona laurea contra fulgura videndum est Embl. XXXV. Cent. I. Viri autem in utraque fortuna recti & constantis effigiem hoc Embl. subjicit. quo pertinent Horatii illa, adscripta Embl. XI. Cent. I. ex Ode:

Iustum & tenacem propositi virum, &c.

Cui planè similia Chorus apud Senecam in Thyest. post act. II. concinit. Igitur, secundum Boet. lib. II. de cons. phil.

Quamvis tonet ruinis
Miscens æquora ventus,
Tu conditus quieti
Felix robore valli,
Duces serenus ævum,
Ridens ætheris iras.

SECVRE.



Nec pelagi fluctus, nec cœli fulgura curo,
Frangitur haud fortis sorte in acerba animus.

EX amphibiis & Salamandra est. Eam non tantum non consumi igne, sed flammam etiam extinguere rigore suo, plerique veterum affirmant, Aristot. Suidas, Nicander, Nazianzen. paran. ad Virg. Aelian. Plinius & Q. Serenus Sammonicus. Quamvis autem contra disputent Dioscorides, & Brodaeus III. Misc. III. Galeni auctoritatem adducat, ipse tamen Galenus vel de mortua Salamandra agit, vel hoc sentit, non aliter eam igni succũbere, quam si nimis diu in illo moretur. Certè autẽ non esse fabulosam hanc ignis extinctionẽ, quae Salamandrae tribuitur, etiã Magnus ille Scaliger ex Olympiodoro convincit. Nobis ad hoc Emblema occasionẽ praebuit Greg. Nazianzeni locus in vita Basilii M. in quo Salamandram Constantiae iconẽ faciens, se & Basiliũ in Athenarũ δεισιδαιμονίᾳ salvos & sanos esse conservatos gloriatur. Verba ejus sunt: καὶ εἴτις ἐστὶν ἢ πιστεύεται ποταμὸς, δι' ἅλμης ῥέων γλυκὺς, ἢ ζῶον ἐν πυρὶ σκαῖρον, (Salamandram intelligi patet ex ejus paran. ad Virg. vers. CCCCCLXXX.) ᾧ τὰ πάντα ἁλίσκεται, τοῦτο ἦμεν ἡμεῖς ἐν πᾶσι τοῖς ἥλιξι: Et si quis est aut esse creditur fluvius, dulcedinem suam in salso mari retinens, aut animal in igne saliens, à quo cuncta domantur, id scilicet ego & Basilius eramus inter omnes aequales nostros. Quidã Salamandram in igne etiam nutriri volunt. unde Chymistae ex Avicenna lapidem suum philosophicum hoc typo exprimunt. Et hoc sensu Salamandrã igneam Francisco I. Regi Gall. in usu fuisse Cl. Paradinus innuit, cum dicto Italico: NVDRISCO IL BVONO, ET SPENGO IL REO. Nobis cum Salamandra constantiae, ignis certa sinceritatis effigies sit, placet Opt. Max. Herois & Principis, Io. Casimiri Palatini solemne scitum, huic picturae noviter applicuisse.

CAN-

CANDIDE ET SYNCERE.



Ambulat en medios Salamandra illæsa per ignes,
Nempe illæsa manet semper & integritas.

SALAMANDRÆ *aquatilis figuram veram exprimi studuimus, cum falsa sit Matthioli, & bestiola illa à multis cum Corylo & Scinco ferè confundatur. Sed nec hîc sculptor omne punctum tulit. Lacertum (cujus speciem Theophrastus eam videtur facere) refert propemodum corporis specie, caput maculis albis refertum habet, & in dorso pinnulam rectam per totum, oris rictum ranæ similem, caudam, ut in Cobitide fluviatili vel potius in anguilla cernimus, nonnihil latam. Degit in fluminibus & stagnorũ ripis, & per fulgetra & tempestates caput exerit. Hinc Plinius scribit, nunquam nisi magnis imbribus provenire, & serenitate deficere. Eodem plane modo obscuri sapè homines, & quibus si in pace domi vivendum esset, ne panis quidem ad victum suppeteret, per tumultus & bella emergunt, & ad max. cum opes tum dignitates perveniunt. Non meminerunt illi, rem esse, ut Synesius dicit in Orat. de Regno, multo beatiorem pacem, quam bellum, quippe cum pacis caussa bellici etiã apparatus fiant. Bellum igitur, ut de Hispaniæ populis Iustinus inquit, quam otium malunt: Si extraneus deest, domi hostem quærunt. Omnium autem graviss. est Nestoris illa apud Hom. ιλ. ι. obliquè tam in Achillem, quam Agamemnonem exprobratio:*

> ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
> Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος:
> Sine cognatione, injustus, sine domo est ille,
> Qui bellum intestinum amat asperum.

Quam laudat Aristoph. εἰρήνῃ, *Aristot.* πολ. α. *& expressit Cicero* XIII. *Philipp. Ad Emblematis autem meliorem intellectum facit etiam Adag.* In seditione vel Androclides belli ducẽ agit: *Quod Erasmus in rixosos Theologos, qui tantum* ἐριστικοῖς *suis scriptis clarescere, & ex rebus ubiq; perturbatis ditescere cupiunt, rectissimè accommodat. Iunge cum hoc Embl.* XLV.

COELO

COELO TVRBATO ALACRIOR.



Sunt pluviæ mihi vita, necem sed Sirius affert;
In pace & languent, quos fera bella fovent.

SOLEBANT *veteres in anulis signatoriis peculiaria quædam signa usurpare: quemadmodum Syllam Dict. Iugurtha captivi traditione: Pompeiū leone ensifero: Augustum primum Sphinge, postea Alexandri M. tandem sua imagine, signasse scribunt Sueton. Plin. Plutarch. & plura ejus generis collegit Alex. ab Alexandro,* II. *Gen. dier.* XIX. *Mæcenatis autem Rana inprimis celebris fuit, teste Plinio. Sunt qui putent, ob silentii fidem, quæ in Mæcenate insignis fuerit, Ranam Seriphiam ipsi placuisse, quod, ut Suidas & Plinius litteris prodiderunt, in Seripho insula ranæ mutæ sint, ut Aelian. tangit, ex Persei voto. Theophrast. aquæ frigiditati caussam ascribit, ut & Theophyl. Simocat. in Quæst. phys. Sane Mæcenatis suitaciturnitatem Horat. quoq; commendare videtur, cum negat illum de aliis secum colloqui:* Quam quæ rimosa benè deponuntur in aure. *Quanquam Suetonius scribit, desiderasse nonnunquam Augustum Mæcenatis fidem silentii, quod is secretum de comperta Murenæ conjuratione uxori Terentiæ prodidisset. Quidam quod Augustus omne terræ marisq; imperium cum Mæcenate communicasset, ut Dion auctor est, hoc signo illum fuisse usum censent: Et certè Plinius affirmat, Ranam Mæcenatis propter collationes pecuniarum in magno terrore fuisse. Non igitur Seriphia illa aut muta fuit, cum & gemitus tot gentibus expresserit. Neq; vero hæc conjectura prorsus inepta videtur, moto, ut Seneca ait, ex nimia felicitate Mæcenati capite, ut procul dubio animo etiam fuerit elatiori, quod in omnibus & per omnia absentis Cæsaris partibus fungeretur. Etsi autem vile admodum & contemptum animal est Rana: in hieroglyphicis tamen plurimus illius fuit usus, ut apud Pierium & Horapollinem, qui volet, reperiet. Claud. quidem Paradinus in Symb. heroicis in priorem illam partem inclinat. Sed suum cuiq; sit judicium.*

MIHI TERRA LACVSQVE.



Arbitrii jurisque mei sunt terra lacusque,
An non vel magno principe sum potior?

AELIANVS I. *Var. hist.* III. *memoriæ prodidit, miram esse vafritiem Ranarum Aegyptiarũ, quarum si quæ fortè in Hydrum, anguem, Nili alumnum incidat, subito arundinis frustrum arreptum, ac ore transversum mordicus apprehendens, nequaquam remittat. Hydrum igitur Ranam cum festuca illa simul deglutire minimè posse, atq; ita illam esse extra periculum, vincereque hanc Ranæ prudentiam, Hydrorum robur. Similem Chamæleontis astum adversus serpentem idem Aelianus refert ex Alexãdro Myridio* IV. *de an.* XXXIII. *Sic videlicet ex Corœbi Virgiliani sententia:* dolus an virtus, quis in hoste requirat? *Quod simile est illi Pindarico:* χρὴ δὲ πᾶν ἔρδοντ᾽ ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν: Decet omnia agere in hostis exitium. *Etsi autem de his, benè ne dicta sint, an secus, viri docti, & in his princeps ille Scaliger, de re poët. nisi fallor, disputant: certè solertia ingenii culpari nequaquam poterit, cum sæpè aliter qui est imbecillior, contra potentiorem tueri se nequeat. Sed de omni dolorum genere in hostes, & quatenus illi liceant, copiosè tractat Alb. Gentilis De Iure belli, ubi testimonia auctorum quamplurima cumulat. Hoc quidem Symb. nostrum Lucas Contilis scribit sibi elegisse Polydamum Mainum, Academicum Ticinensem, qui fuit ex familia celeberrimi Iurisconsulti Iasonis Maini, quo indicare voluerit, nunquam sibi fuisse animum offendendi alios, sed tantum necessitate urgente sese legitimis modis defendendi. Fuerat autem insidiis occultisq; machinationibus potẽtum quorũdam continuis sæpè petitus, à quibus tamen candore morum, & laudabilium actionum exercitatione in rebus publicis privatisq́; se ipsum vindicavit, ac securum præstitit. Sic videlicet secundum Pythagoræ versum:*

ἰσχὺς καὶ τεῖχος καὶ ὅπλον σοφοῦ ἡ φρόνησις:
Robur & murum & arma sapienti prudentia præstat.

VIR-

LXXII.

VIRTVTE, NON VI.



Infensum justa est omnis defensio in hostem,
Sæpè tamen potius viribus ingenium est.

RANA Græcis βάτραχος, quasi ὁ τῇ βοῇ τραχὺς dicitur, ut Schol. Theocr. observavit. τὸ γὰρ μέλος οὐ καλὸν ᾄδει, ut Moschus Idyll. III. innuit. Certè Ranarum nocturnam illam & molestam coaxationem, fulgentis lampadis splendore illis repentè objecto reprimi, cunctasq; ilico, utpote quibus oculos inopinatus fulgor præstrinxit, conticescere, experientia ostendit. In S. quidem litteris Ranæ, utpote immunda animalia & loquacia, pseudophrophetas significant, Apoc. XVI. Aegyptiis inter alia ἱερογλυφικὰ Ranæ Sophistarum nugas, & contorta aculeataq; Sophismata, ut Cicero loquitur, exprimunt, sive ob vocis tantum argutiam, sive quod in cœno Ranæ voluptuosè habitent. Quod utrumq; in Sophistas congruit. Nam & his loquentiæ multum, sapientiæ parum, secundum Sallustium, & omnis ad theatricam pompam & inanem ostentationem actio ipsorum est composita, ut vivis illos coloribus describit Plato in Sophista. Ut igitur Ranæ face noctu accensa obmutescere coguntur: Sic Sophistis etiam detectis ipsorum argutiis, & resolutis fallaciarum strophis irrefragabili veritatis luce tandem adeo os oculiq; confunduntur, ut omnibus sincerè judicantibus sint ludibrio pariter & odio. Vetus est:

ψευδόμενος οὐδεὶς λανθάνει πολλὸν χρόνον:

Nunquam mendax diu latet.

Quod pulcrè expreßit B. Chrysost. Οὐδεμίας δεῖται βοηθείας ἡ τῆς ἀληθείας ἰσχύς. ἀλλὰ κἂν μυρίους ἔχει τοὺς σβεννύντας αὐτὴν, οὐ μόνον οὐκ ἀφανίζεται, ἀλλὰ καὶ δι' αὐτῶν τῶν ἐπηρεάζειν ἐπιχειρούντων, φαιδροτέρα καὶ ὑψηλοτέρα αὖ εἴη τῶν εἰκῇ κοπτόντων ἑαυτοὺς καταγελῶσα: Nullo eget auxilio veritatis vis. Quin etiamsi infiniti ipsam velint extinguere, non modo non obscuratur, verum etiam per eos ipsos, qui incommodare conantur, illustrior & excelsior redditur, illos frustra se torquentes deridens. Iunge Embl. LIII. hujus IV. Cent.

PEL-

LXXIII.

PELLIT MENDACIA VERVM.



Lumine perculsæ cessant maledicere ranæ,
Et victus veri luce Sophista tacet.

HIRUDINES *ſive ſanguiſugæ, Græcis* βδέλλαι, παρὰ τὸ βδάλλειν, ὅ ἐστιν ἐξαμέλγειν τὸ αἷμα, *à ſugendo & emulgendo ſanguinem, ut Scholiaſtes Theocriti habet, tàm ad aquatilia, quàm ad reptilia referri poſſunt. Nam & in aquis degunt, & veluti vermes corpus agglomerando humi ſerpunt. unde eas Oppian.* II. ἁλ. κυανόχροα λίμνης ἑρπετὰ *vocat, nigra ſtagni reptilia. Sanguinem calidum tam avidè exſugunt, ut etiamſi illis in corporibus animalium hærentibus cauda præcidatur, atque inde ſanguis veluti per canalem effluat, ſugere tamen porro non deſinant, donec vel artificio certo removeantur, vel tandem languidæ dehiſcant. Quod Horat. in arte Poëtica expreſſit:*

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Quem verſum egregiè expreſſit Oppianus dicto lib. II. ἁλιευτ. *Verum inſatiabilem hanc ſanguinis cupiditatem ſymbolicè ad varia transferre licebit. Quavis enim hirudine tenaciores & crudeliores ſunt libidinoſæ feminæ, quo Plautini juvenis de ſua amica querela pertinet in Curcul.* Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinẽ. *Et de Amoris vi Simæthæ illa apud Theocr.*

Αἲ αἲ ἔρως ἀνιηρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

Heu crudelis amor, quid inhærens oſſibus omnem
Sanguinis humorem bibis ut fluvialis hirudo?

ut Eob. Heſſus vertit. Pertinet huc etiam locus Salomon. Proverb. XXX. *Sanguiſugæ ſunt duæ filiæ, dicentes, Affer, affer, & quæ ibi ſequũtur exempla, max. de inferno, & natura mulieris. Quæ rectè Rodolph. Baynus Cantabrigens. licet ad enormes effræneſq; concupiſcentias, quæ nunquam explentur, in genere referri queant, duplici tamen metaphora de concupiſcentia carnis conjunctim interpretatur. Nam, ut idem Salom. inquit Proverb.* V. *Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus ejus penetrãt. Poterit etiam uſurpari de cruentis illis tyrannis, qui quo plus ſanguinis fundunt, eo plus ſanguinis ſitiunt.*

VIX IMIS SATIAN-DA MEDVLLIS.



Nunquam, plena licet, satiatur sanguine hirudo:
Sic succo atq; omni sanguine privat amor.

PAVSANIAS *in Corinthiacis describit paludē Lernam, & addit: Ad Amymones fontem platanus exsurgit; sub ea Hydram educatam narrant. Equidem facilè adducor, belluam illam tum multo maximam ceterarum fuisse, tum vero tam insuperabili veneno, ut ejus felle spicula sagittarum Hercules infecerit. Caput vero, ut ego opinor, unicum & non plura habuit. At Pisander Camirensis, quo & fera terribilior, & carmina sua plus dignitatis haberent, pro uno illi plura capita dedit. Hæc Pausan. Sed Naucrates quidem Erythræus septem, Zenodotus Ephesius novem, Heraclides Ponticus* L. *capita illi tribuit: quæ quoties unum illorum cædebatur, priorum numerus duplicabatur continuo. Hoc igitur monstrum Iolai auriga opera Hercules, licet Hydræ Cancer ingens opem tulisset, perdomuit, ipso etiam Cancro conculcato fortiter. Plato sane in Euthydemo per Hydram & Cancrum callidißimos Sophistas intelligit, quos viri docti & veritatis amantes, utut illi invicti videri cupiant, instar alicujus Herculis retundere ac superare soleant. Alii, cum ex uno scelere plura serpant, non secus ac ex hydræ uno capite abscisso plura renascebantur, Herculem uno tempore omnia ejus capita extinxisse putant, id est, Virtute & Temperantia cuncta vitia repulisse. Quo & Horatii illa* II. *Epist.* II. *referri possunt ac debent, ad quæ alludit nostrum distichon. Alii ad laboriosas & nimis intricatas lites non minus concinnè transtulerunt, cū dicto:* SPES ÆGRA SALVTIS. *Quod & Proverbio significari posset:* ὕδραν τέμνεις, hydram secas. *Quidam dolorem cū tempore usque veluti renascentem hoc symbolo exprimere studuerunt, cum inscriptione:* NON SECVS VSQVE DOLOR. *Quo repete Embl.* LXVI. *hac Cent. supra, & adde ex Seneca Thyeste:*

malorum sensus accrescit die:
Leve est miserias ferre: perferre grave.

LXXV.

VIX HERCVLES,



Exemplo tibi sit diram qui contudit hydram,
Sternere lativagam qui cupis invidiam.

REFERENDUM *huc est Græcum Proverbium* Ὄφις εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται: *Serpēs ni edat serpentem, draco non fiet. Et hoc quidem Icone ab Aegyptiis Regem, qui multos alios debellasset & consumsisset, significatum fuisse scribit Pierius, nec minus recte nos de tyrannis usurpare possumus qui aliorum exitio accrescere student. Pertinet huc insignis apud Polyb. lib.* XV. *locus ille:* τὸν λεγόμενον τῶν ἰχθύων βίον, ἐν οἷς φασὶν ὁμοφύλοις οὖσι τοῦ μείονος ἀπώλειαν τῷ μείζονι τροφὴν γίνεσθαι καὶ βίον: Piscium vita, *proverbio nota, inter quos tametsi congeneres minoris exitium à validiore in escam, qua vitam trahat, convertitur. Quo & Varron. illud in Margopoli, referente Nonio, facit:*

Qui pote plus, urget: pisces ut sæpè minutos
Magnus comest: *ut* aves enecat accipiter.

Pulcrè itaq; Irenæus lib. V. *adversus hæreses Valentini: Ad utilitatem, inquit, gentilium terrenum regnum positum est à Deo, ut timentes regnum humanum non se alterutrum homines vice piscium consumant: Sed per legum positiones repercutiant multiplicem gentilium injustitiam. Quo etiam referenda sunt, quæ copiosè in eandem ferè sententiam disserunt Basilius M. hom.* VII. *in Hexaem. & B. Ambros. lib.* V. *Hexaem. cap.* V. *Paradinus addit:* VNIVS COMPENDIVM, ALTERIVS DISPENDIVM. *Nam injusti & iniqui homines cum pauperum ruina ditescunt, & illorum veluti esca se saginant. unde quidam ascribunt:* ALTERIVS ME PRÆDA SAGINAT. *Nostra inscriptio est ex hoc Senecæ versu in Hippol.*

Factus præda majori minor: Pro jure vires esse.

PRÆ-

PRÆDA MINOR MAIORI.



Majoris minor esca feræ, velut esca Dracones
Serpens. Ergo potens opprimit innocuos.

DE Draconis & Aquilæ cruenta pugna locus est apud Homer. ιλ. μ. quem Cicero vertit in Mario, ex quo ejus versus referuntur lib. de Divinat. elegantissimi:

Hic Iovis altisoni subito pennata satelles
Arboris è trunco serpentis saucia morsu &c.

Imitatus etiam est Homerum Virg. XI. *Aen. ibi:*

Vtque volans altè raptum cum fulva Draconem
Fert aquila, &c.

Plinius ancipitem Aquilæ & Draconis in aëre conflictum esse scribit, ita ut sæpè simul decidant. Tangit idem breviter Plutarch. quoque, Comm. περὶ φθόνου καὶ μίσους. *Est autem hæc imago mutuo se Marte conficientium, qualis ferè conflictatio potentiorum inter se belligerantium esse solet, maximè in bellis civilibus, ut Pompeji & Cæsaris congressus docere possunt. Vnde Proverb. ex Sibyllæ Erythrææ vaticinio natum:*

κλαίει ὁ νικηθεὶς, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλεν:
Flet victus, sed victorem mors atra peremit.

Sic videlicet, ut in Pace Aristoph. ait:

Καὶ πίθος πληγεὶς ὑπ' ὀργῆς ἀντελάκτισεν πίθῳ:
Ac recalcitrans per iram testa testam vulnerat.

Qua de re vide Proverb. Testa collisa testæ. *Et alterum:* Cadmea victoria, *ipsis scilicet victoribus haud felix, cujusmodi Græcorum fuit, quorum nulli non magno constitit capta tandem Troja. Argutè, sed verè Pyrrhus Epiri Rex, cum duobus præliis vicisset Romanos, multosque amicorum & ducum amisisset, si adhuc semel, inquit, Romanos vincemus, actum est de nobis. Agesilaus etiam cum ad Corinthum Lacedæmonii vicissent Athenienses, multitudine occisorum audita exclamavit: O infelicem Græciam, quæ tantum hominum ipsa sibi interemit, quantum satis erat ad universos vincendum barbaros! Vtrumque refert Plutarch. in apophth. Paradinus ex Claudiano addit:*

VT LAPSV GRAVIORE RVANT. VICTOR

VICTOR VTERQVE CADIT.



Victor uterq; cadit. proh quàm victoria acerba est,
Cum trahit in præceps una ruina duos!

NOTA *est fabula de Hesperidum hortis, quorum custos fuerit Draco pervigil, aurea mala vigilantiss. asservans, quem interfecerit Hercules. Vnde hodieq; Romæ in Capitolio Herculis pulcerr. ex ære statua, clava insignis, lævaq; tria mala ostentans, visitur: quam rem mythologicè Pierius explicat lib.* LIV. *Mala quidem illa Agrætas in rebus Libycis, eumq; secutus Varro, oves fuisse tradit, quæ aureæ cognominarentur; quas Hercules ex Africa in Græciam asportaverit. Quidam rerum astronomicarum peritiam ab Hercule in Græciam relatam: nonnulli etiam venas auro copiosas ex Atlante monte fluentes, quas Hercules occupaverit, per mala illa significatas fuisse volunt. Draco sane ab antiquis etiam thesaurorum custodiis præficitur, ut ex Festo liquet, & Artemid.* I. *Onirocr.* XIII. *Et Proverb. vice est apud Cicer.* XIII. *Philipp.* Quasi thesaurum Draco. *Fulgentius singula mala, quorum fuère quatuor, mythologicè pro studio, intellectu, memoria & facundia accipit. Natalis Comes in avaros pecuniis ferè immorientes detorquet. Quo referenda est elegantiss. Phædri Aug. Lib. fabula de Vulpe & Dracone, lib.* V. *& Horatii increpatio lib.* I. *Sat.* I. *Nos per Draconem, perspicaciss. animal, vim animi indagatricem & θεωρητικὴν, per arborē malis aureis fulgentem philosophiam, & illum scientiarum Orbem, quovis auro pulcriorem & pretiosiorem intelligimus: quē mens sapientiæ cupida, perpetua vigilantia & studio indefesso sectatur, tuetur ac custodit. Nam, ut præclarè Cassius Parmensis in Orpheo,* nocturno ex somnis olivo

Immoritur,

Qui cupit optatæ donari frondis honore.

Accommodari ista sic quoq; possunt, ut significent, diligentiss. custodienda esse, quæ nobis elargitus est Deus, dona, ne ob ignaviam nostram ea nobis rursum auferat.

SACROS CVSTODIT IN ARBORE FRVCTVS.



Aurea ceu vigili servabam mala labore,
Tu quoque sic serva cœlica dona tibi.

BASILISCVM *in rerum natura unquam fuisse, fabulosum pleriq; putant. Vnde Franciscum I. Reg. Gall. ejus quidem vulgo recepta effigie usum fuisse scribunt, sed cum dicto:* TV NOMINE TANTVM. *Rem tamen nō pauci affirmant, Nicander, Lucanus, Plinius, Solinus, Scaliger, & Mercurialis, qui in Imp. Maximiliani thesauris Basilisci cadaver se vidisse testatur. Basilisci etiam venenum tollunt Galenus, Aetius, & Erasistratus, auctore Dioscoride. De generatione Basilisci vulgi opinio fabulosa procul dubio, veluti Albertus M. demonstrat, ut canora de ea sint nugæ Læv. Lemnii. Afflatum ejus omni animali exitialem tradunt. Quod cur adeo mirum sit, cum Thebiorum ad Pontum gentem adeo hominibus pestilentem esse ex Philarcho Plutarch. in Symp. scribat, ut illorum obtutum, anhelitum aut loquelam, qui sustinuerint, tabescant paulatim ac pereant? Sed experimenti illius, ut basiliscum, si in speculo objecto se ipsum intuitus fuerit, interire viderit, quis auctor est? Et hoc tamen in ore omnium. Igitur tanto magis Symbolicum, ut allegat Ant. Ricciardus in Comm. Symb. tribuens hanc inventionem Io. Bapt. Pittono. Eodem enim modo homines exitiosi aliis, tandem malitia sua se ipsos quoq; conficiunt. Notus enim est versus:*

οἷα τ' ἀνὴρ ῥέξῃ, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει:

Qualia quisque egit, tali quoque fine petitur.

Graviss. Seneca: Sunt Dii immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani, & magna exempla in caput inveniētium regesserunt: ut justiss. patiendi vice, quod quisq; alieno excogitavit supplicio, sæpè excipiat suo. Aegyptios hominem à calumniatoribus objectū periculis Basilisci, etiam sine morsu extinguentis, pictura expressisse Pierius indicat. Alii addunt: POENA SIBI IMPROBITAS.

NOXA

LXXIX.

NOXA NOCENTI.



Improbitas solet esse sibi justissima merces,
Auctor es interitus sic Basilisce tibi.

INTER

INTER *omnia, quæ Regũ exactionem ex urbe Roma præcesserunt, Livius hoc etiam commemorat, anguem ex columna lignea elapsum, non fugam tãtum in regiam, sed Tarquinium etiam Superbum valdè anxium fecisse. Quod in L. Brutum accuratè convenit. Sed longè aliter simile ferè prodigium accepit L. Sylla, qui Consul in Sociali bello, cum in agro Nolano ante prætorium immolaret, subito ab una parte aræ prolapsam anguem conspexit: qua visa Posthumi aruspicis hortatu continuo militem eduxit, ac fortiss. Samnitum castra cepit: fuitq; hæc victoria fundamentum potentiæ ac felicitatis Syllanæ, ut Val. Max. auctor est. Sic diu ante apud Homer.* ιλ.β. *Græci apud Aulidem omen quidem futuri decennalis belli, sed certæ victoriæ ex serpente, qui ex ara prosiliens aviculam matrem cum octo pullis consumpsit, collegerunt: quem Homeri locum elegantiss. latinis versibus expressit Cicer.* II. *de divin. & eum imitatus Virgil.* V. *Aen. per anguem septem gyris contortũ, septennalem Aeneæ errorem innuere voluit, quemadmodum exponit Servius. Sic alias in ostentis, angue aut summa nominis dignitas, aut regia potestas portendebatur. Nota enim sunt, quæ Cic.* I. *de Divinat. de Roscio Com. in hanc rem affert: Et præter Herculis exemplũ, Severi & Aureliani Impp. & alia plura. Vsum autem hoc symbolo scilicet Ammiratus scribit Ducẽ Seminariæ in Regno Neapolit. cum hac Inscriptione nostra: qua demonstraverit, sibi Regi suo contra Rom. Pontificem, merenti, nullo omine aut augurio alio opus esse: sed unicum sinceræ Fidei & Virtutis studiũ sufficere. Præclarè igitur Q. Fabius Max. (ut Cic. refert de Senect.) dicere ausus est, optimis auspiciis ea geri, quæ pro salute Reip. fierent; quæ contra Remp. ferrentur, contra auspicia ferri. Vt enim insigniter dicit Hector apud Homer.* ιλ.μ.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης:

Vna avis optima, pro patria pugnare tuenda. VEL-

VELLE MONSTRAT ITER.



Tutum monſtrat iter virtus. cur anxius anceps
Augurium expectas, ſi voluiſſe ſat eſt?

IN *omnium ore sunt* τὰ πάνδημα ἐκεῖνα τοῦ Ἡσιόδου περὶ τῆς ἀρετῆς ἔπη, *ut Lucianus ait in Necyomant. quæ & alibi in his Centuriis adducuntur, & vertit Erasmus Adag.* Difficilia quæ pulcra. *Laudant Cicero, Xenophon, & ante oculos habuit Amm. Marcellinus lib.* XIV. *& alii. Certè cum Obeliscus, cujus hîc figuram repræsentamus, admodum acclivis, & serpens natura inprimis glaber ac lævis sit, fieri vix potest, ut in summum ejus cacumen perrepere possit. Qui igitur virtutis difficile & periculosum iter exprimere velit, fortassis haud absurdè hoc symbolo uti poterit: Simulq; innuere, non facile pervenire ad Honoris & Gloriæ fastigium, qui nimis timidè omnia explorat, & trepidè resilit. Nam, ut pulcrè Theoctistus ait:* Φεύγειν δεῖ πάντα τρόπον τὰς σκολιὰς, καὶ πρανεῖς. τὰς δὲ ἀποτόμους καὶ ὀρθίους τρίβους ἀσπάζεσθαι: *Obliquæ & declives viæ modis omnibus fugiendæ sunt: abruptæ autem & rectæ sursum ferentes complectendæ. Et ut Symmachus dixit* IX. *Ep.* LXXXIV. *Virtus durioribus negotiis nitescit, & aspernatur declivem facilitatem, maximoq; sudore arduum laudis annititur. Eleganter etiam Seneca in Epist. ad Lucilium: Ad honesta nitentes, quanto magis incubuerint, minusq; sibi vinci ac strigare permiserint, admirabor & clamabo, Tanto melior surge & respira: & clivum istum, uno si potes, spiritu exupera. Generosos animos labor nutrit. Et paulo post: Animi est ipsa tolerantia, quæ se ad dura & aspera hortatur, & dicit: Quid cessas? non est viri, timere sudorem. Xenophon quidem* II. ἀπομν. *ubi Hesiodea illa adducit, hanc pulcerr.* γνώμην *præmittit:* Διὰ καρτερίας ἐπιμέλειαι τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἔργων ἐξικνεῖσθαι ποιοῦσιν, ὥς φασιν οἱ ἀγαθοὶ ἄνδρες: *Curæ quidē laboriosæ efficiunt, ut ad pulcra & honesta facinora perveniatur, sicuti virorum optimorum habet adagium.*

INVIA VIRTVTI NVLLA.



Sudore hæc magno conſcendit culmina ſerpens,
Nempe eſt virtutis ſemita difficilis.

Γῆρας ὄφεως, *Senecta anguium apud Dioscorid. & alios, nominantur exuviæ veteris pellis, quas inter saxa & stirpes relinquere serpẽtes solent. Dicuntur & σύφαρ quibusdã, & Lucretio eleganter vestis, lib.* III. & IV. *Meminêre ejus rei & Nicander in Theriacis: & Nonnus in Dionysiacis lib.* XLI. *Et Tibulli querela nota est. Aristot. quidem tam vere, quam auctumno senectutem eos exuere scribit: Et Plinius fœniculi succo ad hoc adjuvari ait. Lactantius Commentator ad locum Statii* IV. *Thebaid. (ubi & ipse de Iuventute serpentis hoc modo renovata) marathron herbam nominat, quam cum comederit, seniũ deponat ætatis. De caußis physicis cum alii, tum ad Cardan. in Exerc. Scaliger disputant. Virgil. autem in Georg. &* XI. *Aen. elegantem hinc similitudinem sumpsit, versib. illis, ex quibus est nostra hæc* ἐπιγραφὴ. *Variè autem symbolum hoc explicari solet. Quidam exprimere eo voluerunt, sibi priori fortuna minus lauta relicta, optatiorem jam & lætiorem affulsisse. Nonnulli priori vita minus laudabili deserta in melius se mentem efformasse innuere studuerunt. Hos in recto proposito confirmet B. Basilius, qui appositè ad hoc symb.* Γίνεσθε γάρ φησι φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις. ὃς ἐπειδὰν ἀποδύεσθαι δέῃ τὴν λεβηρίδα, στενῷ τόπῳ καὶ ἀκριβῶς περισφίγγοντι τὸ σῶμα ἐπιδοὺς ἑαυτὸν, φρονίμως καὶ συνετῶς ἀποδύεται τὸ γῆρας. ὅπερ οὖν καὶ ἡμᾶς βούλεται ὁ λόγος, διὰ τῆς στενῆς καὶ τεθλιμμένης ὁδοῦ πορευομένους, ἀποδύεσθαι μὲν τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, ἐνδύεσθαι δὲ τὸν νέον: *Estote prudentes, sicut serpentes, qui cum opus fuerit vernationem exuere, per angustam rimam corpusq; strictim coercentem repentes, prudenter exuunt senectutem. Quod & idem nos imitari ipsa suadet scriptura, per angustam & arctam viam ingredientes, veterem hominem exuere, induere vero novum. Videatur Augustin. lib.* XI. *doctr. Christ. C.* XVI. *& Embl.* XVI. *Cent.* III.

POSITIS NOVVS EXVVIIS.



Vt solet exuuias veteres deponere serpens,
Sic scelerum sordes exue, pulcer eris.

SERPENTIS *pictura caudam ori sic inserentis, ut circulum efficiat, veteres Aegyptios annum & tẽpus repræsentasse, Horapollo testis est, meminitque Serv. in* V. *Aen. Claudian. autem eandem rem valde poëticè describit* II. *de Laud. Stilic. Quæ certè naturæ rationi convenit, illiq; circulorum circuitioni, ex qua dierum noctiumq; varietas, & mensis anniq; mensura procedit, de qua post Platonem Cicero. Grammatici annum, quasi annulum dictum putant: qui ab Homero* περιπλόμενος ἐνιαυτὸς *appelletur, quasi* ἰὼν εἰς ἑαυτ. *Latinis annus vertẽs est. Symboli autem usus varius esse potest. Nam, ut Virg. imitatione L. varii,* III. *Georg. canit:*

In se sua per vestigia voluitur annus.

Et de Tempore pulcrè Seneca Troad.

Tempus nos avidum devorat, & chaos.

Omnium etiam rerum in hoc mundo perpetua est ἀνακύκλωσις, *ut Polyb. verbo utamur: Vnde ipsius mundi imago hoc hieroglyphico exprimitur, ut apud eundem Horapoll. & Pierium videre est. Quo Cor. Taciti aurea illa sententia pertinet Annal.* IV. *qua affirmat, Reb. cunctis inesse quendam velut orbem, ut quemadmodum temporum vices, ita & morum vertantur. Et illa Crœsi apud Herod.* κύκλος τῶν ἀνθρωπίνων ἐστὶ πρηγμάτων. περιφερόμενος δὲ, οὐκ ἐᾷ ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν: *Humanarũ rerum circulus est, qui rotatus semper, eosdem fortunatos esse non sinit. Sane quæ de Rerump. periodis Plato & Aristot. disserunt, ex scriptis ipsorum petenda sunt. Nec enim hîc inseri ob opusculi rationem possunt. Quin & Regem, & ipsum denique imperium hac figura intellexisse Aegyptios, scriptores hieroglyphici indicant. Itaq; vetustum Adriani Imp. honori sacratum numum Seb. Erizzus declarat. Nam & serpens Regni icon est, unde caput serpentis, divûm regina Iuno, dextra tenet: Et circuli figura omnium habetur perfectissima. Pet. Costalius in Pegmate suo litium æternitatem hoc symb. subjicit.*

FINIS.

LXXXIII.

FINISQVE AB ORIGINE PENDET.



Rebus in humanis adeo in se cuncta recurrunt,
Finis ut unius sit caput alterius.

SERPEN-

SERPENTEM, *venenatum & inprimis noxiũ animal. max. invisum esse homini, utpote cujus semini perpetuæ cum eo fuerunt & erunt inimicitiæ, ipsa natura nos docet, & S. pagina confirmat. Hinc videmus, ad conficiendos & tollendos è medio serpentes, si in quos fortè incidimus, inprimis nos esse cupidos, nec satiari, donec multis ictibus concisos relinquamus tandem. Vtinam vero homines in concidendis & extirpandis vitiosis cupiditatum affectibus & in dispergendis fugandisq; voluptatum illecebris, quæ veluti serpentes animis illorum se insinuant, tam vigilantes essent ac studiosi! Nam secũdum Horat.* III. *Od.* XXIV.

> scelerum si bene pœnitet:
> Eradenda Cupidinis
> Pravi sunt elementa.

Sed nos in hoc symb. per serpentinam figuram Diabolum, humani generis acerrimum hostem significare voluimus, qui nisi cœlesti manu, hoc est, virtute Dei conficiatur, nostra tela flocci solet facere. Quò præclarus ille Iustini locus pertinet ex Dialogo cum Tryphone Iudæo: ὁ διάβολος ἐφέστηκεν ἀεὶ ἀντικείμενος, καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἕλκειν πάντας βουλόμενος. καὶ ὁ ἄγγελος τοῦ θεοῦ, τουτέστιν ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ, ἡ πεμφθεῖσα ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ, ἐπιτιμᾷ αὐτῷ, καὶ ἀφίσταται ἀφ' ἡμῶν. καὶ ὥσπερ ἀπὸ πυρὸς ἐξεσπασμένοι ἐσμὲν, ἀπὸ μὲν τῶν ἁμαρτιῶν τῶν προτέρων καθαρισθέντες, ἀπὸ δὲ τῆς θλίψεως καὶ τῆς πυρώσεως ἣν πυροῦσιν ἡμᾶς ὅ τε διάβολος καὶ οἱ αὐτοῦ ὑπηρέται πάντες: *Nobis quidem diabolus instabat, semper adversans & ad se trahere volens: & Angelus Dei, id est, virtus Dei, per Christum nobis missa, increpat illum, & à nobis repellit: & sumus perinde atq; ex igne extracti, à peccatis videlicet pristinis purificati, atq; ab afflictionibus & exploratione ignis probati: qua nos exercet diabolus, & administri ejus omnes.*

COELO REPETITA PLACEBVNT.



Cœlesti auxilio vetus ille extinguitur anguis,
Humana elidit spicula missa manu.

SERPENTEM *callidissimum esse omnium animalium, etiam S. pagina attestatur, vulgoq́ prisci credidere, ut ex Virg. ecl.* VIII. *patet, quia rumpi possent carmine magico serpentes, idcirco ipsos, si præsentirent, recantare, seu incantationē retorquere & exsolvere, ut ex Plinio, secundum Adr. Turnebi lectionem, licet colligere: Et veteres Aegyptios hominē refractarium & inobædientē hac hierographia denotasse scribit Pierius. Certè Psal.* LVIII. *mentionem facit surdæ aspidis: quæ scilicet aurē utramq́ obturet ad voces incantatoris: alteram nempe in terrā defigendo, alteram caudæ suæ acumine occludendo, ut testes sunt ad eum locum Arnobius, Hieron. Augustinus, Cassiodorus & alii. Ierem. etiam* VIII. *minatur Deus populo Israëlitico serpentes, qui incantari nequeant. Tangit etiā rem eandem Clem. Alexandr.* στρωμ. VII. *& Epiphan. contra Ophitas. Verum ut dextrè S. scripturæ indicata similiaque loca accipi debent, ne stabiliatur de vi verborum Magicorum superstitiosa opinio, & ita confirmentur magni illius Serpentis perniciosa ludibria: Sic nihil vetat, quo minus adducamus quæ olim & vulgo, quamvis falso, de serpentū astutia hac in parte jactata fuêre, utpote illis in rebus imitanda, quæ usui nobis esse possunt ad evitanda exitiosa & turpia. Vnde & Christus nos esse jubet prudentes, ut serpentes: Sed adjecta salutari mentione columbinæ simplicitatis, qua vafrities serpētina refrænetur, ut B. Hieronymus in Oseam innuit. Monentur igitur adolescentes potissimum, serpentis hîc depicti more obturare aures ad quævis obscœna & noxia, ita ut nec in animū, nec in sensus admittant ullas voluptatum illecebras, ne earū vi, veluti voce Thessala, miserè tandē disrumpantur ac pereant. Principes etiam monet hoc symbolum, ut obturent aures assentatoribus & scurris, quorum opes illi sæpius, quam hostes everterunt, ut alibi hæc ex Q. Curtio, & simul plura in hanc rem adducta leguntur in his etiam Centuriis.*

MEN

MENTEM NE LÆDERET AVRIS.



Carminis insidias serpens magici exit opertis
Auribus: illecebras sic fuge, tutus eris.

PLINIVS omnibus hominibus contra serpentes inesse venenum scribit: illosq; saliva jejuni hominis ictos, non secus ac contactu aquæ ferventis fugere, quæ si in fauces penetraverit, etiam mori illos. Tangit rem eandem Aristot. quoq;: & Lucret. lib. IV. in ejus caussas physicas inquirit. Versus ejus sunt isti:

Sæpè etiam serpens hominis contacta salivis
Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa. &c.

Hoc sane ut benignæ naturæ memorandum est beneficium, ita sobrietatis, temperantiæ & castitatis luculentum est testimonium. Iejunus enim sit homo oportet, qui hac efficacia non velit destitui. Sobrietatis igitur tanta vis est, ut contra omnia luxuriæ & libidinis venena præsentiss. sit antidotum. Vnde etiam Græcis tam augusto nomine σωφροσύνη, quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, quod mentem illibatam conservet, dicitur. Quod & Hierax vult lib. de justitia, ubi virtutem illam, quæ ἀφροσύνην καὶ ἀκολασίαν repellit, ait sapientes vocasse σωφροσύνην, σωτηρίαν scilicet οὖσαν φρονήσεως, incolumitatem prudentiæ. Eam Plato πολ. δ. definit, quod sit κόσμος καὶ ἡδονῶν τινων καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια: decus, & certarum voluptatum & cupiditatum cõtinentia. Præclarè igitur Xenophanes Ep. ad Lamproclem Κακὸν οὐδὲν φύεται ἐν ἀνδρὶ, θεμέλια θεμένῳ σοφίας, σωφροσύνην καὶ ἐγκράτειαν: Nihil innasci malum potest in homine, qui sapientiæ fundamenta jecerit, Temperantiam & Continentiam. Tẽperantia enim, ut Seneca ait in Ep. voluptatibus imperat: alias odit, atque abigit, alias dispensat, & ad sanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipsas venit. Appositè etiam ad hoc symb. Macarius hom. XVI. Igitur in omnibus, inquit, opus est sobrietate, ne bona quæ videmur habere, vertãtur in perniciem nostram.

SOBRIE-

SOBRIETATIS OPVS.



Emoritur ſerpens hominis contacta ſaliva:
Hei mihi quam magnum ſobrietatis opus!

SOLENT *in Italia, more ſanè laudabili inſtituta eruditorum hominum Collegia, quæ illi veterum imitatione Academias, & ſe Academicos nominant, in locis publicis, in quibus convenire, & ſe in ſtudiis rebusq; honeſtis ac liberalib. exercere cōſueverunt, iſtiusmodi affigere depicta ſymbola, quæ illi Impreſas vocant: Quæ ſi nomen Collegii & profeſsionem ritè exprimant, cenſentur eſſe lectiſsima. Exempla quamplurima cum alii recenſent, tum Scip. Bargaglius Senenſis de novo Romæ inſtituto ejuſmodi Academicorum, qui ſe* Renovatos *nuncupabant, Collegio, hoc, quod proponimus, commemorat. Significare autē illo procul dubio voluerunt, non ſecus ac ſerpentes hieme ſub terra in ſqualore & tenebris latent, vere autem novo Solis calore protrahuntur: Ita ſe quoq; temporis iniquitate preſſos delituiſſe, ſed mox meliore aſpirante fortuna, & favore Mæcenatum recreatos, ac veluti renovatos, coiviſſe in pub. Academiæ ſocietatem, in qua illuſtres ingenii & doctrinæ ſuæ fructus cunctis oſtenſuri eſſent. Poterit autem in univerſum uſurpari ab iis, quibus poſt triſtiorem fortunam ſerena lux affulſerit. Nam ut ait Pindar. in Pyth.*

ἄλλοτ᾽ ἀλλοῖαι πνοαὶ ὑψιπετῶν ἀνέμων:

Aliàs alii flatus ſublimiter volantium ventorum.

Quo omnino Horat. illa x. *Od. lib.* II. *referenda:*

Informes hiemes reducit, Iupiter idem Summovet &c.

Et Theocriti illa Idyll. 4.

Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε. τάχ᾽ αὔριον ἔσσετ᾽ ἄμεινον.
Ελπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
χὼ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος ἄλλοκα δ᾽ ὕει:

Quæ nos ita ita vertere conati ſumus:

Fidere Batte decet. non ſi nunc eſt malè, erit cras.
Spes vivis tantum, non eſt ſpes ulla ſepultis.
Nunc pluit: aſt cœlo nunc fulget Iupiter alto.

Refer item huc trita illa: Poſt nubila Phœbus. *Et,*
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora.

QVOS BRVMA TEGEBAT.



Vere novo latebris serpens prorepit opertis,
Gloria sic artes ad loca summa vehit.

SERPENS

SERPENS, *ut sæpè jam dictum, Prudentiæ: gladius severitatis & animadversionis: Corona gloriæ typus est. Gladius quidem magistratui vindex in iram ei, qui malè operatur,* XIII. *ad Rom. Unde hodieque magnis Principibus in solemnitatibus prægestari solitus. Sed inprimis memorabile est, quod de Trajano Imp. ex Dione Xiphilinus, & Aur. Victor referunt, cum Licinio Suræ Præfecto Prætorio gladium de more accingere deberet, ei porrexisse nudum, cum hoc dicto: Tibi istum ad munimentum mei committo, si rectè agam: sin aliter, in me magis. Etsi autem salutaris severitas vincit sæpè inanem speciem clementiæ, ut Cicero ait ep.* II. *ad Brutum, max. cum flagitia & facinora sine modo sunt, ut Tacitus loquitur: certè tamen ut Princeps rectè utatur gladio, magna cautione opus est. Non enim diuturna est possessio, in quam gladio inducimur, ut Q. Curtius Rufus dixit lib.* VIII. *Et severitas amittit assiduitate auctoritatem, ex Senecæ dicto* I. *de clement. qui idem ibid. pulcerrimè, ut arbores, inquit, quædam recisæ pullulant: Ita regia crudelitas auget inimicorũ numerum, tollẽdo. Quin etiã pronunciare ibidem audet: Principi non minus turpia multa supplicia, quàm Medico funera. Igitur Iustitiæ quidem ille minister sit, sed cum prudentia: His enim ducibus veram consequetur gloriam, ut symbolum hoc nostrum subjicit. Pulcrè Cassiodorus* XI. *Var. Benigni principis est, ad Clementiæ commodum, transilire interdum terminos Aequitatis. Quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant. Proprium igitur sit Principis, ex Taciti monitu in Agric. Omnia scire, non omnia exsequi: parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentum esse. Ex quibus liquet, verissimum esse Aristotelis dictum:* ἡ φρόνησις, ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μόνη: *Prudẽtia, imperantis propria & unica virtus.*

HIS DVCIBVS.



Serpentis ritu prudens, severus at idem
Fer gladium, & celebris laurea serta geres.

AMPHISBÆNAM *serpentem in Libyæ desertis reperiri tradunt, qui geminum caput, unum in anteriore, in posteriore corporis parte alterum habeat, eumq; circulatis tractibus incedere, & alterutrum caput sive attollere, sive retrotrahere, pro ut usus & necessitas exegerit. Qua de re Aelianus, Plinius, Solinus, alii: Et tangit Lucanus lib.* IX. *hoc versu:*

Et gravis in geminum surgens caput amphisbæna.

Vsus autem & hoc Embl. ad testandum insignem suum propter amissam conjugem dolorem fuit Nobilis Neapolit. Bernh. Rota, cum scito: SVPERESSE MORI EST, *ut Scip. Ammiratus commemorat. Quo inprimis Ovidii illa exsulis in navi de conjuge sua cantata pertinent:*

O benè quod non sum mecum conscendere passus:
Ne mihi mors misero bis patienda foret.
At nunc, ut peream: quoniam caret illa periclo:
Dimidia certè parte superstes ero.

Profecto enim cum vir & uxor in legitimo matrimonio etiam S. scripturæ oraculo una caro, unumq; corpus sint, fieri nō potest, quin si unum caput ex illo corpore abrumpatur, alteri vita non quidem erepta, sed quavis morte sit acerbior. Non ignota autem sunt, atq; ideo huc referenda, quæ de Alcesti Admeti uxore Euripides: de Pæti Arria, de T. Sempr. Graccho, de C. & M. Plautiis, Valer. Max. Plinius Secundus in Ep. & Sex. Aur. Victor de viris Illustr. memoriæ prodiderunt: & alia exempla similia. De Admeto quidem Chorus apud Euripidem in Alces. ait, illum hac extincta in posterum victurum vitam ἀβίωτον, hoc est, minimè vitalem, ut Ennius loquitur. Sed pulcrè idem Chorus ibi concinit:

Τί γὰρ ἀνδρὶ κακὸν μεῖζον, ἁμαρτεῖν
Πιστῆς ἀλόχου;

Quod enim homini majus malum accidere potest, quam amittere Caram conjugem?

NEC MORS, NEC VITA RELICTA.



Parte mei supero, pars est mihi demta, vel ergo
Cum cara præstat conjuge posse mori?

VIPERARVM *hanc commixtionem, veramq; illarum effigiem, ex Baldo Angelo Abbatio, & Ferdin. Imperato Neapolitano expressimus. Coeũt autem, ut Plinius tradit, tam arcto complexu, tam sibi ipsæ circumvolutæ, ut una existimari biceps possit. Viperæ feminæ mas caput inserit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Quod longè ante Horapollo scripsit, Aegyptios dicens hac figura mulierem, quæ odio prosequens maritum ejus vitæ insidiaretur, blanda tamen in coitu esset, depinxisse. Rem autem ipsam ex veteribus affirmãt Herodotus in Thalia, Nicander, Galenus, Aelian. Basilius M. homil. contra fœner. & de Invid. & IX. Hex. Hieronymus ad Præsidium, Prudentius in Hamartigeniâ, & alii: ut miretur Pierius Albertum M. unum contradixisse. Sed vera ne sint hæc, Bald. Angelus in lib. de Viperæ natura & facultatibus enucleet. Symbolica certè esse manifestum est: quæ morbos & cetera ex nimia & immodica Venere incommoda, & quod per illam naturali calore tandem extincto cita mors veniat, accuratè oculis subjiciant. Eryximachus quidẽ apud Stob. breviter* τὴν συνουσίαν μικρὰν ἐπιληψίαν ἔλεγεν, καὶ χρόνῳ μόνῳ διαλλάττειν: *Coitum brevem morbũ comitialem esse dixit, ac tempore tantum differre. Et similiter apud eundem Democritus:* Ξυνουσίη ἀποπληξίη σμικρή. ἐξέσσυται γὰρ ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου: *Coitus est brevis apoplexia. Prorumpit enim homo ex homine. Sed quid aliud sunt amatoribus suis libidinosæ feminæ, quam viperæ? Illis enim omnem succum & sanguinem, facultates, & ipsam deniq; vitam abrodunt & adimunt. Notus enim est veteris cujusdam poëtæ Senarius:* ἴσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης: Par est leænæ & feminæ crudelitas. *Omniũ autẽ pulcer. est Phædri fabula lib. II. de anu & puella diligentibus juvenem, cui hos præmittit vers.* A feminis utcunq; spoliari viros, Ament, amentur, nempe exemplis discimus. *Videatur Hadr. Iunii Embl.* XXXVIII.

VENVS

VENVS IMPROBA.



Sic pereat quisquis meretrici turpiter hæret,
Per Venerem ut nimiam vipera morsa perit.

UBI de viperæ coitu Plinius differit, sicut in prox. Symb. ejus locum adduximus, pergit idem ibidem: Tertia die intra uterum catulos excludit: deinde singulos dieb. singulis parit, viginti ferè numero. Itaq; ceteræ tarditatis impatientes perrumpunt latera occisa parente. Paulo aliter Aristoteles & Theophrastus hæc exponunt. Herodotus quidem hanc mari prius interempto pœnam luere feminam affirmat, cui astipulantur Horapollo, Nicander, Aelianus, Plutarch. Basilius M. & Hieronymus. Sed Apollonius apud Philostrat. & Maximus Tyrius superesse partui suo viperã tradunt. Quod similiter cõfirmant Io. Brodæus in Misc. & Iul. Cæs. Scaliger in Exerc. & latè Bal. Angelus in antedicto libro. Quidquid sit, typus profecto hic talionis pœnæ est insignis, ut merito ab eo potius, quam ab Oreste aut Alcmæone ex Tragœdiis exempla ultæ paternæ necis petenda esse Aelianus censeat. Hinc & nostra inscriptio nata ex Senecæ versib. in Herc. fur. Potest etiam accommodari in malorum parentum nefariam sobolem. Nam, ut Niceph. Gregoras argutè ait: τῶν πονηρῶν σπερμάτων ἄξια τὰ γεώργια. Malorum seminum mali fructus. Certè Proclus Archimedi in hanc rationem scribit apud Theophylactũ Simocatam: καὶ παῖδας ἕξεις πατρικῆς κακίας εἰκόνας ἀληθεῖς καὶ ἰνδάλματα. οὕτω γὰρ καὶ τὰ τῆς ἐχίδνης κυήματα μητρικὴν ἀνοσιότητα διαδέχεται. τὴν κυοφόρον καὶ τιθηνὴν γαστέρα διαῤῥηγνύοντα: Liberos habebis vitiorum paternorum veram & expressam imaginem. Sic enim & viperæ partus maternam impietatem æmulantur, dum ventrem qui eos tulit & nutrivit, lacerant. Angel. Politianus alio sensu hoc symbolum de Marsilio Ficino, paucis annis innumeros ingenii fœtus producẽte usurpavit, hac addita ἐπιγραφῇ: ANTE PARIS, QVAM CONCIPIS. Alius quidam vir magnus idem torquet in hostes Ecclesiæ, qui illam quidem non secus, ac viperea soboles matrem, rodant ac lacerent, sed illa tamen incolumi & salva, ipsi miserè pereant.

SVO

XCI.

SVO PREMITVR EXEMPLO.



Ecce ut rupta aluo protrudat Vipera gnatos?
Sustulit illa patrem, sustulit hanc soboles.

EX *Aristot.hoc desumpsimus: qui* VIII. *hist.anim.* XXIX.*observavit, quod vipera Scorpium devoret: ideoq; venenũ alere tanto deterius, adeoq; morsum ejus esse letiferum, quod venenatis pasci soleat. Idẽ sæpè in Italia à viperarum captatoribus observatum: quanquã capsulis inclusæ, scorpionibus objectis, raro id faciant. Galenus de Theriac. lib.* XIII. *auctor est, viperam alia etiam venenata animalcula consumere, puta buprestes, cantharidas & istiusmodi, ipsi procul dubio non ingrata cibaria. Eodem scilicet modo homines crudeles, & natura facti ad tyrannidem, sæviores tamen longè evadunt, cum ad inclinationem illam innatam accedit perversa & flagitiosa educatio, & cõsuetudo ex pessimis moribus inquinatissima. Verissimè enim Plato dixit* VI. *de Leg.* Ἄνθρωπος δὲ, ὥς φαμὲν, ἥμερον. ὅμως μὲν παιδείας τῆς ὀρθῆς τυχὼν καὶ φύσεως εὐτυχοῦς, θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῶον γίγνεσθαι φιλεῖ. μὴ ἱκανῶς δὲ ἢ μὴ καλῶς τραφὲν, ἀγριώτατον, ὁπόσα φύει γῆ: *Hominem autem mansuetum animal esse dicimus. Porro si cum natura fœlici rectam quoq; disciplinam fuerit assecutus, in divinissimum mansuetissimumq; animal solet evadere. Sin vero non satis aut non benè fuerit educatus, ferocissimum omniũ, quæ in terris nascuntur, animal redditur. Quod si ad malam naturam & consuetudinem vitiosam accedat etiam potentia, & regnandi fastigium, tum certè nihil medium est inter præcipitia & summa, ut Tacitus loquitur. Rectè enim Plutarch.* ἡ δὲ ἐξουσία παραλαβοῦσα τὴν κακίαν, νεῦρα τοῖς πάθεσι προστίθησι: *Potestas malitiæ conjuncta, nervos ac robur affectibus addit. Et ut Seneca in Hipp. dixit:*

durus & veri insolens
Ad recta flecti regius non vult tumor.

XCII.

DIRA DIRIS PASCVNTVR.



Tetra quod extinguit, non mirum, vipera morsu,
Ecce etenim quali gaudeat illa cibo?

ETsi quæ de Viperæ cum Murænæ coitu litteris consignata sunt, falsitatis coarguant Gu. Rondeletius, Hipp. Salvianus, & Bald. Angelus: jucunda tamē & valdè symbolica sunt, quæ de illo apud scriptores complures leguntur. Viperam nimirum veneno prius posito consortem murænam sibilo evocare è mari: hanc autem sponte illi morem gerere, atq; in litore cum illa commisceri. Tradunt hoc constanter Horapoll. in hierogl. Oppianus, Aelianus, Phile in Iamb. Licinius Macer apud Plinium, & Achilles Tatius graphicè admodum lib. 1. de Clitoph. & Leucipp. Aristot. quoque & Theophrast. murænam non raro in siccum exire testantur, pluresq; qui eadem asserant, commemorat Scholiastes Nicandri in Theriacis ejus. Sequuntur illos Basilius M. & B. Ambros. in Hex. uterq; ad matrimonio convenientem reverentiam, & conjugale obsequium rem eruditè transferens. Quo sensu etiam Alciatus hoc Embl. accepit, & lepidiss. Epigrammate descripsit. Sed cum non ejusdem generis sint hæc animalia, idcirco longè rectius ad violationem thori alieni referri fortè posset. Nam & in murænarum genere, teste Aristotele, mares sunt, ut alienigenam sectari necesse non habeant: & pulcerr. Basilius dicto ante loco ait: ὅτι μοιχεία τις ἐςὶ τῆς φύσεως ἡ τῆς ἐχίδνης καὶ μυραίνης ἐπιπλοκή: veluti adulterium quoddam naturæ esse hunc viperæ & murænæ concubitum. Et idcirco eos, qui alienæ matrisfam. corruptores sunt, considerare debere, cujusmodi bestiæ sint similes. Aegyptios sanè hominem ἀλλοφύλων μίξει χρώμενον murænæ typo expreßisse etiam Horap. scribit. Pulcrum sane est Euphronis illud:

οὐκ ἔςι μοιχοῦ μεῖζον οὐδὲ ἓν κακόν:
ἐν ταῖς γὰρ ἑτέρων βούλετ' ἀτυχίαις τρυφᾶν:
Non est adultero ullum majus malum:
In aliorum enim infortuniis delicias quærit.

SACRI

XCIII.

SACRI CONCVSSIO LECTI.



Vipera en amplexu gaudet muræna. Quid ergo
Dissimile his brutis turpis adulter agit?

VESPÆ, *ignavum pecus, cum murmure tamen volitant, & pungunt acerrimè. Hinc illud, quod Stobæus ex Diogenis diatribis refert, Antisthenem scilicet aliquando à Diogene correptum, quod exigua voce esset, & tamen castigaret homines, respondisse: Vespas itidẽ sonum haud magnum edere, aculeum tamen habere acerrimũ. Lepidum itaq; est Archilochi mordaciss. poëtæ Epitaphium, quo in ejus sepulcro vespæ habitare dicuntur, in* III. *ἀνθολ. ex quo Alciat. Embl. suum* LI. *desumpsit. Sane cum vespæ à se cum noxa pungant, & quid facient, ubi viperæ veneno spicula sua tinxerint? Quamvis autẽ figmenta hæc sint, (Refert tamen in Exer. Scaliger, à Cambaiæ Indiæ Rege filium veneno educatum adeo venenosum fuisse factum, ut muscæ quæ modo solo suctu cutim perstrinxissent, turgidæ interierint.) jucundam nihilominus & utilem considerationem habent. Per viperam enim delatores, pess. genus hominum, qui clam apud alios innocentes deferunt, intelligere possumus. Nam veluti suppeditare hæc advolantib. vespis venenum fingitur, quod illæ postea in alios cum pernicie effundant. Per has igitur porro significabimus calumniatores & maledicos, qui quæ ab aliis per mendacium acceperunt, nihilominus pro veris dispergunt. Vtriq; rei gravissimi criminis. Sed optimum est Plautini senis votum in Pseudolo:*

> Homines qui gestant, quique auscultant crimina,
> Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant:
> Gestores linguis, auditores auribus.

Nam ut Thucydides dicit: Διαβολὰς ἐ σῶφρον οὔτε λέγειν πρὸς ἀλλήλους, οὔτε ἀκούοντας ἀποδέχεσθαι: *Non decet calumnias neq; aliis narrare, neq; audiendo suscipere. Inscriptio Symb. Paradini est.*

XCIV.

TRANSFVNDIT PASTA VENENVM.



Vipereum exſugit veſparum turba venenum,
Tu fuge, ne noceant hauſta venena tibi.

Vt fœcundißimũ, sic nocentiß. animal eſt Scorpio: qui minimo inflexæ caudæ ictu, atq; inſenſibili materiæ quãtitate, ut doctiß. Scaliger loquitur, mortem homini affert, graviq; per triduum ſupplicio illum conficit, ut Plinius tradit, ſimulq; oſtendit, Scorpionis cinerem in vino epotum homini ab eo icto pro remedio eſſe. Certè quotidianis experimentis conſtat, eum in oleo demerſum & ſuffocatum, ſi teratur, & vulneri ab ipſo illato imponatur, medelam eſſe præſentiſſimam. Mira certè naturæ & arcana vis, cum tam puſillum animalculum & ad mortem & ad vitam deſtinavit homini. Sic Achillis haſta Telepho Regi Myſiæ & vulnus lethale, & præſentem ſimul ſalutem attulit: Qua de re Suidas, in Τήλεφος ἐκ πηλείδου, *Euſtathius* παρεκβ. εἰς α. ῥαψῳδ. τῆς ἰλ. *&* ὀδυσσ. λ. *& Hyginus fab.* CI. *& tangit rem Eraſmus in Adag.* Polypi caput. *Noſtrum quidem hoc haud ſcio an non rectè doceat, hoſtes etiam ſæpè noſtros vitam quandoque nobis & gloriam afferre. Quo Xenophontis dictũ ſpectat, ſapientis eſſe, etiam ex hoſtibus utilitatem capere. De quo integrum libellum Plutarch. commentatus eſt. Scitè etiam Eraſmus Roterod. in præfat. in Off. Ciceronis, ad feſſos labore in gravioribus litterarum ſtudiis ſimilitudinem hanc tranſtulit, qui ab iiſdem, ſed amœnioribus, remedium & recreationem ſolent petere. Elatius vero & ferocius Ludovicus Gonzaga Marchio, qui in ingreſſu Caroli V. Imp. in urbem Mantuã, in veſte triumphali Scorpionis iconem oſtentavit, cum aſcriptione:* QVI VIVENS LÆDIT, MORTE MEDETVR. *Eo enim, ut Paulus Iovius ſcribit, oſtendere voluit, ſe interfecturum, à quocunque læderetur aut afficeretur injuria, ut ejus morte vindictæ ardorem mitigaret ac reſtingueret. Sic ipſi ſcilicet fuit*

Vindicta bonum vita jucundius ipſa.

MORTE

XCV.

MORTE MEDETVR.




Viuens mortem homini instillo, moriensq; medelam,
Quam mira alternant vitaque morsque vice?

SCORPIO *hominem vafrum, cuiq; nulla ſit habenda fides, denotat, ut apud ſcriptores hieroglyph. legimus. Non igitur niſi reſecta cauda, in qua illi aculei venenum ſtillantes, ab ejus ictu quis tutus ſit. Similiter ne hoſti quidem ulli, cui arma erepta aut excuſſa non ſint, fidendum, multo minus ad colloquia cum eo veniendum eſt aut ad fœdera, etiam ſi per omnia ſacra jurare paratus ſit. Cujus rei ſignificatio libri hîc depicti imagine ſubjicitur. Rectiſſ. igitur Q. Cicero, Legatus Cæſaris, reſpondit Nerviis: Non eſſe conſuetudinem Rom. populi, ullam accipere ab hoſte armato conditionem. Et memorabilis eſt ille apud Livium lib.* XXXIII. *inter Philippum Macedonem, & T. Quintium cõgreſſus, ex quo patet nullam fidem eſſe cum hoſte ad colloquium congredi. Sic ſane* II. *Samuel.* XX. *Amaſa ſub pacis & amicitiæ prætextu à Ioabo interimitur, non attendens cinctum eum gladio. Philip. quidem Cominæus ſæpius monet, quantum ſit periculi in congreſſibus magnorum Principum, & quam dubia ac periculoſa ſint inter ipſos plerunq; contracta fœdera. Et affert cũ alia exempla, tũ inprimis lib.* III. *Ludovici Regis Galliæ, Peronæ in Caroli Burgundi poteſtate periclitantis: & lib.* VI. *de Ioanne Burgund. Duce à Rege Carolo in mutua ſalutatione interempto: quæ ſunt illuſtria. Rectè igitur Demoſthenes in Phil. dicit, urbibus ad cuſtodiam multa quidem inventa eſſe, valla, mœnia, foſſas, &c. quæ tamen omnia manibus conficiantur, & ſumptus poſtulent ingentes. Verum unum commune munimentũ à natura ineſſe animis hominum* τῶν φρονούντων, *idq; cum ceteris ſalutare eſſe, tum max. plebi contra tyrannos:* Ἀπιστίαν, *nempe. Et ſane in celebrem illum de hac Epicharmi verſiculum integrum etiã ſcriptum Dio Pruſaenſis contexuit, quod Græcè & latinè avus meus olim edidit.*

NE

XCVI.

NE IVRATO QVIDEM.



Non nisi desecta credam tibi, Scorpio, cauda,
Armaq; ni ponas, fœdera nulla dabo.

EX Plutarch. libello περὶ φιλοπλουτίας adducitur Adag. κοχλίου βία: Cochleæ vita: Domiporta enim hæc est, Cicer. II. de Divin. ut hallucinentur Erasmus & Crinitus, qui quod à Cicerone de Cochlea dictum est: Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam, testudini tribuerunt. Testudinis enim sanguinem Plin. claritatem visus facere, suffusionesque oculorum tollere asserit. Sed hoc nostrum de iis usurpabitur, qui vel à forensi luce remoti, fugiunt omnem turbam ac tumultum, vel domi latitantes cavent sibi à periculis & injuriis, quibus expositi sunt, qui vivunt peregre. Celebratur enim illud: οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος: Et Gaius I C. suam cuique domum tutissim. esse refugium & receptaculum dixit. Iucundum etiam est Claudiani Epigramma de Sene Veronense, extra pomaria sui agelli nunquam egresso: & inscriptionem nostram ex Ovid. acceptam unusquisque statim videt: Benè qui latuit, benè vixit. Benè qui latuit, nempe cum ratione & judicio, & ubi necessitas, fortè etiam utilitas publica sic exigit. Nam & hac in parte τὸ μέτριον inprimis servandum, ut in Embl. XCI. Cent. II. admonemur. Inepti enim, qui, ut Seneca ait, adeo in latebras refugerunt, ut putent in turbido esse, quidquid in luce est. Inter se ista miscenda sunt, & quiescenti agendum, & agenti quiescendum est. Quidam aureum illud τὸ γνῶθι σαυτὸν ascribunt: alii ex Persio: TECVM HABITA. Referenda item huc, quæ in laudem αὐταρκείας alibi adducta sunt: Et simul Horat: illa in Ep.

——fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges, & regum vita præcurrere amicos.

Pulcrè etiam in hanc rem Turpilius, in Lindia:

Profecto ut quisq; minime contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit maximè:
Vt Philosophi aiunt isti, Quidvis sat est.

BENE

XCVII.

BENE QVI LATVIT.



Exemplo domiporta tibi sit cochlea, quisquis
Exoptas tuto consenuisse domi.

PRIORI *cohærens & hoc est, cum inscriptione ex Persii Sat.* I. *Quod evidenter monet, ne immaturè prodeamus fortè cum certo vitæ nostræ periculo. Rectius, qui cum eodem Persio Sat.* VII. *gloriari potest:*

Hic ego securus vulgi, & quid præparet Auster
Infelix pecori, securus, & angulus ille
Vicini nostro quia pinguior: &c.

Sed hoc quidem Cochleæ telo confixæ Symbolo usum ferunt Ferdinandum Calabriæ Ducem, postquam à Rege Hispaniæ in bello Navarrensi, quod in Gallorum castra transire parasset, in Sciativæ arcem, qua Aragonii Reges ad Illustrium virorũ carcerem utebantur, conjectus fuit, sicut eam historiam Fr. Guicciardinus recenset lib. XI. *Ostendere nimirum miserr. Princeps eo voluit, ꝙ Achæis T. Quinctius apud Liv. lib.* XXXVI. *similitudine pæne eadem ob oculos posuit: Testudinem ubi collecta in suum tegimen est, tutam ad omnes ictus esse, ubi exerit partes aliquas, quodcunq; nudavit, obnoxium atq; infirmum habere. Meminit & Plutarch. in vita T. Flaminii. Hinc rectè Plautus:* Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. *Quo pertinet pulcherrima Polybii ὑποθήκη lib.* I. *quam ita latine interpres reddidit: Nam cum duo hominibus modi propositi sint, quibus facilè mutari in melius queãt, unus ob suam cuiusq; calamitatem, alter ob alienæ exemplum: proculdubio primus efficax quidem est, sed non sine detrimento ejus, cui accidit. Secundus verò, etsi non habet in se tantum virium, ideo tamen præstat, quod omnis damni prorsus est expers. quo fit, ut priorem quidẽ nemo sit, qui sponte eligat, cũ absq; dolore & periculo accidere id nequeat. Hũc v. semper amplecti convenit, quod per eũ sine detrimento cernere licet, quod est melius. Idcirco rectè consideranti, opt. ad verã vitam institutio videtur esse experiẽtia, q̃ fit ex cõmemoratione rerũ ab aliis gestarum (Polybius πραγματικὴν ἱστορίαν nominat.) Hæc. n. duntaxat absq; omni damno optimos veri judices ꝑficit.*

NEC TE QVAESIVERIS EXTRA.



Non tibi tela nocent latitanti, erumpere at ausum
Configunt: temerè qui ruit, ille perit.

PAVLATIM, *& cũ prudenti cunctatione Cochlea per acclive & salebrosum iter ad excelsum montis jugũ perrepere conatur, idq; solertia & labore indefesso & continuo tandẽ assequitur. Quod Symbolum affert Io. Baptista Pittonus, ascripto:* NON TEMERE. *Solent autem eodem modo homines virtutis amantes, laboris iter, quod ad gloriam ducit, non defugere, quamvis arduum inprimis illud sit ac difficile. Nam & Conitus Smyrnæus in Clypei Achillei descriptione lib.* V. *virtutem in celsissimo monte collocat, in cujus vestigium non nisi extremo cum sudore & periculo ingenti pervenire liceat. Quod Silvis Italicus imitatus, & Herculis Prodici historiam ad Scipionem suum eleganter transferẽs, sic virtutem inter alia loquentẽ introducit:*

Casta mihi domus, & celso stant colle penates,
Ardua saxoso perducit semita clivo
Aspera principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur, labor ad nitendum intrare volenti.

Alii nobili Catonis dicto rem explicant: SAT CITO, SI SAT BENE. *Non male. Nam & præclaros conatus temeritas corrumpit: & tempestivum est, quidquid Reip. salutare est. Constantia modo adsit & tolerantia, & moram facile compensabit felix gloria. Nemo enim, ut verissimè dixit Salustius, ignavia immortalis factus est. Sola virtus clara æternaq; habetur. Pulcerr. etiam Pindarus Olymp.* VI. ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ οὔτε παρ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαι. πολλοὶ δὲ μέμνανται, καλὸν εἴ τι πονα θῇ: *Virtus periculorum expers, neq; apud homines, neq; mari habetur in pretio: at multi memorant, si quid honesti laboriosè peractum est. Inscriptio nostra est ex Cass. Parmensis versibus de Orpheo, relatis Embl.* V. *Centur.* I. *quod jungendum est cum hoc: ut & Embl.* XCII. *Cent.* II. *&* XXXIII. *Cent.* III. *& similia.*

NON

XCIX.

NON LEVIS ASCENSVS.



Disce puer virtutem ex me verumq́; laborem,
Si veræ ornari laudis honore cupis.

PERVULGATA *est Biantis (Quidam Stilponi Megarensi ascribunt) sententia, cujus cum patriam Prienē cepisset hostis, ceteriq; ita fugerent, ut multa de suis reb. simul asportarēt, ipse admonitus à quodam ut idem faceret: Ego vero (inquit) facio:* Nam omnia mea mecum porto. *De Simonide etiam Poëta similis est apud Phædrū Aug. lib. fabula* LXXIX. *lib.* IV. *qui ex naufragio nihil assumēs, rationem hanc reddidit:* Mecum mea sunt cuncta: *cum quidē ceteri rerū arreptarū onere gravati vel periissent in mari, vel in prædones incidissent: ipse vero sua arte statim divitias acquisivisset. Aristippus quoq; ex simili infortunio elapsus, & ob doctrinā benignè susceptus, comites navigationis ad hortandos cives suos rogavit, tales ut sibi opes pararent, quæ enatarent simul cum naufragis. Ex his Nobilis fœmina Fulvia Spanocchia hoc Symbolum eruditè cōmentata est, ut pingeret Cochleā domiportā, quæ penates suos & omnē substantiā circumfert, nec ullo alio indiget diversorio cū Biantis dicto:* OMNIA MEA MECUM. *Sed nostra inscriptio eodē sensu ex Claudiano assumpta est. Pertinetq; ad Symb. illustrationem Plauti illud:* Virtus omnia in se habet: omnia adsunt bona, quem penes est virtus. *Cetera enim humana fortunæ sunt ludibria: Virtus & doctrina de ipsa fortuna triumphant. Hinc pulchrè B. Basilius:* μόνη γὰρ κτημάτων ἡ ἀρετὴ ἀναφαίρετον, καὶ ζῶντι, καὶ τελευτήσαντι παραμένουσα: *Sola omnium possessionum virtus homini auferri nequit, & superstiti & extincto commorans. Nam ut vetus dictum habet:* ὁ σοφὸς ἐν αὑτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν: *Quod Phædrus in ante tacta Fab. sic enunciavit:* Homo doctus in se semper divitias habet. *Cum quo Carneadis etiam simile congruit in libr. Telesiaco, ut apud Fulgentium legitur:*

> *πᾶσα τύχη αἰσθησιν φρονοῦντος κατοικεῖ:*
> Omnis fortuna in sensu habitat sapientis.

FERT OMNIA SECVM.



O felix secũm sua quicunq; omnia portat,
Fortunæ vivens liber ab arbitrio.

ERRATA TYPOGRAPHICA
Centuriæ Quartæ.

Embl. XXII. lin. VI. lege hirudinibus. *& lin. XIX.* βίον. *Embl. XXIX. lin. IX.* Dolcis. *Embl. XXXI. lin. XI.* accommodum. *Embl. LXXII.* Myndio. *Embl. LXXIV.* λιμνᾶτις. *& lin. XXIII.* οὐκ ἐᾷ. *Embl. LXXX. lin. à fine X. pro* ſcilicet *lege* Scipio. *& LXXXVII. lin. IX. à fine,* τύχ'. *Embl. XCVII. lin. XV.* pomœria. *& III. à fine,* minimo. *Embl. XCIX. lege* Cointus & Silius.